Historia medicinae, in qua, si non omnia, pleraque saltem, medicorum ratiocinia, dogmata, hypotheses, sectae, &c.; ... quae ab exordio medicinae usque ad nostra tempora inclaruerunt, pertractantur / J. Conr. Barchusen.

Contributors

Barchusen, Johann Conrad, 1666-1723.

Publication/Creation

Amstelaedami : Apud R. & G. Wetstenios, 1710.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pcwrhg5x

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

1219/B/2

K

B II

18/b

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 131
COLLECTION

BARCKHAUSEN



IOANNIS CONRADI BARCHUSEN

J. CONR. BARCHUSEN

HISTORIA MEDICINÆ,

In qua,

Si non omnia, pleraque saltem,

MEDICORUM

ratiocinia, dogmata, hypotheses, sectæ, &c.
quæ ab exordio

MEDICINÆ

usque ad nostra tempora inclaruerunt,
pertractantur.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS.

M. DCC. X.

Z



WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



VIRIS.

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

EVERARDO van SYPESTEYN

CORNELIO van LITH de IEUDE

CONSULIBUS.

UT ET

ANTONIO vander NYPOORT, *Toparchæ de Hooglande:*

GELLIO van WYCK.

JOHANNI van BAARLE.

ARNOLDO SPOOR.

ADRIANO GENTMAN.

PHILIPPO RAM.

CORNELIO VERBORGT.

BERNHARDO WILHELMO PLOOS
van AMSTEL, *Toparchæ de Schoonauwen.*

CASPARO van ROYEN.

ADRIANO ROELAND.

FERDINANDO van HATTIN

JOHANNI HUYSSEN.

DANIELI de MILAN-VISCON

DANIELI van BERCK.

VINCENTIO MAXIMILIANO van LOCKHOR
Toparchæ de Termeer.

ANTONIO van CUYLENBUR

HUYBERTO van VELDHUYSE

CORNELIO QUINT.

MATTHIÆ van BEECK.

PETRO HAAK de JONG.

FREDERICO HAMEL, *Toparchæ de Stoetwe*

JOHANNI HEYCOP.

JOHANNI van NELLESTEYN.

ISACO UBINK.

JOHANNI BREYER.

NICOLAO PESTERS.

JOHANNI van ROYEN.

LAURENTIO van LANKEREN

GUILIELMO SCHADE.

LUCÆ van VOORST.

HE

HENRICO CLOEK.

ADRIANO STRIK, *Toparchæ de Linschooten.*

ADRIANO van BRONCKHORST.

HENRICO van SOESTDYK.

OHANNI CAROLO vander MUELEN,
Toparchæ de Bleyenburg.

HENRICO COPES.

JUSTO ORMEA, *Toparchæ de Papendorp.*

LEONARDO de CASEMBROOT,
Toparchæ de Rynesteyn.

INCLYTAE

REIP. TRAIECTINAE

SENATORIBUS.

PIETATIS ET AEQUI

SERVANTISSIMIS.

LIBERTATIS COMMUNIS

ROPUGNATORIBUS ACERRIMIS.

ADMINISTRANDAE CIVITATIS

PRUDENTISSMIS.

RTIUM DISCIPLINARUM QUARUMCUNQUE

PROPAGATORIBUS CONSERVATORIBUS.

PATRIAE PATRIBUS.

ACADEMIAE CURATORIBUS;

PROPTER

IMMERITAM IN ME PEREGRINUM COLLATAM

GRATIAM.

ET

MUSARUM QUALIUMCUNQUE MEARUM

APPROBATIONEM.

HAEC SYMPOSIACA

PIETATIS ET GRATIARUM

MONUMENTUM

QUA POTEST VENERATIONE

L. M. Q.

D. D. D.

VESTRAR. AMPLITUDINUM NOMINIBUS

DEVOTISSIMUS

IOANNES CONRADUS BARCHUSEN

PRAE

PRAEFATIO.



Uærenti mihi, multumque & diu cogitanti, quanam re, Apollinea arte initiatis posſem prodeſſe: ſiquidem ſubceſiva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior; nulla major occurrebat, quam ſi iis initium & progreſſum ratiocinii in Medicina, ſeu hujus variarum ſectarum varias opiniones & hypotheſes, traderem. Equidem me non præterit, aliquos ante me extitiſſe, qui copioſe ac docte idem thema tractarunt: quos inter unicum DAN. CLERICUM, Virum conſummatæ eruditionis, nominaſſe ſatis erit. Verum, quomodocunque hujus & aliorum dicti thematis tractatio fuerit: ſpero tamen neminem mihi ſuccenſurum, neque vitio verſurum, ſi, quod ego lectione quantacunque profeci, cum orbe literato communicavero. Nullum enim animo meo eſt du-

bium, quin lectores complura, ab aliis præterita, in hoc libro inventuri sint, quæ & prodesse possint, & delectare. Ut autem argumentum vel ratio, qua ad adornandum hunc tractatum usus sum, inter eruditos constet: necesse est indicare, me plerumque inclytorum medicorum, quorum in hoc opere passim mentionem feci, natales, ætatemque, utcunque duxerint, omisisse conscribendos: quia scivi id ab aliis copiose factitatum; cui vix aliquid, quod operæ pretium esset, a me poterat superaddi. Nec hoc præteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem, istud negotium potius ad antiquitatis, quam Medicinæ, studiosorum aliquem fructum, redundaturum. Ideoque, cum hoc persuasum habui, mentem appuli ad Theoriam Medicinæ describendam: in quantum ea videlicet a primis usque ad nostra tempora omnigenam mutabilitatem, atque interpolationem, subivit. Interdum varias res, quarum gratia

alii

alii ab aliis opinionum dissensione discreparunt, uno membro vel Dialogo colligavi: ut id, de quo alter cum altero dissentit, deinceps innotesceret. Hoc factum inveniet in Dialogis, in quibus elementa, causas, temperamenta, Naturam, facultates, &c. pertractavi. Aliquando variorum decreta ac præcepta de doctrina, vel arte quadam, in unum contuli, ut quisquis nullo negotio possit mente percipere, quid de ea statuendum. Id reperiet a me observatum, ubi egi de arte Gymnastica, de sectis medicorum, de Astrologorum & Mechanicorum ratiociniis medicis, de typis, &c. Quandoque celebrium medicorum placita, si utpote quædam in ipsa essent singularia, breviter pro copia mea singillatim descripsi. Sic habetis Hippocratis, Galeni, & aliorum tum Græcorum tum Arabum, tum Latinorum; tam veterum, quam recentiorum, medicorum, doctrinæ breviarium. In quo confici-

endo non perſcripſi auctores ad verbum, ceu id quibuſdam hujus ævi ſcriptoribus, ſarcinatores mehercule! omnis generis centones conſuentes imitantibus, in more poſitum eſt: ſed vendicavi mihi ſæpenumero jus breviandi, & amplificandi periodos, prout eæ, aut nimis prolixe, aut conciſe nimis, videbantur ſcriptæ; eatenus tamen, ut, quoad a me fieri potuit, auctoris mentem ſemper ſim conatus perſequi. Utinam linguæ Græcæ & Arabicæ pariter eſſem callens, tunc ex ipſo fonte, ut ajunt, bibiſſem aquas: callens tum inſimul eſſem judicandi de interpretibus, an hi, quibus jam fidem adhibere debeo, ſint etiam atque etiam munere ſuo perfuncti, nec ne? & an auctorum, quos in linguam Latinam tranſtulerunt, mentem ſint ſemper aſſecuti? Profiteor ideo hoc loco meam dictarum linguarum inſcitiam, ut ne ex alieno latere me quiſpiam petat, mihique opprobret ſignificationem ſermonis ſeu Græci, ſeu

Ara-

Arabici longe aliam esse, quam interpretes alterutrius vernaculam latine reddiderunt. Cæterum puto fore, ut, cum Vos cujuslibet Ordinis Viri seu Amplissimi, seu Doctissimi, hæc legeritis, mireremini id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus; sed nostis morem dialogorum, in quos solemus personas fictas inter se colloquentes, perinde ac in tragœdia vel comœdia usu venit, introducere. Proinde vestrum cuique dedi partes, (nituntur enim plurimum auctoritate scriptorum, in calce cujusque paginæ citatorum) quas a vobis probari intellexisse mihi videbar: mihi sumsi potissime interloquentis, vel objicientis. Neminem itaque ex cæteris lectoribus arbitror, adeo stupidum fore, ut, si fortean aliquid erroneum, vel incongruens, invenerit in his Dialogis dictum, id imputet ei, quem introduxi loquentem; sed mihi, velim, si forte ullo in loco erratum est, imputet tantum.

Quam

Quam vellem, nuſquam erratum eſſet! Sed rarum iſtud ſcribendi genus; nec quicquam difficilius, quam reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. Quid mirum? ſi idem & mihi (nihil enim magnopere meorum miror) ex incogitantia contra meam voluntatem acciderit. Igitur, ſicubi aliqua in re, in primis vero, in iis, quæ ad latinitatem pertinent, deliquerim, veniam delicti peto. Ego aliorum non adeo ſeverus ſum cenſor, ſed Horatium, de arte Poëtica ita ſcribentem, ſectari communiter ſoleo:

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. ——

Rogo itaque B. L. ut etiam faciles ſe mihi præbeant, ac mutuam mihi præſtent benignitatem, quam aliis nunquam denegabo.

VIRO

VIRO CLARISSIMO

JOANNI CONRADO BARCHUSIO,

Cum Sympoſiaca ſua in lucem ederet.



Archuſi, Hermetica quam ſis perfectus in arte,
Eſt nemo, qui non noverit.
Sed nunc oſtendes (ceſſet petulantia linguæ)
Te plura ſcire: nam petis
Ortum & progreſſum Medicinæ a fontibus ipſis,
Et cuique partes das ſuas.
Corporis humani fabricam noviſſe, medenti.
Quos præſtet uſus, indieas.
Quid ſit homo, quid ſemen, ubi mens noſtra locetur,
Quid morbus & quid ſanitas:
Quæcunque Hippocrates, Celſus, quorumque vetuſtas
Superba jactat nomina:
Et quæcunque Arabes tradunt præcepta, quibuſque
Argutiis China utitur:
Quæque Paracelſi fuerit ſententia, Crollî,

Hel-

Helmontiique & Silvii:
Quæque alii multis docuerunt dogmata scri-
ptis
Justo recensęs ordine.
I nunc & jacta tua nomina magna vetustas,
Hic solus est par omnibus.

J. van HALM.

J. U. D.

SERIES

SERIES
DIALOGORUM.

DIALOGUS. I.

ORiginem & progressum Medicinæ generatim complectitur. Pag. 1

DIALOGUS. II.

De Elementis, Natura, & Caussis. pag. 24

DIALOGUS. III.

De Anatomiæ usu in Medicina. pag. 47

DIALOGUS. IV.

De Natura hominis, Semine genitali, sede Animæ & Sanitate. pag. 59

DIALOGUS. V.

De temperamentis & Facultatibus naturalibus. pag. 70

DIALOGUS. VI.

De morbis, Symptomatibus, quorundam morborum novitate. Medicamentorum inventione, & de facultatibus, Magia, arte Gymnastica, Frictione & Balneis. pag. 94

DIALOGUS. VII.

De Secta Empiricorum. pag. 142

DIALOGUS. VIII.

De Secta Methodicorum. pag. 155

DIALOGUS. IX.

De Doctrina Hippocratis. pag. 178

DIALOGUS. X.

De quorundam veterum Dogmaticorum placitis. pag. 203

DIALOGUS. XI.

De Astrologia. pag. 233

DIALOGUS. XII.

De placitis Asclepiadis, Celsi: De Pneumaticæ, & Episynthcticæ, & Eclecticæ Sectæ, decretis. pag. 248

DIALOGUS. XIII.

De Placitis Galeni. pag. 282

DIALOGUS. XIV.

De Typis, & de Græcorum, Arabum, Latinorumque, qui post Galeni excessum inclaruerunt; ut & de Chinensium Medicorum, placitis. pag. 320

DIALOGUS. XV.

De Doctrina Paracelsi. pag. 401

DIA-

DIALOGUS. XVI.

De Severini, Crollii, Scheunemanni, & Helmontii, hypotheſibus. pag. 442

DIALOGUS. XVII.

De Hypotheſibus Tackenii, Sylvii, & Williſii. pag. 485

DIALOGUS. XVIII.

De ratiociniis Medicorum, Theoria Geometrarum vel Mechanicorum, nixis. pag. 518

DIALOGUS. XIX.

De DD. Andry, de Moor, & Stahlii, placitis. pag. 572

Oratio de Nepenthe. pag. 610

Augustinus de Civit. Dei Libr. v. Cap. xxvii.

Sed considerent omnia diligenter: & si forte sine studio partium judicantes talia esse perspexerint, quæ potius exagitari, quam convelli possint garrulitate impudentissima, & quasi satyrica, vel mimica levitate, cohibeant suas nugas, & potius a prudentibus emendari, quam laudari ab imprudentibus, eligant. Nam si non ad libertatem vera dicendi, sed ad licentiam maledicendi tempus expectant: absit ut eis eveniat, quod ait Tullius de quodam, qui peccandi licentia felix appellabatur: O miserum cui peccare licebat. Unde quisquis est, qui maledicendi licentia fælicem se putat, multo erit fælicior, si hoc illi omnino non liceat, cum possit deposita inanitate jactantiæ etiam isto tempore tanquam studio consulendi quicquid voluerit, contradicere: & quantum possit ab eis, quos consulit amica disputatione, hoc est, honeste, graviter, libere, quod oportet, audire.

DIA-

DIALOGUS. I.

Originem & progreſſum Medicinæ generatim complectitur.

INvitati a me ad Sympoſium VALLANUS, BURMANNUS, RELANDUS, & LUCIUS. Veniebant, & in exedrio menſæ accumbebant: Triclinium namque ſumptuoſum, quale divitum eſt hominum, deerat nobis: ut & deerat menſa, opiparis lautitiis & cupediis, & Trimalchionis Opimiano Falerno annorum centum, ornata: Nihilominus convivæ, ferculo uno atque altero ſimplici contenti, mecum lætabantur, laudabantque potius ciborum ſimplicitatem: e contrario increpabant tot gulæ irritamenta, quot quot luxuria, Terræ Mariſque vaſtatrix, nonnunquam excogitare, atque ad devorandum ſui addictis offerre, ſolet. Et quamvis nobis Falernum, quamvis *Rhenanum*, deeſſet: Liber tamen uſitatum ſuppeditabat *Gallicanum*, ut animus aliquantum exhilaretur, linguaque haberet promptius ſermonem: Cummaxime autem accidebant hæc, cum poculum Philoteſium, more majorum fuerit propinatum.

Primus *Relandus*, ut eſt miræ feſtivitatis, fari occipiebat. Mihi veterum ſcripta pervolventi, inquit, in mentem ſæpenumero venit, fuiſſe quondam hoc in more poſitum, quod convivæ, ſatiata edendi cu-

piditate, ſolerent invicem colloquia, quæ ſympoſiaca, vel ſermones convivales vocantur, ſerere. Et quia hodie nobis horæ ſucciſivæ, quare non licet ſervare, quod ſolenne olim erat? Quantum in præſentia ad me ſpectat, avidus ſum cognoſcendi Medicinæ originem, & ſectas: & ad harumce cognitionem potiſſimum adducor, quoniam hic me video in medicorum conſeſſu poſitum. Tu *Burmanne* itaque, quandoquidem antiquitatis ſtudium cummaxime calles, profer, quæſo, aliquid in medium de eloquentiæ tuæ fonte, & da nobis Medicinæ inventores.

Hanc veniam deprecatus eſt *Burmannus*. Quæ præſens, inquit, locus & tempus exigunt, ego non calleo: quæ ego calleo, nec loco præſenti ſunt apta, nec tempori: attamen decet, ut ad juſſum tuum ſint periclitandæ ingenii vires; habe igitur reſponſum, aliam alios habuiſſe de inventoribus Medicinæ opinionem. Naſo [1] Apollinem Medicinæ inventorem ſtatuit; eundem enim loquentem hoc modo introduxit.

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.

Parens Poëſis, Homerum volo, [2] Pœonem: Æſchylus [3] Prometheum: & Pindarus [4] Chironem:

[1] Metamorph. lib. 1. ỳ. 521. Et *Callimachus* in hymno in Apollinem. ỳ. 45.

——— *ab ipſo*
Et Medici didicere moras innectere morti.

Hyginus. Fabul. Cap. 274. ſcribit Apollinem artem ocularium medicinam primum feciſſe.

[2] Iliad. Libr. 5. narrat Martem a Diomede vulneratum, auxilio Pæonis, dolorem lenientia medicamina inſpergentis, curatum fuiſſe.

[3] Cujus verſus inveni apud *Natalem Comitem* lib. IV. C. 17. ubi poëta hoc modo Prometheum adducit de inventis ſuis narrantem. *Illudque primum, ſiquis ægritudinem ſenſiſſet, ullum non erat remedium, nulla unctio, nullum fuit potabile his pharmacum. Arebant prius, quam ipſis ego commixtiones pharmacorum protuli, omnes quibus levantur ægritudines.*

[4] In Nemeis. Ode. III. *Habeo autem hunc ſermonem, qui*

ronem: Ægyptii vero, teſte Diodoro Siculo, [5] Iſin credunt Medicinam inveniſſe. Artemidorus [6] e diverſo ex divinis curationibus, in Templis Pergami & Alexandriæ ſuſpenſis, perhibet, aliquos exiſtimaſſe, Medicinam originem ſuam cepiſſe. Chiron Centaurus diſcipulos habuit Achillem [7] atque Æſculapium. [8] Achilles, teſte Homero [9] primus cauſam luis, quæ græcos invaſerat, deprehendit: nimirum ſentiens morbos, qui populum ſimul inficiunt, Epidemios vocant, ab Apolline eſſe, qui idem eſt Sol. [10] Achilles, Pelei filius, teſte Æliano

qui dicebatur olim Chiron alti conſilii vir educavit Jaſonem intra tectum lapideum, & poſtea Æſculapium, quem medicamentorum docuit applicationem multifariam, quæ ſit molli manu. *Hyginus* Fab. 274. ſcribit, Chironem Centaurum, Saturni filium, artem Medicinam Chirurgicam ex herbis primum inſtituiſſe. *Plinius* lib. 7. C. 56. Herbariam & medicamentariam, ſcribit, a Chirone repertam. *Plutarchus* Sympoſ. III. Quæſt. 1. monumentis prodidit; Tyrios Agenori, & Magnetes Chironi, primitias offerre; quod ii primi medicinam feciſſe exiſtimantur. Radices enim plantarum erant; quibus ægrotos ſanaverunt. *Xenophon* libr. de venatione, memoriæ prodidit, Chironem Jovis fratrem ab eodem patre quidem genitum; verum hunc natum ex Rhea, & illum e Nympha Najade.

[5] Lib. 1. Cap. XXV. tradunt, Iſin ſcientiæ Medicæ fuiſſe peritiſſimam & multa pharmaca; inter hæc vero iſtud, quod Athanaſia vocatur, inveniſſe: edocuiſſeque filium Horum, quem Apollinem interpretantur, medendi & vaticinandi artem Imo ad Iſidem ad Serapim homines vota pro recuperanda Sanitate faciebant.

[6] Libr. 4. Cap. 24.

[7] Vide *Ælianum* de animal. l. 1. C. XVIII.

[8] Teſte *Lactantio* de falſ. relig. l. 1. C. X.

[9] Iliad. L. I.

[10] Eundem Solem, ut auctor eſt *Plutarchus* libro de Homero, adducere anni tempeſtates: quæ ubi inæquali temperie conſtent, morbos gignere. Et in univerſum adeo ſalutem & exitium virorum Apollini, mulierum Dianæ, hoc eſt, Lunæ, Homerum adſcripſiſſe Quin etiam idem Plutarchus libr. de aud. Poetis, hoc elogium Achilli poſuit. *Atque ut erat*, ſcribit, *rei medicæ peritus, poſt nonum diem quo judicari talia natura fert, ſentiens morbum non eſſe vulgarem, aut ab uſitata aliqua cauſſa profectum, ſurgens dixit &c.*

[11] Patroclum Menoetii filium, Medicinam docuit. Æſculapius autem filios Podalirium & Machaonem Medicinam edocuit: & poſtquam Hippolytum, ab equis dilaniatum, ſicut fabuloſa finxit antiquitas, in vitam revocavit, fulmine tandem a Jove percuſſus, interiit. [12] Pauſanias [13] Mythologiam Æſculapii exhibens, ſcribit, Æſculapium aliud nihil,

[11] De animalibus. l. 1. c. XVIII. *Diſciplinas nimirum heroes tantum & deorum filii exercebant, & radicum naturam, variumque herbarum uſum, pharmacorum temperationem, cantiones tum inflammationibus, tum reprimendo ſanguini propitias, &c.*

[12] Diſſentiunt inter ſe auctores, quot fuerunt nomine Æſculapii nuncupati. *Marsham* Chron. ſec. 1. Æſculapium Ægyptium mille annis Græco ſeniorem. *Cicero* Lib. 3. de divinat. Tres, narrat, Æſculapios fuiſſe. *Æſculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primuſque vulnus obligaſſe dicitur, Secundus, ſecundi Mercurii frater. Is fulmine percuſſus, dicitur humatus eſſe Cynoſyris; tertius, Arſippi, & Arſenoa: qui primus purgationem alvi, dentiſque evulſionem, ut ferunt, invenit.* Cæteri auctores, qui de Æſculapio mentionem fecerunt, ut mihi videtur, per ſcripta ſua ſignificarunt Apollinis filium. Hunc *Pindarus* Pyth. od. III. appellat heroëm omnigenorum propulſatorem morborum, & *Ælianus* l. x. Cap. XLIX. morborum depulſorem: & *Plutarchus* ſympoſ. IX. Quæſt. XIV. Medicorum præſidem. Hunc alendum, ut *Pindarus* dicta Ode, & *Apollodorus* Bibl. lib. 3. & *Lactantius* de falſ. rel. l. 1. literis mandaruut, cum adhuc infans eſſet, a patre delatum ad Chironem Centaurum; a quo etiam Medicinam & venandi artem perdidiciſſe: quinimo ipſe parens, teſte *Galeno* introduct. C. 1., hunc erudivit ad Medicinam exercendam. Hunc, ut *Apollodorus* dicto loco narrat, cum jam Chirurgus evaſiſſet, atque artem ejuſmodi jampridem exercuiſſet, non modo quoſdam ab interitu liberaſſe; ſed etiam præmortuos in vitam revocaſſe. Et *Pindarus* memorata ode canit, *Eos itaque quotquot venerunt ad ipſum, ſponte natorum hulcerum participes, aut corruſco ferro membra ſauciati, aut ſaxo eminus miſſo, vel quibus æſtivus ignis depopulabatur corpus, aut frigus: liberans alium aliis doloribus eripui: quoſdam mollibus incantationibus tractans, quoſdam vero lenia bibentes, aut membris circumponens undique pharmaca, quoſdam etiam ſectionibus, ſtare fecit rector. Plato* dial. 3. de Repub. Æſculapium, arbitratur, eam oſtendiſſe Medicinam, qua pharmacis & inciſionibus infirmitas tolleretur. Corpora vero penitus interiori corruptione morboſa nequaquam aggreſſum fuiſſe,

nihil, quam aërem esse, ex quo bona valetudo, quam Græci ὑγίειαν appellant, tam homini, quam cunctis aliis animantibus, existat. Apollinem, qui is ipse Sol est, jure patrem Æsculapii perhiberi, quod

anni-

fuisse. Contra ac dixi, putat *Galenus* de val. tuend. lib. I. C. XI. qui posteaquam de curandis variis morbis, solo animi motu, ad debitum modum revocato, differuit, suæ sententiæ testem citat patrium Numen, Æsculapium videlicet. Is *multas scribi cantilenas, mimosque ridiculorum rerum fieri, & melodias quasdam instituit iis, quibus vehementiores animosæ partis motus, corporis temparamentum justo calidius efficerent. Aliis quibusdam, neque iis paucis, venari, equitare atque armatos exercitari jussit, iisdemque statim tum motuum ipsorum speciem, utique quibus motus injunxit, tum armorum quibus armatis exerceri præcepit, definivit. Diodorus Siculus.* Biblioth. Lib. IV. Cap. XXIII. monumentis prodidit. Hunc ingenio & vigore mentis excellentem scientiæ Medicæ graviter incubuisse, multaque hominibus ad valetudinem salutaria invenisse, eoque gloriæ processisse, ut cum multos desperate ægrotantes non sine miraculo sanaret, multos etiam ab inferis in vitam restituere existimaretur. Pluto id ægre ferens, quoniam numerus mortuorum subinde decresceret, atque adeo regni inferni potentia diminueretur, eum apud Iovem accusasse. Quem ob talia facinora ab Æsculapio perpetrata irritatum, hunc fulminis ictu necasse. Eandem necis caussam narrat Pindarus. Verum *Plinius* libr. 29. Cap. I. auctor est, Æsculapium fulmine ictum, quoniam Tyndaridem revocavisset ad vitam. Et *Sextus Empiricus* adversus grammaticos. Cap. XII. varias rationes affert, quare Æsculapius enectus fuerit. En verba. *Scientiæ nostræ primum auctorem Æsculapium dicunt fuisse fulmine percussum caussæ figmento non contenti, quod quidem varii transformant. Stenichorus quidem dicens, quod excitaverat aliquos, ex iis, qui Thebis ceciderant. Polyanthes autem, quoniam eos medicatus est, qui ira Junonis in filias furore erant perciti. Staphylus quod curavit Hippolythum fugientem ex Troezene. Philarchus, quod filiis Phinei excoecatis visum restituerit, gratificans eorum matri Cleopatræ Erechtei filiæ. Telesarchus denique, quod aggressus sit suscitare Orionem.* Hunc Æsculapium, ut *Hyginus* fab. 274. auctor est, Clinicem reperiviſse: & *Celsus* in præf. scribit, eum, quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc, Medicinam puta, scientiam paulo subtilius excoluit in deorum numero receptum esse. Et in præfat. introd. *Galeno* adscript. memoriæ proditum est, perfectam medicinam & omnibus numeris absolutam divinamque, Æsculapium solum invenisse. *Hujus deinde duo filii*, pergit

anniverſarias viciſſitudines curſu ſuo conficiens, aëri ſalubritatem impertiat. Huic Æſculapio, ut Strabo, [14] Pauſanias, [15] & alii [16] perhibent, poſteritas variis in regionibus templa dicavit, ut Epidauri, Coi, Tricæ, Myſæi, Romæ &c. in quibus mos erat ſuſpendere tabulas, curationes ægrotorum continentes. Has curationes, quæ ſcilicet in Coo reſervabantur [17] Strabo & Plinius [18] dicunt, Hippocratem ex curis, ibi in Coo ſc. dedicatis, excerpſiſſe, quæ ad victus rationem pertinent.

[18] Libr. XXIX. C. 1. Is cum

gitCelſus, *Podalyrius & Machaon bello Trojano ducem Agamnemonem ſecuti non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe, propoſuit.* Hos paternam edoctos artem multum apud Grajos gloriæ ſuis ſibi meritis comparaſſe, auctor eſt *Diodor. Sic.* antedicto loco, adeo, ut a conflictibus aliiſque publicis gravaminibus, propter eximiam Medicinæ, quam factitabant, utilitatem, immunes præ cæteris eſſent.

[13] In Achaicis, vel libr. 7.

[14] Geogr. libr. 8. ubi de Epidauro hoc modo ſcribit. *Hæc urbs non parum inſignis, præſertim ex Æſculapii claritate nobilitata, quem varia morborum genera curaſſe ſomniaſſe homines. Erat vero templum ægrotantium multitudine uſque quaque refertum, pendentibuſque tabellis, in quibus ſanati languores erant inſcripti. Quemadmodum & in Coa inſula fiebat pariter & Trica.*

[15] In Corinthiacis C. LXIX. varia loca memorat, ubi Æſculapius ut Numen quoddam colebatur, & in Achaicis. Cap. 235. *Modico a Myſæo intervallo*, ſcribit, *ſurgit Æſculapii Templum, Cyros appellatur. Multa hic monſtrantur morborum remedia.*

[16] Ut Q. *Screnus* in Præfat.

Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.

Ælianus l. 9. C. 33. de animal. narrat fabulam mulieris ex lumbrico laborantis, quam Epidaurum, ut ab hoc malo auxilio Æſculapii liberaretur, profectam. Hanc miniſtros, Deo abſente, in loco, ubi is mederi ſolebat, quieſcere primum juſſiſſe; deinde capite eique reſecto, unum eorum manu in ventrem immiſſa lumbricum, feram, ſane ingentem, exemiſſe; cum vero ii & multum & diu, fruſtra tamen, caput priſtinum in locum reponere conati fuiſſent, interim Deum revertiſſe, eoſque increpaſſe, quod rem ſupra artem & vim humanam aggreſſi fuiſſent; ipſum autem divino & ineffabili modo poſtea caput in antiquum corporis locum reſtituiſſe.

[17] Libr. XIV. *Dicunt etiam, Hippocratem ex curis, ibi in Coo ſc. dedicatis, excerpſiſſe, quæ ad victus rationem pertinent.*

Hippocratem exſcripſiſſe, ac inſtituiſſe Medicinam, quæ Clinice vocatur. Ejuſdem generis curæ erant paſſim in Ægypto, inque Italia, inque Græcia in Templis vel Æſculapio, vel Iſidi vel Serapidi, dedicatis, aſſervatæ. [19] Probabile itaque mihi videtur, hujuſmodi tabulas, vel in Æſculapii vel Iſidis templis ſuſpenſas, primam hominibus anſam dedidiſſe medicorum ſcholas illic extruendi, quo gentium ſcilicet ingens revaleſcentium memoria reſervaretur: hujus

cum fuiſſet mos, ſcribit, *liberatos morbis ſcribere in Templo ejus Dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret exſcripſiſſe ea traditur.* Hippocratem puta, *atque ut Varro apud nos credit, jam templo cremato, inſtituiſſe Medicinam hanc, quæ Clinice vocatur.*

[19] Varia hujus generis curationum monumenta paſſim proſtant. Ut apud *Mercurialem* de art. Gymn. l. 1. C. 1. qui ea ex Maphæorum monumento, in Templo Æculapii Roma invento, exſcripſit, & ex græco ſermone in latinum vertit. En exemplaria aliquot. *Lucio affecto lateris dolore, & deſperato a cunctis hominibus oraculum reddidit, veniret & ex ara tolleret cinerem, & una cum vino miſceret, & poneret ſupra latus: & convaluit & publice gratias egit Deo: & populus congratulatus eſt illi:* Aliud. *Sanguinem revomenti Juliano deſperato ab omnibus hominibus ex oraculo reſpondit Deus, veniret & ex ara caperet nucleos pini, & comedert una cum melle per tres dies: & convaluit, & veniens publice gratias egit præſente populo*, Aliud. *Valerio Apio, militi cæco, oraculum reddidit Deus, veniret & acciperet ſanguinem ex gallo albo, admiſcens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur ſupra oculos & vidit, & venit, & gratias egit publice Deo.* Aſſolebant ſimiliter in Templo Iſidis tabulas ſuſpendere. Teſtis eſt Tibullus L. 1. Eleg. 3.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis,

Quin etiam legi apud *Tomaſinum* C. XXXIV. de donariis, hanc Inſcriptionem,

ISIDI, ET. SERAP
SACRUM
PRO EX VOTO
FILIOLI. SALUTE
SUSCEPTA
SAURANA FECIT.

Ex qua apparet, confugiſſe olim ægros non modo ad Æſculapii, ſed etiam ad opem ſeu Iſidis ſeu Serapidis. Qui plura hujus generis monumenta deſiderat, is adeat Gruteri inſcriptiones. Cæterum non modo ex oraculo vel ore Sacerdotum addiſcebant morborum remedia: verum etiam ex inſomnio, quod

finis ergo, ut Medicina, tot experimentorum ſubſidiis nixa, tandem aliquando artis formam indueret. Scholæ medicorum longe celeberrimæ fuere quondam in Coo, Cnidio, Pergamo inque aliis regionibus, [20] ubi partim is ipſe Æſculapius vitam degit, partim ejus in honorem templa conſtructa, ac memoratis curationum monumentis ornata, extiterunt. Alexandriæ inprimis ſchola medicorum tantam ſortita famam eſt, Marcellino auctore, [21] ut tunc temporis Medico ſatis fuerit, ſi modo Alexandriæ artem didicerit; pari modo, ut patrum noſtrorum memoria, inclytus is medicus haberetur, qui artis fundamenta ſive Paduæ, ſive Montis Peſſuli, jecerit duntaxat.

Sed

in templo cujuſdam Dei, vel apud ſe ſomniarunt. Ita leno, quem morbus agitabat hepatarius, apud *Plautum* in Curcul. *act.* 2. ſcen. 1. & 2. in fano Æſculapii in ſomnis videbat Deum longe a ſe ſedentem ſeque non magni pendentem &c. Ita *miniſter Dei Pergami*, teſte *Galeno* de curandi rat. per Sang. miſſ. Cap. ultimo, *diutino lateris cruciatu laborans, liberatus eſt arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſum & ipſe illud inſomnii monitu.* Ita etiam vir dives, e media Thracia Pergamum, ſomnio ita jubente profectus ab Æſculapio admonebatur, ut medicamentum e viperis quotidie potaret, atque corpus forinſecus illiniret. Ac nonm ulto poſtea evaſit leproſus, deinde hac medicina, quam Deus docuerat, exquiſite convaluit. Ut *Galenus* de ſubfig Empir. cap. XII. memoriæ prodidit. Pari modo filii, a rabido cane morſi, mater videbat in quiete, radicem ſylveſtris roſæ. Quo remedio ſervatus eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit, ut auctor eſt *Plinius* Hiſt. n. Lib. 25. C. 1. Aliquando etiam quod aliquiſpiam uſu probatum habebat remedium Templo cujuſdam Dei Deæve dicavit. Hujus generis eſt collyrium ab Adriano Cæſare inventum, quod Aurifaber quidam moriens ut teſtamentum reliquit dicavitque templo Epheſio, quo ii, qui a medicis relicti eſſent, in templo ſanitatem conſequerentur. Deſcriptio ejus extat apud Ætium tetrabl. II. Serm. III. Cap. CXIII.

[20] Harum medicorum ſcholarum meminerunt *Strabo* libr. XII. & *Galenus* meth. med. l. I. Cap. 1.

[21] Libr. XXII. in fine fere. *Medicinæ autem*, ſcribit, *cujus*

in

Sed ſiſte paululum, eruditiſſime *Burmanne*, ajebat *Relandus*, ſcire percupio, an, quod ferunt, plurimæ nationes medicis caruerint, nec ne?

Hanc dubitationem ego, inquit *Lucius*, quamquam ſtudio antiquitatis non tantam, quantam noſtratium aliqui, operam dederim, eximere poſſum. Me equidem non fugit, Herodotum [22] memoriæ prodidiſſe, Babylonios antiquos Medicis haud uſos fuiſſe: Itidem Plinium [23] literis mandaſſe, millia gentium ſine medicis degere, velut a populo Romano ultra ſexcenteſimum annum factum; verum tamen offendo etiam, priſcis Babyloniis uſu veniſſe, ut languentes in forum efferrent, prætereuntes conſulendi gratia, an ſimili morbo laborarint? & ecquod remedium ipſis auxilio fuerit? Vero ſimile itaque mihi videtur, remedium uſu ſæpe ſæpius probatum, ab ægris, id flagitantibus, fuiſſe quoque uſurpatum. Eadem veterum Romanorum conditio eſt, quos, arbitror, remediis iiſdem uſos, quæ relatione, vel communicatione amicorum experta, antea didicerant. Namque is ipſe Plinius atteſtatur, vixiſſe quidem quaſdam gentes ſine Medicis, nec tamen ſine Medicina: quod non mirum auditu; ſiquidem credibile eſt, humanum genus tunc temporis æque ac nunc ægrotationi obnoxium, vehementerque deſideraſſe bonæ valetudinis recuperationem. Et quantumvis ægri medicorum, qui tunc ob carentiam præ-

 cepto-

in hac vita nec parca nec ſobria, deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur in dies, ut licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat Medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum.

[22] In Clione. Lege enim ſancitum erat, ut languentes in forum efferentur, prætereuntes de languore conſulendi gratia, an aliquis eodem morbo laborarit, an ſimilem viderint, &c. Neque enim fas erat ſilentio languentes prætерire, verum oportebat explorare quo affectu aliquis æger eſſet. Et *Plutarchus* de occulte vivendo. Priſci ægrotos ſuos in publico proponebant, ut prætereuntium qui-

ceptorum artis, non erant, auxilia non implorarent: amicorum tamen & prætereuntium flagitabant, qui ipſis in loco medicorum tunc inſerviebant. Tandem ſolertia hominum, neceſſitate impellente, factum eſt, ut alius addiſceret medicamenta, quæ crebriori uſu probata fuerunt in capitis affectibus: alius, quæ experta in oculorum vitiis: alius iterum atque iterum alicujus partis medicationem ſibi arrogaret. Nemo univerſum corpus, propter difficultatem operis, quia Medicina nondum erat in artis formam redacta, ad curandum ſuſcipiebat. En cauſam, quapropter apud priſcos Ægyptios, Herodoto ſcribente, [24] totidem medici fere, quotquot ſunt corporis humani partes. Alius oculis: alius capiti: alius occultis medebatur morbis &c.

Scrupulus unus reſtat, loqui *Relandus* redauſpicabatur, quem mihi opto exemptum. Nempe, Medicina an fuerit ſtudium ſervis proprium? Hoc dubium autem mihi in mentem venit, quoniam ſæpenumero doctorum in conſortio fui, ubi de hac re inter ſe controverſabantur: nec unquam, ut mihi ſaltem probatur, hoc argumentum contraverſioſum ad amuſſim diremptum, novi. Igitur *Burmanne*, quandoquidem hujus controverſiæ deciſio ex antiquitatis exemplis petenda, te arbitrum capiam, tuamque amplexurus, quam ex eruditionis tuæ promptuario depromſeris, ſententiam.

Ad

quivis, ſi quid vel ipſe eodem morbo conflictatus vel ſimiliter laboranti opitulatus medelæ noſſet, id ægrotanti ſignificaret, ajuntque artem hoc modo experientia adjuvante creviſſe.

[23] Hiſt. nat. libr. XXIX. Cap. 1.

[24] In Euterpe. *Medicina apud eos hunc in modum diſtributa eſt, ut ſingulorum morborum ſinguli ſint Medici & non plurium. Itaque omnia referta ſunt medicis: alii enim ſunt ocularii curandis oculis conſtituti, alii capiti, alii dentibus, alii alvi partibus, alii morbis occultis.*

[25]

Ad quod ille. Nimis valde tuo me laudes, *Relande*, atque nimium ſtudio qualicunque meo tribuis: ſed ut voluntati tuæ fiat ſatis, ſuppeditabo quæ in memoria nunc habeo. Verum enimvero, ut ordine quodammodo ſermonem meum inſtituam, ſciendum eſt, primos medicos, quorum in antiquiſſimis auctoribus mentio fit, homines ingenuos, & in ſummo honore a pleriſque nationibus habitos. Exempli loco ſint Chiron, Æſculapius, Machaon, & horum poſteri. Quid? quod Athenienſes, teſte Hygino, [25] Medicinam adeo honorificam exiſtimarunt, ut lege ſancitum eſſet, nequis ſervus aut fœmina artem Medicam diſceret. Quotus quiſque neſcit? Hippocratem, Dioclem, Eraſiſtratum &c. & apud ipſos Romanos, Aſclepiadem, Celſum, Sextium Nigrum, Julium Baſſum &c. non ſervos, ſed liberos homines fuiſſe, & ab omnibus honorificentiſſime appellatos. Quid? Cteſias, quem, Xenephon auctor eſt, [26] in exercitu Cyri medicum fuiſſe, an fuerit ſervus? Item Democides Polycratis Samii tyranni medicus, qui deinde captivus factus, Herodoto auctore, [27] Darium Hyſtaſpin ſanavit, qua de cauſſa ampliſſimos & honores & munera adeptus. Medici item, qui Alexandri Magni exercitui præerant, non magis merebantur ſervi vocari, quam alii, qui muniis militaribus fungebantur; quos quidem ſingulos, cedo, e miniſterio vel ſervitio Regis fuiſſe, non tamen ſervos, multo minus mancipia Regis. Curtius [28] de Philippo, natione Acarnan, narrat eum fuiſſe e numero medicorum nobilium, e Macedonia Regem ſequentium, quem Philippum Alexander, ob peractam morbi, qui Regem derepente invade-

[25] Fab. C. 274.
[26] De Cyri minor. exped. lib. 1.
[27] In Thalia vel libr. 3.
[28] Hiſtor. libr. III. Cap. 6. & Plutarch. in Alex.

vadebat, medicationem, donis magnificentiſſimis adfecit, &, ut Diodorus [29] narrat, in fidiſſimorum ordinem amicorum recepit. A Romanis ipſis anno V. C. DXXXV, ut Plinius [30] auctor eſt, Archagatho, Lyſaniæ filio, e Peloponneſo, oriundo jus Quiritum datum. Tempore Cæſarum plures medici in honore magno habebantur. Is ipſe Julius, Suetonio auctore, [31] circa Pharmacuſam Inſulam a prædonibus captus, manſit apud eos non ſine ſumma indignatione cum uno medico & cubiculariis duobus. Plutarchus in Cæſ. ſcribit cum uno amico: quod & vero mihi ſimile videtur, Cæſarem admodum charum habuiſſe medicum, quoniam comites ſervoſque cæteros initio ſtatim dimiſerat. Hic Julius etiam, Suetonio ſcribente, omnes Medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium doctores, [32] quo libentius & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. Ex quo loco planum fit medicos antea, ſimulatque advenas, urbem incoluiſſe. Nam, ſi omnes medici vel ſervi vel mancipia fuiſſent, ſervorum domini ſine ullo dubio conqueſturi eſſent, quod Cæſar, aliorum ſervos & libertate donaſſet, & civi-

[29] Biblioth. hiſt. libr. XVII. Cap. XXXI. & *Arrianus* de expedit. Alexand. libr. II. Alexandrum vi morbi levatum, benevolentiam in Philippum declaraſſe, & per verba ſignificaſſe, ſe ſemper eum pro amico fido habuiſſe.

[30] libr. 29. Cap. I.

[31] In Julio. Cap. I.

[32] In numero autem liberalium ſtudiorum, quæ Græci ἐλευθέρια appellant ponuntur rhetores, grammatici. geometræ. ff. Lib. L. tit. XIII. Quare autem Medicina non in numero artium liberalium collocetur, *Iſiodorus* Orig. l. 4. C. 13. has in medium affert rationes. *Quia hæ ſingulares continent cauſſas: illa vero omnia. Nam* & Grammaticam *medicus ſcire jubetur, ut intelligere vel exponere poſſit, quæ legit: ſimiliter* & Rhetoricam, *ut veracibus argumentis valeat definire, quæ tractat: nec non* Dialecticam *propter infirmitatum cauſſas ratione adhibita perſcrutandas: ſic* & Arithmeticam *propter numerum horarum in acceſſionibus* & *periodis dierum: non aliter* Geometriam *propter qualitates regionum* & *locorum ſitus, in quibus doceat, quid*

civitate; & quoniam nemo, qui in ſervitute erat, poterat civis Romanus fieri, neceſſe itaque erat, ut ſit prius liber, antequam civis. Efficitur itaque his rationibus, medicos, ut & liberalium artium doctores, liberos homines fuiſſe, cum eos Cæſar civitate donaſſet. Quid dicam de Eudemo medico? Quem, Tacito ſcriptore, [33] conſtat amicum & Medicum Liviæ Auguſti uxoris fuiſſe. Profecto non perſuadere mihi poſſum, Liviam adeo auctoritatis ſuæ negligentem, ut amicitiam cum ſervo contraheret. Ipſe Auguſtus quos honores, quam pecuniæ copiam, non dedit Antonio Muſæ propter egregiam ſanationem in ſe inſtitutam. Præter hæc concedebat ipſi, libertus enim erat, uſum annuli, equitibus alioquin familiaris tantum. Concedebat etiam, ut Dion Caſſius [34] memorat, immunitatem non ipſi modo; ſed omnibus eandem artem medicam exercentibus, & id quidem non ad tempus: verum etiam in poſterum. Quæ ſingula a me jamjam memorata, non intelligi poſſunt de ſervis medicis, quorum, confiteor ultro, ingentem Romæ fuiſſe numerum. Oportebat enim omnes prius manumiſſos, & libertate datos, antequam ejuſmodi immunitatum poſſent conſortes fieri. Quale factum autem ab Hiſtoricis memoriæ

quid quiſque obſervare debeat. Porro Muſica *incognita illi non erit: nam multa ſunt, quæ in græcis hominibus per hanc diſciplinam facta leguntur, ſicut habetur de Davide, qui a ſpiritu immundo Saulem arte modulationis eripuit. Aſclepiades Medicus quoque phreniticum quendam, per ſymphoniam priſtinæ ſanitati reſtituit. Poſtremo &* Aſtronomiam *notam habebit, per quam contempletur rationem aſtrorum & mutationem temporum. Nam ſicut ait quidam medicorum, cum ipſorum qualitatibus & noſtra corpora commutantur. Hinc eſt, quod Medicina ſecunda philoſophia dicitur. Utraque enim diſciplina totum hominem ſibi vendicat. Nam ſicut per illam anima, ita per hanc corpus, curatur.*

[33] Annal. lib. 4.

[34] Rom. Hiſt. libr. LIII.

moriæ haud proditum eſt; ſed potius conſtat, Auguſto e vivis ſublato, magnum ita dictorum medicorum numerum, temporibus poſterorum imperatorum, ſervitutem pluribus Urbis proceribus ſerviviſſe; adeo commune enim tunc temporis erat medicorum munus, ut vix decimus quiſque procerum, vel ditiorum civium, ſi non plures, ſaltem unum medicum, haberet. Alius enim erat Iatralipta, qui hero in ungendo in Balneis inſerviret: alius ocularius; alius auricularius: alius vulnerarius: alius ad aliud corporis vitium corrigendum animum ſuum applicabat. [35] Eodem modo propemodum, ut paulo ante de Medicis Ægyptiis mentionem feci, quorum alius aliam corporis ægritudinem curare ſolebat. Verbo adhuc moneam vos, neceſſe eſt, mihi videri vocabulum medici a priſcis, non ſpeciatim, ut id ætatis moris eſt; verum generatim, uſurpatum. Namque, qui nunc temporis chirurgi, balneatores, ocularii, herneæ medentes, lithotomi, & ſimili nomenclatura appellantur, hi olim univerſali nominatione Medici vocitabantur. [36] Cum ex adverſo hodierno tempore medici vocabulum ſtrictim uſu venit, nimirum pro homine, alicuipiam morbo internarum partium, medicante. Cujus generis etiam, exiſtimo, fuiſſe eos, qui immunitatem tam a Julio, quam ab

[35] Egregie in rem noſtram ff. Lib. L. Tit. 13. *Medicos fortaſſis quis accipiet etiam eos, qui alicujus corporis partes vel certi doloris ſanitatem pollicentur, ut puta ſi auricularius, ſi fiſtulæ vel dentium: non tamen ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, &c.*

[36] Quorum ſententiæ favet *Galenus* ad Thraſybulum Cap. XIV. *Etſi enim*, ſcribit, *quam maxime hunc herniæ diſſectorem; illam perforatorem, alium Calculi detractorem nuncupent: omnes tamen iſtos communi nomine medicos appellant, perinde ut eos, puto, qui a quibuſdam membris, quorum præcipue curam gerunt, vocitantur: hos namque ocularios, auricularios, denti frangibulos vel dentarios medicos nominant: nonnullis a materia nomen indiderunt, cibarios & medicamentarios, aut per Jovem, etiam* ber-

ab Auguſto, Cæſaribus impetrarunt. Tandem facite, Romæ unum atque alterum advenam Medicum in ſervitudine fuiſſe, an inde patet, Medicinam eſſe ſtudium ſervis proprium. Quid? nonne contingere poterat, ut aliquis ingenuus Medicus, ab hoſte captivus ac venum datus, deberet emptori ſervitutem ſervire: quod etiam nunc alicui noſtrorum nullo negotio contingere poſſe, ſi utpote is ab hoſte barbaro fuiſſet captus, quis ibit inficias? An inde, quæſo, judicate, idoneum argumentum conſequitur, artem medicam nonniſi a ſervis tractatam, & ei haudquaquam inter artes liberales locum, fuiſſe. Sed longius evagatus ſum, quam volebam. Detur & aliis negotium differendi, mihique autem auſcultandi: ego enim ſum fando feſſus. Sed Tu *Vallane*, amicorum integerrime, tu auditor ſermonum noſtrorum hactenus fuiſti, nos etiam decet, ut te loquentem audiamus. Pande caſus & initium ipſius Medicinæ. Enimvero nemo noſtrum ea melius ſcit, quam tu: Ab ephebis enim huic arti addiſcendæ, eidemque, maturiore ætate profectus alios docendi, operam navaſti.

Ad quæ *Vallanus*. Quandoquidem homines, inquit, ab initio variis corporis cum internis tum externis affectibus obnoxii fuerint, neceſſitas eoſdem coëgit Medicinam invenire. Equidem non diffiteor hanc caſu primum inventam, prout nempe aliquis in alicujus remedii applicatione periculum fecerit: vel etiam ab ipſis brutis medicationem didicerit, qua de cauſſa etiam Medicina ab initio admodum rudis exiſtebat, quia morbus juxta & remedium ignorabantur. Verum, poſtquam uſus, longa annorum ſerie crebrioque

herbarios vocantes: quidam praterea & nonnullos medicos Vinidatores & veratri datores appellarunt, quia eos crebro talibus remediis utentes conſpexerunt. Vide etiam cap. 11. de partib. artis medicat. IV., ubi etiam variorum medicorum mentio fit.

rique remediorum applicatione, confirmatus, alia; ac priora erant, dictabat, factum eſt, ut Medicina tandem artis formam indueret, & paulo ſubtilius excoleretur. Primam Medicinæ partem Chirurgiam fuiſſe, Celſus [37] auctor eſt: Veri namque ſimile mihi habetur primos homines, quia pecudum ferme in modum nudi incedebant, atque ſpecus vel tuguriola incolebant, pluribus, quam nos, periculis externis obnoxios fuiſſe: ad quæ profliganda neceſſitas ipſis auctor erat remediorum inventionis. Ita etiam primævi Medici, qui ante: imo ipſis temporibus Trojæ, vixerunt; animum applicabant tantum ad Chirurgiam; non liquet enim, eos neque in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii; ſed vulneribus tantummodò ferro & medicamentis mederi ſolitos. Ex quibus poſitis, Celſus apparere dicit, has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſque eſſe vetuſtiſſimas. Poſtmodum a poſteris tentatum internis corporis ægritudinibus medicari: quam medicationem, mea ſponte fateor, ab exordio in mera experientia, collocatam fuiſſe. At quia remedia uſu, quamquam crebriori, confirmata, non unius cujuſque naturæ accommodata, videbant, factum eſt, ut poſteri rationes cœperint ſcrutari. Hinc ortum eſt, ut Philoſophi, qui rerum cauſas indagabant, harumque rationes profitebantur, ſe quoque Medicinæ immiſcerent, atque conarentur rationis adminiculo inveſtigare, ecquid cauſæ eſſet, quapropter de eodem medicamento ſubinde infauſta exempla caperentur? Hinc factum eſt, ut medendi ſcientia Sapientiæ pars haberetur, & a compluribus Philoſophis doceretur. Exempli loco adducam Philoſophorum antiquorum longe clariſſimos Pythagoram, Empedoclem, Demo-

[37] In Præfat. ‡ Im-

mocritum, &c. ‡ Veterum Indorum Philoſophorum, quos alii Brachmanes : alii Gymnoſophiſtas vocant, eadem ratio eſto, apud quos etiam Sapientiæ ſtudium, Medicinæ conjunctum fuit. * Cæterum

‡ Imprimis vero Pythagoræ ſectatores Medicinæ operam navabant. *Apollonius Thyan.* in Epiſt. ad Euphrat. enumerat Medicinam, quam Pythagoras eodem Apollonio Critoni ſcribente, vocavit rem diviniſſimam, inter ea, quæ aliquis a Pythagoreo accipiat. Acuſmatici, qui etiam de familia Pythagoræ erant, dixerunt teſte *Jamblicho* de vit. Pyth. artic. 82. Medicinam eſſe in rebus humanis rem ſapientiſſimam. Quantum vero ſpectat ad medendi rationem, *Porphyrius* de vit. Pyth. literis prodidit art. 33. *Qui recte valerent, ſemper cum iis verſabatur*, Pythagoras nempe: *Si quo corporis morbo laborarent, eos curabat: ſin animo ægrotarent, conſolabatur miſeriam, dolorem partim incantationibus magiciſque carminibus, partim vero Muſica. Erant enim ei peculiaria quædam carmina, quibus corporum morbis medebatur, quæ cum accineret, ægros priſtinæ ſanitati reſtituebat. Erant etiam, quibus doloris oblivionem inducebat & iram mitigabat & libidinem importunam eximebat.* *Jamblichus* vero de aſſeclis ejus hæc artic. 163. & 244. habet. *Pythagorei eam Medicinæ partem maxime amplectebantur, quæ dietam moderatur, inque hac exercenda erant accuratiſſimi. Ac initio quidem ſigna nitebantur addiſcere, quibus congruum laboris, victuſque & ſomni modum explorarent: deinde quod ad ipſam ciborum præparandorum rationem attinet, illi fere primi commentari de ea, atque diſputare aggreſſi ſunt. Cataplaſmata autem frequentius quam, qui eos anteceſſerant, adhibebant; ſed ungenta medicata minus probabant, hiſque ipſis ad vulnera potiſſimum ſananda utebantur: inciſiones vero & uſtiones minime omnium admittebant. Quoſdam etiam morbos inſuper curabant incantationibus. Exiſtimabat autem ille*, Pythagoras ſc. *Muſicam quoque plurimum ad ſanitatem conferre, ſi quis ea legitimo modo utatur.* Et iterum idem auctor art. 208. *Inſignis ſapientiæ eſſe expendere & obſervare, qualibus alimentis utendum, quantumque cibi aſſumendum ſit: eam vero ſcientiam ab Apolline & Pæone traditam ac poſtea ab Æſculapio excultam fuiſſe.* Itidem *Ælianus.* var. Hiſt. l. 9. cap. XXII. atteſtatur, famam eſſe Pythagoreos, ſummum ſtudium & operam medicandi facultati dediſſe.

* De quibus *Strabo* Geogr. libr. XV. *Poſt Sylvicolas Brachmanes*, ſcribit, *in honore medicos eſſe, ut qui circa hominem philoſophentur, frugales quidem, non tamen ruſticantes, oryza & ordeaceis viventes, quæ nemo rogatus illis non irrogat, nemo hoſpitio non libenter ſuſcipit. Poſſe & eos facundos facere, & ma-*

Hippocrates meus [38] jamdudum ſuaſit, nos debere ſapientiam, transferre ad Medicinam, & Medicinam ad Sapientiam: Medicum enim Philoſophum, Deo eſſe æqualem. Hæc utcunque ab Hippocrate prolata fuerint, Celſus tamen [39] memoriæ prodidit, Hippocratem Coum, virum & arte & facundia inſignem, primum ex omnibus memoria dignis ab ſtudio Sapientiæ diſciplinam hanc, Medicinam ſc:, ſeparaviſſe. Scilicet Hippocratis noluit, ut Medicus prorſum abdicaret ſe ſtudio Sapientiæ, ſed amputanda voluit, quæ vel Logomachiam, vel nimiam curioſitatem, olerent. Inhærendum potius, duxit, ſtudio Phyſico, quippe id in Medicina incredibilis utilitatis. Sed quo elabor? ſi velim in præſentia enarrare ſingula, quæ a Philoſophia Hippocrates paſſim mutuatus, hora non una mihi opus eſſet. Unde tunc planum fit, eam ab Hippocrate honorificentiſſime appellatam, eandemque in cauſſa fuiſſe, ut artem Medicam rationalem primus ſtatueret: cum antea obſervationibus ſolum inhæreret. Quod ſupereſt, Medicinæ rudimentum oppido ſimplex fuiſſe, atque hoc, puto, non prolixa indigere demonſtratione, quoniam id ſingulis artibus commune eſt, ut, procedente tempore, magis magiſque indies, peracta rerum multiplici & obſervatione, & inventione, incrementa capiant, expoliantur, illuſtrentur, conſummentur. Et præterea, ſi aliquis veſtrum exoptet dictorum demonſtrationem, ab auctoritate petitam, ſufficiet modo recitaſſe, quæ Seneca

rium & fœminarum procreationem per medicamenta præſtare. Medicinam plurimum per cibos perfici, non autem per medicamenta. Ex medicamentis maxime unctiones probari, & cataplaſmata, cætera maleficii non eſſe expertia.

[38] Libro de decente ornatu.

[39] In eadem præfat.

neca hujus gratia memoria prodidit. [40] Nempe, Medicinam quondam paucarum fuiſſe ſcientiam herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim. Deinde in hanc, ut eam ætate ſua Seneca obſervabat, perveniſſe tam multiplicem varietatem. Etiam Plato [41] carpit inconcinnam farraginem, e vino Pramnio, farina & attrito caſeo, factam, Patrocli juſſu ſaucio Eurypylo propinatam, cujus facti Homerus mentionem facit. Denique quam rudes priſci medici fuere in præſcriptione purgantium, cumprimis vero Hellebori, abunde conſtat ex Cteſia, cujus fragmentum extat apud Oribaſium. [42] Scilicet periculoſæ plenum opus aleæ tractaſſe, qui ægrotantibus auſi fuerunt elleborum dare. Hinc etiam apud antiquos Ægyptios, teſte Ariſtotele, [43] interdictum erat, ante triduum nequis purgationem in ægris inſtitueret.

Hactenus copioſe & abundanter vos audivi de inventoribus, deque initiis Medicinæ diſſerentes, interpellabat *Relandus*, ſcire percupio, quid vos medici vocabulo Medicinæ intelligendum eſſe, putetis?

Grammaticis non ignotum eſt, inquit *Lucius*, vocem Medicinæ ſolere bifariam uſu venire. Nimirum interdum medicamentum, quod vel intrinſe-

[40] Epiſt. ad Lucill. xcv.

[41] De Rep. Dial. III.

[42] Libr. 8. Cap. 8. Medic. coll., ſiquidem neque ejus temperiem, neque modum, neque pondus, quod dandum eſſet, illos cognoviſſe. Si vero quiſpiam elleborum potui daret, imprimis hominem admonebat, fore, ut in magnum periculum caſurus eſſet. Cæterum ex iis, qui ſumpſerunt, multos ſuffocatos, paucos ſervatos: at nunc, Cteſii utpote tempore, tuto dari, videri. Melampo tamen, quem *Apollodorus*, biblioth. lib. II. ſcribit, pharmacorum & purgandi rationem inveniſſe, res ſucceſſit ex ſententia, ſiquidem is uſu ellebori albi Proeti filias, mente alienatas, curavit, teſte *Galeno* libr. de atra bile.

[43] Politic. l. III. Cap. XV. *Et in Ægypto poſt tertium diem movere licet, quod ſi prius, periculo id agant ſuo.*

cus, vel forinſecus, corporis ægritudini medendi cauſa, applicatur, ſignificare: ſubinde ipſam duntaxat artem medicam, quam Hipporates [44] ita definit, Medicina nihil eſt niſi adpoſitio & ablatio. Ablatio quidem eorum, quæ excedunt: adpoſitio vero eorum, quæ deficiunt. Aliam Medicinæ definitionem ſuggerit Hippocrates, ni memoria me fallit, libro de arte ubi hoc modo: Medicinam ſentio, ſcribit, eſſe morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere. Sed hæc Medicinæ definitio ambigua eſt; poteſt enim utrique tum arti puta, tum remedio, applicari. Herophilus voluit, Medicinam eſſe ſcientiam ſanorum, ægrorum, & neutrorum. [45] Secundum Galenum [46] Medicina eſt ſcientia ſanitatem conſervandi, & morbos repellendi. Moderni noſtri medici aliis verbis quidem exhibent Medicinæ definitionem, at res eodem redit. Exempli cauſa, ſive aliquis cum Waldſchmidio [47] dixerit, Medicina eſt ars vel ſcientia integram corporis humani fabricam conſervandi, & labefactatam convenientibus alimentis & remediis reſtituendi: ſive cum Valentino, [48] Medicina eſt ars vel facultas ſanitatem corporis humani præſentem conſervandi, eandemque labefactatam reſtituendi. Judicate jam, nonne, ut monui hujuſmodi definitiones interſe ſimiles ſint?

Quinimo ita mihi videtur, reſpondebat *Relandus*. Verum enim, vobis Medicis, hoc erudiri cupio, num ſit artis veſtræ quædam diviſio. Non neſcios namque vos eſſe, reor, logicos, cum generatim prius de

[44] Libro de flatibus.

[45] Ita *Galenus* de ſubfig. Empir. Cap. III. & de arte Medic. cap. II. & *Plutarchus* de Homero libr.

[46] Introd. Cap. V. & *Sextus Empiric.* adv. gramm. C. 2. dicit, Medicina eſt ars remedium afferens & dolores ſolvens.

[47] In inſtit. Cap. I. §. 5.

[48]

de rebus diſſeruerint, ſolere poſtea particulatim eas partiri, ut eo convenientiorem ordinem diſſerendi animo tenerent.

Quidni? inquit *Vallanus*; plurifaria etenim eſt nobis Medicinæ diviſio, & primo quidem hæc juxta Plutarchum [49] bipertitur. Partem unam, arbitratur, in contemplatione poſitam, quamque univerſalibus rationibus certaque via doctrinæ ad ſingulorum cognitionem perducere. Et hæc eſt, quæ Phyſiologiæ nomine inſignitur: alteram vero eſſe effectricem, cujus partes eſſe tres, primam, quæ Diætetica vocatur, victus rationem præſcribere: ſecundam, quæ Chirurgia nominatur, manuum opera uti, & tertiam, quæ pharmaceutica appellatur, medicamenta adhibere. Theutas Empiricus totam [50] Medicinam in tres partes diviſit, in indicationem, curationem, & ſalubrem: has autem univerſas acquiri per proprium intuitum, hiſtoriam & congruum, de re ſimili ad ſimilem, tranſitum. Hodierni Medici Diætetici quinquepertitam plerumque tradunt Medicinam. Primam partem appellant Phyſiologiam: ſecundam Pathologiam: tertiam Semioticam: quartam Hygieinam: quintam denique Therapeuam. Et hæ poſtremæ ſunt ipſius Medicinæ Clinicæ, quatenus vel ſcientia vel ars eſt, diviſiones. De Cætero, Herophili & Eraſiſtrati temporibus [51] tota ars Medica in tres partes diducta eſt, (quam ſententiam ante memoratus Plutarchus quoque amplexus) ſcilicet ut una eſſet, quæ victu: altera, quæ medicamentis: tertia, quæ manu mederetur. Veteres enim prolixum atque difficile ſtudium medicum cognoverunt, in tantum, ut exiſtimarent unum hominem in ſingulis

[48] In Curſu Medico in prælim. §. 2.

[49] In libro de Homero.

[50] *Galenus* de ſubſig. Empir. Cap. III.

[51] *Celſus* in Præfat. lib. 1.

Medicinæ partibus excellere non poſſe. Qua de cauſſa etiam factum, autumo, ut ad privam partem addiſcendam ſe peculiaris homo applicaret, qui victu curabant, Diætetici: qui medicamenta præſcribebant, Pharmaceutici: qui manu medebantur, Chirurgi nuncupabantur: Præter hæc Medicina dividitur in Sectas, quo vocabulo Galenus [52] intelligit collectionem multorum dogmatum ſibi ipſis concordantium, & ad unum finem tendentium. Sectæ Medicorum principes tres fuere, & imprimis ab Hippocrate uſque ad noſtra tempora floruerunt (1) dogmatica (2) Empirica; & (3) methodica. [53] Nolim, putetis, præter harum trium dictarum ſectarum opiniones nullas alias aut olim fuiſſe, aut nunc eſſe in uſu: contrarium enim claret ſatis; ſed licet unus atque alter diſparem videatur ſententiam fovere, poteſt tamen is facili negotio alicuipiam e tribus nominatis adnumerari: præſertim vero, cum Galenici, Iatrochemici, Mechanici, vel mathemathici, ut plurimi medicorum audiri geſtiunt, deſiderant, & acquieſcunt, ſi quando in dogmaticorum ſeu rationalium numero collocentur. Et, ut paucis verbis eloquar, quæ cujuſcunque ſectæ fundamenta erant, habete, quod ii, qui rationalem medicinam profitentur, dogmatici alias vocantur, neceſſaria eſſe proponant, abditarum & morbos continentium cauſſarum notitiam: deinde evidentium; poſthæc etiam naturalium actionum: noviſſime partium interiorum; Empirici autem evidentes quidem cauſſas, ut neceſſarias amplectantur: obſcurarum vero cauſarum & natura-

[52] In finit. medic. Cap. 1. ubi adhuc aliæ vocabuli Sectæ definitiones.

[53] *Celſus* in Præf. lib. 1. *Auſonius* Eydill. XI. Præter has, quartam ſectam inveniſſe videtur Agathinus Lacedæmonius, quam græce επισυνθετίκην vocant, ut auctor finition. medic. Cap. 1. tradit.

[54]

naturalium actionum quæſtionem ſupervacuam eſſe contendant. Methodici denique ſtatuerunt, ſatis eſſe quædam communia morborum intueri: ſiquidem horum tria genera eſſe, unum adſtrictum, alterum fluens, tertium mixtum. Et hæc ſunt, quæ e Celſo, familiari meo, didici, qui inſuper argumenta, quibus ſuam quæque ſecta ſententiam munire ſatagit, abundanter deſcribit: & quæ explicanda in poſterum fuſius aggrediar. Sufficiet depræſentiarum meminiſſe auctores trium ſectarum, Dogmaticæ quidem Æſculapius habetur auctor: Sed, quia nulla ejus ſcripta extant, quibus aſſertum probare poſſumus, oportet Hippocrati, vetuſtiſſimo Medicinæ ſcriptori, primatum Dogmaticæ deferre. Celſus ſcribit Serapionem primum Medicinam in uſu & experimentis poſuiſſe: Plinius ex adverſo ſtatuit Acronem Agrigentinum; Galenus autem Philinum Coum ſeparaſſe Empiricam primum a Rationali. Methodicæ Hæreſis repertor ab omnibus fere habetur Themiſon, abſolviſſe autem eam Neronis principatu Theſſalum Trallianum. [54] Tandem Plinius memorat Iatrolipticem a Prodico inventam, ceu vero ea peculiaris ſecta fuiſſet, cujus aſſeclæ unguentis & frictionibus pleroſque morbos fere curare conabantur. At enimvero veterum ſcripta pervolventi facile innoteſcet haud magni momenti fuiſſe hanc, ut mereretur ſecta priva vocari; Quandoquidem Iatra-

tiptæ,

[54] Vide *Celſum* in Præfat. *Plinium* H. nat. l. XXIX. Cap. 1. *Galenum* introd. Cap. 3. Ab his longe diſcrepat *Iſiodorus Hiſpal.* orig. lib. 4. Cap. IV. *Methodica*, ſcribit, *inventa eſt ab Apolline, quæ remedia ſectatur & carmina. Empirica i. e. experientiſſima, inventa eſt ab Æſculapio, quæ non inditiorum ſignis, ſed ſolis conſtat experimentis. Logica. i. e. rationalis inventa ab Hippocrate. Iſtis enim dicuſſis ætatum, regionum, vel ægritudinum qualitatibus, artis curam rationabiliter perſcrutatus eſt. Empirici ergo experientiam ſolam ſectantur. Logici experentiæ rationem adjungunt. Methodici nec elementorum rationem obſervant nec tempora nec ætates, ſed ſolas morborum ſubſtantias.*

liptæ, vel aliptæ, latine unctores, ejuſdem generis medici erant, ut auricularii, oculariі, &c. qui ſervitutem plurimum apud proceres Urbis ſerviebant: qui non ad totam Medicinam addiſcendam; at potius ad partem ejus aliquam exercendam, animum appellebant. Quæ cum ita ſint, ſequitur eos haud poſſe medicis, Diæteticæ vel Clinicæ operam dantibus, adnumerari: multo minus peculiaris medicorum ſecta appellari. Sed ſermonem finiam, exigit ſerior veſpera; ut & mihi etiamnum ſupereſt negotium aliquos ægros viſitandi. Quæ cum eſſent dicta ſurreximus, quoniam & cæteri convivæ ſeriorem veſperam, commorationi diuturnæ inhabilem, cauſabantur.

DIALOGUS. II.

De Elementis, Natura, & Cauſſis.

INviſebant a prandio domum meam & *Relandus* & *Serrarius*, horas, quæ tunc temporis nobis ſubceſivæ erant, ſermonibus fallendi cauſſa. Impetrante mihi veniam interrogandi, inquam, & proferendi quædam, quæ a vobis, viri longe doctiſſimi, eruditi pervelim. Non enim neſcios eſſe vos, arbitror, in dicendo pergebam, Medicos cœpiſſe tum rationales vocari, cum multifaria a Philoſophia mutuarint, eorundemque adminiculo corporis humani habitum tam ſanum, quam morbidum, explicare conati fuerint. Medicina namque, ut nemo noſtrum quiſquam ignorat, ab initio in mera experientia erat ſita.

Et ego cogitabam hæc, inquit *Relandus*. Etenim dum nuperæ collucutionis, de initiis Medicinæ habitæ, recordor, tunc inſimul variarum Medicinæ ſectarum fuit mentio facta. Cujuſmodi Medicinæ in varias

varias ſectas diviſio procul dubio originem ſuam debet potiſſimum Philoſophiæ; cujus dogmata, ut ego reor, quanto majorem convenientiam cum œconomia corporis humani videbantur habere, tanto & hæc avidius a medicis in artem interpolandam ſuſcipiebantur.

Etiam hæc mihi, inquam, ſimillima habentur veri, ſed quid Philoſophia?

Ignoras tu, inquit *Relandus*, Philoſophiam artem eſſe artium, & diſciplinam diſciplinarum. [1] Neſcis encomium, quod ei Tullius tribuit, Laudari ſatis digne nunquam poterit Philoſophia, ait, cui, qui pareat, omne tempus ætatis ſine moleſtia poſſit degere. Vis definitionem, audi iterum Ciceronem. [2] Philoſophia eſt rerum divinarum & humanarum, cauſſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia.

Ad quod ego. Admirandum ſane, inquam, & curioſum genus hominum, quod talia, quæ in hac diſciplina tradi ſolent, excogitare pote fuerit. Præſagivit id olim Hermes, [3] cum Horo ſuo manifeſtarit, homines herbarum radices effoſſuros, ſuccorumque qualitatem examinaturos, lapidum naturas conſideraturos, ac media diſſecturos animalia, non brutorum tantum, ſed ſuam quoque compoſitionem cognoſcendi gratia: audaces quoque manus mari injecturos, cæſaque ſponte naſcente materie, in alteram continentem trajecturos: naturam denique in ſacris penetralibus latentem perquiſituros, altum petituros, cælique motum obſervaturos. Hæc, & cætera, quæ in eodem tractatu ſequuntur, ab Her-

[1] Ita Euſtachius ad Diſarim apud *Macrobium* Saturnal. libr. 7. Cap. xv.

[2] De offic. libr. 11. de laude philoſophiæ, omnium artium matris, paſſim idem mentionem facit, ut Tuſc. Q. Libr. v. & alibi.

[3] Locus excerptus eſt apud *Stobæum* Eclog. l. 1. C. xl. de morte.

mete vaticinata, ea ſunt, quæ philoſophi ſuos diſcipulos, ut mihi videtur, docere ſolebant.

Quinimo, inquit, *Serrarius*, & hæc, ut majore commoditate addiſci poſſent, in privas claſſes diſtribuerunt primi Sapientiæ profeſſores, ut in Logicam, Metaphyſicam, Pneumaticam, Phyſicam & Mathemathicam: quæ partes rurſus conjunctim ſumptæ conſtituunt Philoſophiam, a nonnullis Theoreticam appellatam: Practicam autem, quæ eſt altera Philoſophiæ generalis pars, iterum diſpeſcunt in Ethicam, OEconomicam, Politicam, &c.

Sed miſſa faciamus hæc, interpellabam: Etenim ea, ſi cuipiam animus eſſet particulatim tractandi, elaberetur is, uti ego perſuaſum habeo, in Hiſtoriam Philoſophicam, haudquaquam ſcopo noſtro inſervituram: quoniam ea gratia confabulationem noſtram capeſſivimus, ut propalam collocetur, quanto adjumento Philoſophia Medicinæ fuit, ut auxiliantibus ſuis principiis de morborum indole, deque aliis, ad artem medicam ſpectantibus, ratiocinari poſſet.

Oſtium, me hæc dicente, pulſari, idemque concrepare. Ecce aderat reprehenſor audaculus verborum, qui tendiculas literarum, & perpauca eademque a vulgo protrita proferre ſolebat, habebatque nonnullas diſciplinæ Grammaticæ inauditiunculas, partim rudes inchoataſque, partim non probas; eaſque quaſi pulverem ob oculos, cum adortus quemque fuerat, aſpergebat.

Is, ſermone meo de principiis rerum audito, interfabatur. Veſtrum neminem, opinor, inquit, intelligere quid ſignificent vocabula elementi & principii; enimvero admodum obſcura partim, partim ambigua exiſtunt: ſi me modo arbitrum expetiveritis, poſſum tum ego, quippe ſum gnarus Grammaticæ, nodum hunc extemplo diſſolvere.

Ad

Ad quæ *Relandus*. O felicem, inquit, matrem tuam, quæ te adeo doctum peperit! Macte virtute eſto. Raram facit miſturam cum ſapientia forma. Da nobis, ſiquidem hæc tibi perplacuere, aliam vocum Principii & elementi ſignificationem, quam tu nobis eſſe putas.

Cui noſter logomachus reſpondebat. Platonis, inquit, complector ſententiam, ſtatuentis elementum eſſe compoſitum & effectum: principium vero ſe nihil prius, ex quo gigni potuerit, habere. [4] Itidem Stoici, teſte Laertio, [5] agnoverunt diſtinctam vocum ſignificationem. Differre enim, ſtatuebant principia & elementa. Nam illa quidem ingenita eſſe, & corrumpi non poſſe: elementa vero per igneam evaporationem corrumpi Adhæc principia eſſe corporea & informia: elementa autem formata.

Tu itaque auctoritate nobiſcum pugnas, inquit *Serrarius*, Te tuo ipſius gladio jugulem, neceſſe eſt. Habe igitur, pleroſque Sapientiæ Profeſſores vocabulis elementi & principii pariter, ſimulatque ſynonymis, uſos fuiſſe. Vis dicti probationem, inſpice Stagyritam, ſi tibi volupe fuerit, is paſſim in ſcriptis ſuis hæc nomina identidem, tanquam idem ſignificantia, uſurpat. Exempli cauſſa, alicubi locorum ſcribit, principia neque ex alterutris eſſe, neque ex aliis, & ex his omnia: & paulo poſt, omnes enim elementa, & ab ipſis vocata principia, quamvis ſine ratione ponant, tamen contraria dicunt. Scilicet ii, qui notiora ſecundum ſenſum: & qui notiora ſecundum rationem pro principiis, vel elementis accipunt. Etenim hoc Cap. v. L. 1. Phyſ. confutat variorum Philoſophorum de elementis vel principiis opiniones. Elementi autem Ariſtoteles omnimodam tradit definitio-

[4] *Galenus* Hiſtor. Philoſ. Cap. XVII.

[5] Libro VII. de Zenone.

[6]

nitionem. v. g. Elementum dicitur, ex quo componitur primo inexiſtente indiviſibili ſpecie in aliam ſpeciem; vel corporum elementa vocantur ultima, in quæ copora dividuntur: vel quod parvum & ſimplex & individuum, hoc elementum dicitur. [6] Quid, quod Stoici, quorum teſtimonium tu paulo ante memoraſti, cum elementum hoc pacto definiunt: Nempe Elementum eſt ex quo primum prodeunt, quæ fiunt, & in quod extremum ſolvuntur; idem dicunt quod de principiis aſſerunt, excepto eo, quod dicant elementum corporis compoſiti ignea evaporatione corrumpi poſſe, quod ego pernego, materiam utpote ſimpliciſſimam alterationi corruptionive eſſe obnoxiam; quia nulla res, niſi variis ex primordiis coalita fuerit, corrumpi vel aliam formam, citra alterius rei peregrinæ additionem, aſſumere poteſt. Sin vero teſtimonium latini auctoris tibi potius placuerit, dabo exempla & primum Ciceronis, [7] qui qualitates principes, uniuſmodi & ſimplices vocat aerem, ignem, &c. ergo, pergit, illa initia, ut e Græco vertam, elementa dicuntur: & alibi [8] enumerat variorum priſcorum phyſicorum de elementis opiniones, ubi ea nominat principia rerum: & iterum alio in loco [9] hoc pacto ſcribit, Ariſtoſteles longe omnibus, Platonem ſemper excipio, præſtans & ingenio & diligentia, cum quatuor illa genera principiorum eſſet complexus, e quibus omnia orirentur quintam, &c. hæſitas ne adhuc? heic a Cicerone principia, quæ vulgo elementa, appellari. Præter hæc Vitruvius, auctor longe eruditiſſimus [10] cum quoque recenſeret numerum elementorum juxta variorum Philoſo-

[6] Vide ejus Metaphyſ. libr. IIII. Cap. III. De cælo libr. III. Cap. III. &c. loca.

[7] Academ. Quæſt. libr. I.

[8] Academ. Quæſt. libr. IV.

[9] Tuſculan. Quæſt. lib. I.

[10] In præfat. libr. VIII. de Architectur.

Philoſophorum ſententiam, vocat ea principia. Verum, mi curioſe verborum diſceptator, verba facere *Serrarius* pergebat, nonne convictas nobis dabis manus, vocabula ante memorata eſſe ſynonyma? proferas meliora, neceſſe eſt, ſi vis, ut tuam amplectamur ſententiam.

Quid? mihi nunc tu, inquit Calophonta, tanquam alicui loquaci & fortaſſe docto, atque erudito, quæſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponis? Sed, utut quæſtionem argumentis exquiſitiſſimis probavero, auguror me ſurdis, ut ajunt, fabulam narraturum: quippe, ut mihi probatur, intelligentiam verborum flocci penditis. An ignoratis Literas theſaurum eſſe & artificium, quod nunquam moritur?

Concedo, inquit *Relandus*, ſi per literas omnis generis diſciplinas vel ſtudia liberalia intellexeris: ſin autem peritiam Grammaticæ duntaxat, inficior tum pronunciatum tuum. Sed quo effugis, amice, via aberras, ad propoſitam quæſtionem tibi redeundum eſt.

Eja! quaſi vero hæc res non haberet panem, ajebat cavillator noſter; nequeo enim conticere, hoc a te in Grammaticam non minus frigide ſane, quam inaniter, dictum.

Vah! bella res eſt, inquit *Relandus*, miſſas fac, quæſo, iſtiuſmodi batologias. Ego viciſſim te interrogo, numne concedas vocabula principii & elementi idem indicare.

Minime gentium; reſpondebat vitilitigator. Nomen namque principii huic rei tantum eſſe tribuendum, exiſtimo, quæ alteram conſtituit, atque illius compoſitionem ingreditur: vel id principium nomino, ex quo primum res aliqua ortum duxit: ideoque hoc erit quoddam ſimpliciſſimum differt autem, mea

hæc

hæc ſententia eſt, inter ſe hac conditione utrumque. Scilicet principium eſt aliquid quodammodo incompletum & indeterminatum: ex adverſo elementum eſt aliquid modo completum & determinatum. [11] Quotus quiſque Philoſophorum tam bene, quam ego nunc, hæc vocabula diſtinxit?

Ad quod iterum *Relandus*. Et tu tam laborioſus es, inquit, ut poſt te non reſpicias: in alio pediculum vides, in te ricinum non vides, tibi ſoli ridiculi videmus. Quantum ad me ſpectat non capio putatitiam tuam ſubtilitatem; ſcientiam namque qualemcumque meam fugit aliquid quodammodo incompletum & indeterminatum. Putas ne materiam fortaſſis informem? Sed ubi gentium reperitur hæc? Quod ad me pertinet, ſcias, pervelim, quamprimum audivero nomen materiæ, mihi illico in mentem venire hanc quadantenus figuratam; vel ſaltem eſſe, quantulumcunque fuerit, aut in longum, aut in latum, aut in profundum, extenſam; & ſi eadem talibus attributis caruerit, ineptum me tum eſſe ad efformandum ullum cogitatum in mente mea materiei alicujus, in rerum natura exiſtentis; ſed potius me eandem ad claſſem ſpirituum relegare, cujuſmodi ſpiritus id ætatis nomenclatura rei cogitantis, vel intelligentis, ſolent frequentiſſime appellari. Verum o bone! continuabat *Relandus*, num fingo? num mentior?

[11] Elementum eſſe partem, volunt, ex quo corpora compoſita originem duxerunt, & in quod iterum reſolvitur, ſpecie minimum & ſimpliciſſimum; verum enim vero principium, in quod ratione cogitationeque duntaxat diſſolvitur corpus naturale, & illud per ſe ſubſiſtere haud poſſe. vide *Eraſti.* diſput. part. II. *Fernelii* Part. I. libr. II. Cap. III. *Plutarchi* de plac. phil. lib. I. Cap. II. *Fuchſii* inſtit. lib. I. ſect. II. Cap. IV. &c. Utut dictorum aſſertio fuerit, *Sextus Empiricus* tamen l. VIII. comm. variorum de elementis opiniones recenſens, promiſcue rebus tum corporeis tum incorporeis nomen elementi imponit.

[12]

tior? cupio refelli. Quid enim laboro, niſi ut veritas in omni quæſtione explicetur.

Et ego, inquam, me liti veſtræ interponam, neceſſum eſt, agite, batologias de medio; ſuaviter ſit potius, & Tu *Relande*, amicorum integerrime, parce, amabo, huic Grammatico: ſanguis illi fervet, tu melior eſto. Semper hac in re qui vincitur, vincit. Contra confabulationem noſtram continuemus, ac de te audiamus, quænam res a Philoſophis fuerint pro principiis vel elementis habitæ.

Tu poſtulas negotium a me, inquit *Relandus*, cujus executioni parum abeſt, quin inhabilis ſim. Enimvero omnes, qui de rerum natura aliquid locuti ſunt, concordes materiam eſſe concedunt, quænam vero ſit, non omnes conſentiunt: Si enim unquam, tunc ſane in hoc argumento perturbat nos opinionum varietas, hominumque diſſenſio in tantum, ut aſſerere non verear, non magis in apricum proferri hominum ignorantia, quam cum ſibi id negotium dent, ut rerum primordia oſtendant. Dabo modo, quæ in memoria jam habeo. Primus Homerus Oceanum cunctarum rerum parentem dixit. [12] Thales Mileſius [13] aquam, quam ſententiam patrum noſtrorum memoria etiam amplexus eſt Helmontius. Ignem, aërem, aquam & Terram pro elementis agnoverunt Orpheus, [14] Zoroaſter, [15] Zenon, [16] Empedo-

[12] In iliad Ξ.

[13] *Stobæus* Eclog. phyſic. l. 1. C. XIII. *Seneca* nat. Quæſt. lib. 3. Cap. 13. *Cicero*. Acad. Q. l. 1. *Vitruvius* l. 8. *Plutarchus* de placit. phil. lib. 1. C. 3. *Euſebius* præp. Evang. lib. XIV. C. V. *Galenus* de elem. lib. 1. C. VIII. *Servius* in Bucol. Eclog. VI. Virgilii.

[14] *Stobæus* dict. Eclog.

Atque unum eſt, in quo volvuntur ſingula, corpus Ignis, aqua, & tellus atque æther ——

[15] *Hyde* de relig. vet. Perſar. C. XXXIV. *Elementa omnia tenentur ſervare pura, prout in libro zeratushtnama præcipitur.* 167. *conatum adhibeant ut elementa quatuor in puritate conſervent*

pedocles ‡ Ocellus Lucanus * Xenophanes, [17] & Ægyptii. Hi Ægyptii, teſte Seneca, [18] ex ſingulis bina, marem & fœminam fecere. Ariſtoteles [19] dictis quatuor, quintum quoddam corpus æthereum adjecit. Hippocrates ante Ariſtotelem, & Galenus, & eorundem aſſeclæ antedictum quaternarium elementorum acceperunt. Quatuor elementorum qualitates, calidum utpote, frigidum, humidum & ſiccum pro principiis agnoverunt, Strato Phyſicus [20] & Atheneus Attalus. [21] Cicero de Stratone Lampſaceno atteſtatur, [22] eundem ſtatuiſſe ponderibus & motibus omnia fieri. Magorum Sacerdotes [23] & Hippo Rheginus aquam & ignem: [24] Euripides aërem

vent abſque vitiatione: ſive ſit ignis ſplendens, ſive aqua currens, ſive ventus ſubtilis, ſive terra gravis. Quia ex his quatuor elementis corpora animalium compoſuit juſtiſſimus potentiſſimus Deus.

[16] *Plutarchus* de placit. phil. lib. I. C. III.

‡ *Stobæus* & *Diogenes Laertius* libr. VIII. citant verſus Empedoclis. Ille ſcribit, quod Empedocles ſenſit, quod horum natura de contrariis permiſta, ſiccitate videlicet, calore, humore, ac frigore, totum hoc quadam proportione ac temperatione perficiat, ſic ut ipſa quidem in partibus mutationes experiatur: totum autem interitum non pertimeſcat. Ita enim ait: *Interdum per amicitiam cuncta hæc copulantur, interdum per diſſidium ſecreta feruntur.* Hanc opinionem autem contradixerunt *Ariſtoteles* de cœlo lib. III. Cap. IV. & *Galenus.* de Nat. Hum. Com. 2. §. 3.

* De univerſa natura. Cap. II.

[17] *Diogenes* Laert. libr. IX.

[18] Nat. Quæſt. lib. III. Cap. XIV. *Aerem marem judicant, quia ventus eſt: fœminam qua nebuloſus & iners. Aquam virilem vocant mare: muliebrem, omnem aliam. Ignem vocant maſculum, qua ardet flamma & fœminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, ſaxa cauteſque; fœminæ nomen aſſignant huic tractabili ad cultum.*

[19] *Plutarchus* de plac. Phil. ante memorato loco & vide ipſum Ariſtotelem paſſim.

[20] *Galenus* Hiſtor. Phil. Cap. 15.

[21] Idem *Galenus* in introduct. Cap. VIII. de Elem. libr. 1. Cap. XI.

[22] Academ. Quæſt. libr. IV.

[23] *Vitruvius* in præf. libr. IIX.

[24] *Galenus* Hiſt. phil. Cap. XVI

aërem & Terram: [25] Xenophanes, [26] Galeno auctore, aquam & Terram: Anaxemander infinitum: [27] Archelaus infinitum & aërem: [28] Anaximenes aërem ſolum: [29] Diogenes Apolloniates aërem immenſum: [30] Anaxagoras partes ſimiles, vel, ut ſcribit Cicero, [30] materiam infinitam, ſed eas particulas ſimiles inter ſe & minutas: Pherycides Syrus, terram. [32] Philolaus finitum & infinitum. [33] Heraclitus, Hippaſus, & Parmenides Cicerone, [34] & Anaxagoras Servio auctore, [35] ignem, pro principiis habuerunt. Galenus auctor eſt. [36] Heraclitum fruſtula quædam minuta & individua, cognitione tantum apprehenſibilia: & Laërtius [37] Parmenidem, Ignem & terram, in principiorum numero collocaſſe. Initium omnium corporum materiam eſſe memorat Plato. [38] Quatuor

xv. & *Sextus* Empir. lib. VIII. Comment.

[25] *Vitruvius* dicto loco.

[26] *Galenus* & *Sextus* Empir. dictis locis. Namque ex terra & aqua producti nos ſumus omnes.

[27] *Stobæus. Cicero. Plutarch. Euſeb. Galenus. Sext. Empiric.* dictis locis.

[28] *Plutarchus* de Plac. phil. lib. 1. Cap. 3. Stobæus. d. l.

[29] *Cicero. Plutarchus. Galenus. Euſebius. Stobæus* dict. loc. verum *Sextus Empiricus* ſcribit. d. l. Anaximenem & Idæum Himeræum, & Diogenem Apolloniatem & Archelaum Athenienſem præceptorem Socratis, & ut nonnulli volunt, Heraclitum, aerem dixiſſe elementum.

[30] *Stobæus*. d. l.

[31] Acad. Quæſt. l. IV. *Ariſtoteles* l. 3. C. 4. phyſicor. *Plutarchus. Galenus.* & *Sextus Empir.* locis memoratis.

[32] *Galen.* Hiſtor. phil. & *Sextus Empir.*

[33] *Stobæus* d. l.

[34] Acad. Q. lib. 4. *Vitruv. Plutarch. Galen. Sext. Emp. Euſeb. Stobæus.* d. l.

[35] In notis ad Eclog. VI. Bucolic. Virg.

[36] In Hiſtor. phil. Cap. XV.

[37] De vit. philoſ. l. 9.

[38] Ex qua omnia in ſe recipiente mundum eſſe factum a Deo ſempiternum, ſcribit *Cicero.* d. l. *Apuleius* vero de dogmatib. Platonis & *Stobæus.* d. l. memorant Platonem tria rerum initia ſtatuiſſe, Deum nempe, & materiam, rerumque formas, quas ideas idem vocat: in abſolutas,

tuor corpora & inane [39] Echantus: numeros, vel potius ut Cicero ſcribit, [40] ex numeris & mathematicorum initiis Pythagoras: † individuum & inane Me-

lutas, informes, nulla ſpecie vel qualitatis ſignificatione diſtinctas.

[39] *Stobæus.* d. l.

[40] Acad. Quæſt. l. 4. *Sextus Empir. Stobæus. Plutarchus. Galenus* dictis locis, *Jamblichus* de vita Pythag. auctor eſt. §. 130. Pythagoram dixiſſe, nihil in primis rerum elementis purum, ſed terram aëris, aërem aquæ, ignem aeris, & aquam ſpiritus, participem eſſe.

† Timæus Locrus, qui fuit teſte *Cicerone* libr. v. de finib. Pythagoræ ſectator, ingenioſe, ut mihi quidem videtur, de primordiis rerum philoſophatus eſt. Statuit enim ſubjectum rerum creatarum eſſe materiam, rationem, ſeu proportionem formæ, Ideam: harum autem fœtum eſſe corpora, Terram nimirum & aquam. Hæc vero tali modo producta. Omne corpus aſſerit, ex planis conſtare, hoc vero ex triangulis: quorum alterum quidem eſſe ex rectis angulis æqualium laterum, Semi quadrangulum: alterum autem inæqualium laterum, quem habere majorem angulum potentia triplum minoris. Minimum autem in ipſo angulum, tertiam recti eſſe partem: hujus vero duplum, medium eſſe: Etenim hunc duarum tertiarum eſſe partium: maximum autem rectum ad mediam ſeſqui alteram proportionem habere: triplum autem eſſe ad minimum. Hunc igitur triangulum, ſemi quadrangulum eſſe, quatenus cum æquilatero triangulo comparetur, perpendiculo bifariam abſciſſo a vertice ad imum, in partes æquales. Proinde duos utrique eſſe rectangulos: at in uno, duo quidem latera; quæ quidem in recto ſint, æqualia eſſe tantum, in altero autem omnia tria inæqualia. Hanc vero figuram obliquam vocari. Dictum autem ſemi quadrangulum fuiſſe primordium conſtituendæ terræ. Nam quadrangulum ex his quatuor videlicet trianuglis componi. Ex quadrangulo vero cubum generari, omnium corporum firmiſſimum & maxime ſtabile: Cui utpote ſena latera & octo angulos eſſe. Et hanc eſſe rationem, qua propter Terra ſit Elementum & graviſſimum & difficulter mobile. Hanc in aliud corpus tranſmutari neutiquam poſſe, quia nullam habeat cum ullo triangulorum genere communitatem. Terram enim ſolam habere proprium & peculiare elementum, ſemi quadrangulum nempe. Hanc porro elementum eſſe aliorum corporum, ut ignis, aëris, & aquæ. Etenim compoſito ſexies ſemiquadrangulo, triangulum ex ipſo æqualibus cruribus fieri: ex quo pyramidem, quam quatuor baſes & æquales angulos habere, componi, ſpeciem ſcilicet ignis maxime mobilis & tenuiſſimarum partium. Poſt hoc autem id, quod octo conſtet ſedibus,

octo

Metredorus: [41] plenum & inane Leucippus: [42] ſolida & vacua, vel corpus & inane Democritus: [43] atomos & inane Epicurus: [44] individua & infinita corpora atque minima Diodorus cognomento Saturnus: [45] Moles & meatus i. e. particulas & locum in quo moventur Aſclepiades. [46]

O, Silentium, ſilentium abs te peto, mi *Relande*, interpellabat Sycophanta noſter: etenim non nauſea tantum, ſed & Cordolium mihi, tibi attentas aures porrigenti, ſubveniunt: equidem deridiculos ſolemus nos verborum originem, ſcriptionis & conjunctionis modum, inveſtigantes, Sapientiæ ſtudioſis eſſe: aſt ſi hujuſmodi Philoſophorum de rerum principiis ſententiæ, quas tu jamjam memoraſti, non ſint ineptiæ aniles, tunc Hercule neſcio quæ ipſis magis ſimiles. Oh! quam lepide nugantur.

Heus tu Cavillator, inquit, *Serrarius*,

---- *Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt*
Ærugo mera. ---- [47]

Fœnum habes in cornu, non amico cuiquam parces.

octo quidem baſes totidemque angulos habens, eſſe Aeris elementum. Tertium denique, quod viginti ſedes habet, baſes quidem totidem, angulos autem duodecim, eſſe elementum Aquæ plurimarum partium atque graviſſimarum. Hactenus *Timæus* in libr. de anima. mund.

[41] *Stobæus.*

[42] *Cicero. Stobæus.* d. l.

[43] *Cicero. Galenus. Euſebius, Stobæus.* d. l. *Diogenes Laertius* Lib. IX. Principia omnium ſtatuit Democritus atomos atque inane. Atomos magnitudine & numero eſſe infinitas, ferrique in toto, ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere. Solem & Lunam ex hujuſmodi atomorum vertiginibus, & tumorum circumferentiis, eſſe compoſitos.

[44] *Plutarchus. Galenus. Sextus Empir. Stobæus, Lucretius. Laertius* libr. x. in Epiſt. ad Herod.

[45] *Stobæus.* d. l. verum. *Galenus & Sextus Emp.* perhibent eum cognominatum Crononem.

[46] *Galenus* in introduct. Cap. 8. *Aurelian.* ac. paſſ. libr. 1. Cap. XIV. *Sext. Emp.* d. l. His adde Oenopidem Chium. teſtib. *Galeno & Sext. Empir.* duo, ut ignem & Aërem: & Onomacritum, tria poſuiſſe elementa, ut ignem, aquam & terram.

[47] *Horatius*, libr. 1. Satyr. 4.

Narrationem Collegæ, mihi exoptatiſſimi, maledico dente carpis: Cum tamen is, antequam verba faceret, ipſe præfatus, diſcordes ſemper ipſos Philoſophos ſecum fuiſſe, quum animum ad rerum principia deſcribendum appulerint. Suo enim ſtudio quiſque maxime ducitur. Quid mirum? Si in hoc perplexo & obſcuro negotio perplexi interdum ſermones a Sapientiæ Profeſſoribus, abditam univerſi conſtitutionem juxta & compoſitionem rimantibus, prolati ſint. Id tibi ultro defero, Nos, de totius mundi primordiis diſputantes, more puerulorum balbutire, & conjecturas ſeu hypotheſes potius, quam indubitata ſeu argumenta ſeu pronuntiata proponere: quapropter etiam cuique ſemper licuit iſti familiæ ſeſe dedere, cujus dogmata ſibi maxime probabilia habebantur.

At vero, inquam, Te non fugit, Doctiſſime *Serrari*, ita comparatam eſſe hominum naturam omnium, ut aliena melius videant & dijudicent, quam ſua. Quid? quod plerique ſimias imitentur, quæ, ut Syneſius [48] Nicandro ſuo ſcribit, poſtquam pepererunt, intentis oculis in catulos tanquam ſacras imagines intuentur, admirantes ob pulchritudinem, uſque adeo natura liberos amat; aliarum enim ſimiarum catuli illis deformes ſunt, ſui duntaxat ſunt pulcherrimi. Hic logomachus nos irridet, ceu vero nos non immoraremur rebus utilioribus, quam is ipſe, qui animum ſuum quoquo modo torquet, ut tantum oſtendat, quo pacto apex ſuper literam ſit exarandus. Ipſe non videt manticæ, quod in tergo eſt. Sannas itaque ejus ſuſque deque habeamus, repetamus potius ſermonem, a Sannione interruptum, quem habuimus de rerum principiis. Da nobis igitur, Doctiſſime *Serrari*, ſiquidem & tu Sapientiæ ſtudium profiteris, reliquas, quæ recenſendæ ſupererant, Philoſophorum circa principia, opiniones. Hoc

[48] Epiſt. 1.

Hoc loco *Serrarius*. Quantum mihi, inquit, complurium ſcripta pervolventi innoteſcit, non videtur præter illa elementa, a Collega mihi æſtimatiſſimo, paulo ante enarrata, longo temporis intervallo, alia excogitata fuiſſe. Et quamvis ſuos quæque ſectæ habuerint aſſeclas: pleræque tamen procedente tempore exoleverant. Peripatetica ſola, acquiſito a Pontificia Religione jure Quiritio, diutiſſime in vigore perſeveravit. Quid mirum? Cum etiam reliquarum ſectarum opiniones paulatim olivioni tunc traderentur. Hinc factum, ut a ſeculo tertio, uſque ad decimum quartum, non memoratu dignæ, cum in Medicina, tum in Philoſophia, mutationes inveniantur. Iſtis temporibus namque partim ob tot funeſta, ac internecina Chriſtianorum bella, partim ob relegatas in monaſteria ad monachos muſas, incultæ artes liberales habebantur. Præter Ariſtotelem, & ignavorum ſomnia monachorum, ſapere, erat dementia: imo crimen, & peccatum ferme, ut vocant, mortale. Non defuerunt quidem plurimi arabes tunc temporis, ut Averrhois, Avicenna, aliique, qui Medicam juxta & Philoſophicam doctrinam excolerent: verum conveniunt præcipue inſer ſe, ut, quantum ſpectat ad elementorum traditionem, veſtigiis Ariſtotelis inſiſtant potiſſimum. Aliena autem quadantenus dictis cœperunt primo Chimici, corporum compoſitionem adminiculo ignis & aliarum rerum indagantes, docere. Et inter hos, ni fallor, fuit Baſilius Valentinus primus, qui paſſim in ſcriptis ſuis trium principiorum meminit: non inficiatur tamen & alios, vel ſibi æquales, vel ante ſe deceſſos, eorum mentionem quoque feciſſe. Vocabula vero dictorum hæc ſunt, ſal, ſulphur & mercurius. Alio ſubinde nomine hæc vocat, ut corporis, quo intelligit ſal: animæ, qua ſulphur vel oleum: ſpiritus denique, quo

mercurium. Verum enim vero alibi diſtinctionem facit principiorum ab elementis: per principia jam-jam res recenſitas, perque elementa, notiſſimum Ariſtotelis elementorum quaternionem, intelligit. [49] Glorioſus, & Vertumno iniquo natus, Paracelſus, ſubdole Baſilii principia complexus, hæcque orbi, ſimulac a ſe inventa, obtruſit. Veruntamen, ut ubique fere, ſic etiam hic ſuam prodit inconſtantiam: modo agnoſcit Peripateticorum elementa: modo inconſpicua, abſcondita vero, tanquam ſpiritus, quorum domicilia iſta vulgaria ſint, ponit: modo hæc iterum deſtruit, atque vult, ea originem e Myſterio magno, quo Chaos indicat, ortum cœpiſſe: modo cœlum & terram tantum, putat, elementorum nomine digna, hæcque iterum duplicis generis exiſtere, alterum dictorum vocitat marem, alterum fœminam; ſiquidem ex horum conjunctione cuncta concreta exoriri: modo tria ut ſulphur, mercurium & ſal habet pro corporum primordiis: modo ſubvertit hæc rurſus, & ſtatuit quodlibet elementum, puta Stagyritæ, in triplicis generis ſubſtantiis conſiſtere, ita ut ſuus cuique ſit Mercurius, ſal atque ſulphur; quadruplicat itaque hæc poſtrema, ac credit quatuor diverſi generis mercurios, ſulphura & ſalia eſſe: Nimirum eſſe mercurium privum igni, aëri, &c. Eadem ratio reliquorum eſto. [50] Verum & diſcipuli,

[49] Dabo compendium ejus doctrinæ de elementis. Baſilius Val. putat dari influxum cæleſtem ſuperne decidentem & ſe qualitatibus ſideriis miſcentem: ex horum conjunctione naſci tertium, corporeum quoddam, ex his tribus poſtea quaternarium elementorum progigni. Hæc porro auxilio ignis producere animam internam, ſpiritum tangi neſcium, & conſpicuum corpus. Hæc tria ope Vulcani inter ſe copulata dare aliquid, quod tangi poteſt: Mercurium nempe, ſulphur & ſal. Ex his tribus tandem coagulando unitis fieri corpus quoddam perfectum. Vide Tractat. de lapid. phil. recapitulationem ejuſdem tractat. de arcano magno mundi &c.

[50] De his vide plura in Dia-

li, & cæteri diſciplinam Paracelſi amplectentes, elegerunt dicta tria, quæ vocaverunt activa: præter hæc iis addidere duo paſſiva, quæ etiam relollæa vel relollacea barbaro vocabulo nuncupabant, phlegma ſcilicet & caput mortuum. Sed & hæc doctrina non diu viguit: experta enim eandem, ſicuti ſingula in mundo, viciſſitudinem. Nam Helmontius peculiari tractatulo ejus improbationem dedit: ex adverſo in corporibus unum primum atque ultimum, materiale, ac reale initium ſtabilivit, & hoc aquam eſſe, exiſtimavit. Eſt ipſi præter hoc alterum principium movens & efficiens, quale, exiſtimat, ſeminis ipſam eſſentiam *Archealem* eſſe, differreque a forma rei: ſed quoniam hæc, & quæ eodem loco ulterius ſcribit, perplexe ac obſcure commemorantur, eam ob cauſſam his ſuperſedebo. Sufficit modo indicaſſe heic loci Helmontium hæc duo, ut omnium corporum principia & cauſſas, agnoviſſe. In alio tractatulo aquam & aërem habet pro principiis primogeniis: ex aqua autem virtute ſeminum, aſſerit, terram ſeu corpus quoddam compoſitum fieri. [51] Cæterum noſtra ætate, quantumvis ea bonarum artium, & omni genarum inventionum ferax, non multa, ſi unice Carteſium quibuſdam in locis exceperitis, inventa vel excogitata ſunt, quæ novitatem doctrinæ elementorum proderent. Quid mirum? ſunt enim hæc, mea quidem ſententia, penitus in media Philoſophia retruſa atque abdita. Quippe quomodocunque aliquis ſuam corroborare opinionem adniſus fuerit: fuerunt tamen, imo erunt ſemper ei adverſarii: ſiquidem genuina corporum principia non arte, propter eorundem exilitatem, demonſtrari, at mente duntaxat percipi quodammodo, queunt. Et iterum temperamentorum

Dialogo, in quo dogmata Paracelſi ſpeciatim tractabo.

[51] Helmontii doctrina itidem videatur ſuo loco.

diverſitas hominum in cauſſa eſt, ut ſuæ quibuſque ſententiæ cummaxime probabiles habeantur. Habetis jam meam, & collegæ mei, de rerum principiis narrationem, meumque judicium, quod aut ſequeremini, ſi probaveritis; aut veſtro ſtabitis, ſi aliud quoddam eſt veſtrum: in quo neque pugnabo vobiſcum, neque hoc meum unquam affirmabo eſſe verius, quam veſtrum. Et, ut a Cicerone ſententiam paulo mutatam mutuer, poteſt non ſolum aliud mihi, ac vobis, ſed mihi ipſi aliud alias videri. Nec in hac modo doctrina elementorum, quæ tot diſſenſionibus obnoxia, ſed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem, aut quo judicium meum dirigerem, quam id, quodcunque mihi quam ſimillimum veri videretur, cum ipſum illud verum in occulto lateret.

Locutus es, inquam, apprime rectiſſime, ac laudo animi tui moderationem. Utinam, omnes docti ita facerent! non forent tot altercationes, tot jurgia, tot inimicitiæ inter eos obortæ, dum alterum alter a ſe diſſentientem, plus quam Vatiniano odio perſequi ſolet. Sed miſſos faciamus corruptos hujus ſeculi mores, proſequamur potius opus incœptum, explicationem utpote rerum, quas medici, a Philoſophia mutuatas, in ſuam diſciplinam aſſumpſerunt. Has inter primatum gerit incredibilis famæ, magnique nominis NATURA. Hanc ſolam propemodum omnes in ore ſemper habent. Sola hæc ſuccumbit, hæc juvat, hæc ſola hominis & animam & corpus moderatur. Cuncta huic, quæ homini quoquo modo accidunt, vel crimini dantur, vel laudi. Quid eſt ergo Natura? cupio doceri.

Tum *Serrarius*. Prolixior, inquit, atque intricatior eſt ejus explicatio, quam ut ea in præſentia a me tradi poſſit; faciam tamen ut potero. Non neſcios

ſcios eſſe vos, arbitror, Ethnicos aliter ac Chriſtianos vocabulum Naturæ uſurpaſſe. Nam, qui Naturam omnium rerum matrem vocavere, ipſum Deum Univerſi creatorem intellexerunt: Verum qui dixerunt Deum & Naturam nihil facere fruſtra, ſtatuerunt aliquod, ſi non Deo fuerit par, quod ad minimum id ipſo potentia paulo inferius ſit. Princeps Medicorum, Hippocratem volo, ſæpe ſæpius voce Naturæ utitur, eademque interdum vult indicare, debitam corporis conſtitutionem: aliquando ſuam quibuſque rebus facultatem, vel proprietatem ſingularem agendi quieſcendive: ſubinde indolem ſeu genium cujuſdam rei. [52] Inter priſcos Philoſophos alii per Naturam intellexerunt principium aliquod motus & quietis: alii ignem: alii ſpiritum calidum: alii corpus & ejus motum: alii permixtionem & divulſionem elementorum. [53] Superſunt quidem aliæ ejuſdem vocabuli ſignificationes, quas autem, quia partim ſatis claræ exiſtunt, partim obſoleſcunt,

[52] Vide ejus tractatus de natura hominis, de natura pueri, de articulis, &c. ubi ſæpenumero Hippocrates hujus generis dictioni operam dedit. *Galenus* aphoriſmo 11. libri. 111. ubi Naturæ mentio fit, ita interpretatur. *Naturas*, ait, *hoc loco Hippocrates ſecundum principaliſſimum, & primum ſignificatum quod ſecundum ipſam maxime ſubſtantiam Naturæ eſt. Ipſam autem eſſe temperaturam quatuor elementorum humidi, ſicci, calidi & frigidi.* Et de Hipp. & Plat. Decret. lib. 1x. Cap. xv. citat Hippocratem hoc modo ſcribentem. Non edocta Natura eſt & nullo magiſtro uſa, ea, quibus opus eſt, facit: & alibi. Natura morborum medici ſunt: & alio loco. Natura ſufficiet prorſus, vocat autem ipſam juſtam interdum, & medicum miniſtrum ejus imitatorem. Quæ tamen ſubſtantia ſit Naturæ, quæ nos & finxit & gubernat non auſus eſt pronunciare, ſed noſtræ creationis auctorem, ut omnibus hominibus mos eſt, NATURAM, appellat.

[53] Vide *Plutarchum* de plac. phil. lib. 1. Cap. 1. *Galeni* finition. Cap. 111. ejuſdem, ut ferunt, hiſtor. Phil. Cap. xv111. *Laert.* libr. v11. &c. Aſclepiades, teſte *Cæl. Aurel.* l. 1. Cap. x1v. dixit naturam ne quicquam aliud eſſe, quam corpus vel ejus motum.

[54] *Horatius* lib. 1. Satyr. 111.

[55]

partim in lexicis obviæ, lubens volenſque prætereo.

Nequeo amplius, inquit cavillator noſter, digitis compeſcere labellum. Uſu tibi venit, *Serrari*, quod olim ſolenne erat antiquis Philoſophis, qui ſive erroris objiciendi cauſſa, quo plura & difficiliora ſcire viderentur: ſive, quod ſimilius veri eſt, ignoratione docendi (nam non ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed quædam ars etiam docendi) ſæpe, quod poſitum erat in una cognitione, id in infinita diſpertiebantur: velut a te modo in explicatione Naturæ factum, dum conaris illuſtrare, tunc potius obſcuras. Non agnoſco Naturam, neque ejus facultates, niſi mihi clare ac diſtincte ejus exiſtentiam demonſtraveris; quod autem a Te poſſe fieri multum addubito. Sed quid laboro ego, opinionem ſic inanem verbis verberare, cum ipſa rei vanitas ſe refellat.

Tum *Serrarius*. Bona tua venia dixerim, inquit, aut tu inter agreſtes, qui impudentiſſime, ac ex incogitantia, quicquid ſibi in os venit, quamprimum effutiunt; aut tu es inter malignos & invidos, qui maledicentiſſima carmina vel criminoſiſſimos libellos componunt, educatus. Neſcis enim urbanum ſermonem proferre. Tu tua pervides oculis mala lippus inunctis, inque amicorum vitia tam cernis acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. [54] Deſiderabatur a me expoſitio Naturæ, quid aliud mihi factu tunc opus, quam ut prius omnimodam vocis ſignificationem traderem, antequam rem ipſam dilucidarem. Et tu, o Bone, parum abeſt, quin convicio hanc a me efflagites. Habe itaque, ut tibi quodammodo obtemperem, per vocabulum Naturæ a me intelligi, ipſam rei cujuſdam elementorum temperaturam; vel convenientem partium diſpoſitionem, quæ neceſſitatem eidem imponit certos motus, certaſve

taſve operationes perficiundi. Exemplum aliquod afferam, neceſſe eſt, ut intelligas quid velim. In horologio quamdiu ſuam quæque rotula ſervaverit formam, atque quamdiu ipſi decens pondo appenſum, vel lamina ex chalybe rite diſtenta fuerit, tamdiu non poteſt non, quin functiones, horologio propriæ, dextre perficiantur. Et in hiſce conjunctim conſideratis conſiſtit proprietas, i. e. Natura horologii. Similiter in aliquo animali quamdiu decens tam interna quam externa membratura, nec non conveniens humorum qualitas, eorundemque aëris inſpirati adminiculo circuitus, adfuerint, tamdiu illud aptum exiſtit ad vivendum, atque ad exercendum operationes ſibi in ſuo genere familiares. Et tunc agit juxta naturam ſuam, i. e. ex neceſſitate totius compoſiti, quod non aliter, quamdiu videlicet antedicta ſuo quæque in ſtatu ſunt, agere poteſt. Eadem conditio omnium rerum ab Almo Conditore creatarum eſto, quæ omnes ſuam peculiarem indolem, virtutemque movendi, vel aliarum rerum motum inhibendi, ſortitæ ſunt potentiam. Ergo, ut finiam, quæ neceſſario in rebus quibuſcunque fieri debent, atque ab iiſdem perpetrari, hæc naturaliter contingunt, i. e. contingunt ratione primigenæ ſtructuræ, ſeu compoſituræ partium concinnæ.

Hoc loco iterum irriſor noſter. Dii immortales, inquit, quam tu longe Naturæ principia repetis! Sed da mihi nunc, ſatiſne probaſti? Crediſne dictionem ſententiæ tuæ variis premi difficultatibus?

Ad quæ *Serrarius*. Etſi omnis cognitio, inquit, multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſſa & doctiſſimi & antiquiſſimi invenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt, neque ego ſtudium exquirendi defatigatus

tus relinquam: neque mea disputatio quidquam aliud agit, nisi ut in utramque partem dicendo & audiendo eliciat, & tanquam exprimat aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quamproxime accedat. Neque inter me, & eos, qui scire arbitrantur, quidquam interest, nisi quod illi non dubitant, quin ea vera sint, quæ defendunt: ego probabilia multa habeo, quæ sequi facile, affirmare vix possum. Igitur quantisper ea, quæ de Natura corporum deque ejus vocabuli usu, jamjam disputavi, mihi simillima veri videntur, tantisper constans in sententia mea, perstabo: præterquam me aliquis meliora erudiret. Mihi enim semper solet usu venire, ut eum, qui in disputando pertinax est, & moribus durus, abjiciam.

Tum ego. Mihi tecum, inquam, hac de re convenit, aliquammulti siquidem pervicaces sunt, qui omnia, quæ aut ad affirmandum, aut ad negandum suscipiunt, obstinate ac impudentissime, quamquam longe aliter sibi conscii, defendunt.

Quo prolabimini? inquit, *Relandus*, an vobis nunc animus est moralem Philosophiam disiertandi?

Minime gentium, inquam. Igitur, quoniam tu in tempore adhortaris, ad propositum revertamur, scilicet ad vocabulum Causæ, cujus non modo Philosophi, verum etiam antiqui medici semel atque iterum ac sæpe mentionem fecerunt. Inprimis Cous noster cognitionem caussæ morborum frequentissime inculcavit, ac docuit, quod siquis caussas corporis affecti probe cognoverit, posse eundem nullo negotio ea afferre, quæ corpori commodent. [55] Itaque aliquis vestrum hoc negotium suscipiat, velim, atque indicet, quid veteres Sapientiæ Professores, de natura deque numero caussarum, statuerunt.

Tum *Relandus*, vos non latet procul dubio, inquit,

[55] Libro de flatibus de muliebribus affectib. &c.

quit, Stobæum Philoſophorum opiniones ad compendium contuliſſe, ex quo hæc depromam. Cauſſa eſt propter quam effectus, vel propter quam aliquid evenit. Plato triplicem ponit cauſſam a qua, ex qua, & ad quam: præcipuam tamen facit a qua, ſive efficientem. Ariſtoteles cauſſam ex qua vocat materiam: a qua efficientem: ſecundum quam, formam: propter quam, finem. Cauſſam Zeno propter quam vocat effectum aut eventum, & cauſſam quidem corpus: effectum autem Categorema. Chryſippus cauſſam dicit propter quam: & cauſſam quidem corpus & ὅτι: effectum autem διότι. [56]

At enim apud medicos, interfabar ego, nonne pari modo vox cauſſæ in uſu eſt.

Ad quod *Serrarius*. Sic medicis uſus eſt, inquit, ut eam communiter tam ſanitatis, quam morborum auctorem, id eſt, cauſſam efficientem interpretentur. Hinc congruunt in unum definitiones plurimum, quæ penes medicos ultro citroque occurrunt. Sive enim aliquis juxta finitiones, quæ Galeno adſcribuntur, dixerit, cauſſa eſt, quæ in corpore quidquam facit, experſque ipſa eſt corporis: ſive juxta Avicennam, [57] cauſſa eſt id, quod primo eſt, & ex quo provenit inventio alicujus diſpoſitionis in corpore humano: ſive denuo ſecundum Galenum, cauſſa eſt id, quo tangente afficimur, & quo ſeparato quieſcit affectus: [58] ſive breviſſime juxta Athenæum Attalum, [59] cauſſa eſt ea, quæ facit. Verum enim vero non in eaſdem claſſes medici plerique cauſſam diſtribuerunt. Qui rationalem Medicinam tem-

[56] Vide *Stobæi* Eclog. Phyſ. lib. 1. Cap. XVI. *Galeni* Hiſtor. phil. Cap. XVI. Ejuſd. Finition medic. Cap. IIX. & alios.

[57] Fen. II. lib. 1. Cap. 1.

[58] *Galenus* copioſe de cauſſis ſcripſit in libr. de cauſſ. procath. quo libro refellit opinionem Eraſiſtrati, cauſſam procatharticam negantis. Porro agit de cauſſis in libro de differ. ſympt. de cauſſis morbor. &c.

[59] Finit. medic. *Galeni* operibus inſertar. Cap. VIII.

tempore Celſi profitebantur, bipertiebantur morborum cauſſas; nimirum in abditas, & evidentes. [60] Abditas ſive morbos continentes cauſſas vocabant, in quibus requiritur, ex quibus principiis noſtra corpora ſint, quid ſecundam, quid adverſam, valetudinem faciat. Neque enim credebant poſſe eum ſcire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi ſint, ignorat. Evidentes vero cauſſas appellabant has, in quibus quærebant initium morbi, calor attulerit, an frigus? fames an ſatietas? & quæ ſimilia ſunt. Auctor Finition. medic., habet præter memoratas, cauſſam procatharcticam, antecedentem, per ſe finienten, concauſſam, cauſſam adjutricem; longe omnium autem verboſiſſimus eſt Avicenna in numero cauſſarum. Diſpeſcit quidem has in antecedentes, primitivas & conjunctas: [61] attamen has rurſus dividit complures in ſpecies: ſunt ipſi cauſſæ calefacientes, quarum plurifarias enumerat; ſunt cauſſæ frigefacientes, humectantes, deſiccantes, figuram corrumpentes, &c. omnis generis cauſſæ, quarum omnium narrationis me tædet, quia hic Arabs res, ut dicunt, præter neceſſitatem valdopere multiplicavit. Uſitatiſſima medicorum modernorum cauſſarum diviſio eſt in procatharcticam, antecedentem, & proximam ſeu continentem. Procatharcticæ plerumque dicuntur externæ, & remotæ, ſanitatis perinde ac morborum, cauſſæ: ac ſub horum numero non ſolum ita a medicis dictæ res non naturales veniunt; ſed etiam cuncta, quæ caſu, vel violentia contingunt, & ita morbum concitant. Antecedens, quæ & alias προηγούμενη nominatur, eſt habitus quidam in corpore latens, qui morbum antecedit, quique aptus morbi cujuſ-

[60] Ita fere in præfat. lib. 1.
[61] Fen 11. doctr. 11. Sum. 1. Cap. 1.
[62] Ibidem Summ. 11. Cap. 1.

cujuſdam generationi. Locum hujuſmodi cauſſæ habent in morbis, qui originem ſuam vel cacochymiæ debent, vel plethoræ. Proxima denique ſeu conjuncta, ſeu continens morborum cauſſa eſt, quæ cum morbo cohæret, quam ſi auferre medicus potis eſt, tollit tunc morbum: adeoque poſita cauſſa continente, inſimul morbus ponitur. Sunt equidem præter has alia cauſſarum genera, ut cauſſæ per ſe, per accidens, *poſitivæ*, *privativæ*, & neſcio quæ plures, ex inani ſcholaſticorum dialectica oriundæ: verum quoniam harum interpretes plurimum meram ſeu tautologiam vel logomachiam memoriæ tradiderunt; jure meritoque id ætatis exploduntur. Sed jam ſurgamus, interpellabat *Relandus*, noſque curemus & aliquando animos noſtros, curamque laxemus.

DIALOGUS. III.

De Anatomiæ uſu in Medicina.

MIhi nemus, quod fere noſtræ urbi nemoroſæ contiguum eſt, peragranti, umbram nemoralem friguſque opacum captandi cauſſa, obvius fortuito ſe dedit *Leuſdenus*. Conficiebamus ambulatiunculam pomeridianam, & vix horulam in ambulando & ſermocinando conſumpſimus, cum nos *Lucius* e viridario ſuo, nemori contermino, conſpexit. Is, ſalutatione inter nos peracta, comiter rogavit ad ſe ut veniremus. Annuimus, inque viretum intramus, locique amœnitatem admiramur. Hæ ſunt delitiæ meæ, inquit *Lucius*, Heic, quamvis parvus ſit hortulus, quamvis ædiculæ viles, horas otioſas fallo. Heic ſolitarius in hoc ambulacro ambulans haurio fumum Tabaci, atque mecum errores hujus ſeculi meditor, vel aliquem ſcriptorem perlego. Et,

ſi aliquot amici hunc locum inviſunt, tum familiariter fumum Tabaci hauriendo, & vini poculum ſubinde bibendo, confabulamur. Etiam ego vos ad parile ſympoſium invito: intretis, obnixe precor, has ædiculas, hoc ſcamno conſidite.

Nos petionem adeo amicam recuſare nequibamus, ideoque ibamus intro.

Memini me nupera colloquia, quæ in ædibus tuis habebantur, audire, affabatur me *Lucius*. Tibi ſcilicet eſſe propoſitum, originem & progreſſum Ratiocinii Medici literis mandare. Macte itaque virtute eſto, & quo cœpiſti, eo pacto perſequere incœptum.

Bonum equidem negotium, inquam, mihi ſuades, verum mihi ipſi diffido, quin vires, huic operi pares ſint. Fieri namque poteſt, ut recte quis ſentiat, & id, quod ſentit, polite eloqui non poſſit; ſed mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis.

Vera profers, inquit *Lucius*, Aſt tu non prorſus es hoſpes in literis, neque ejuſmodi excuſatio tibi opus eſt, neque mihi libet, ut ne in leges verecundiæ peccem, te in os laudare. Sed dic, obſecro, ad quod depræſentiarum applicas te?

Mentem meam, inquam, nunc verſo ad Anatomiam, Neminem enim veſtrum ignorare, arbitror, neque Medicinæ neque Sapientiæ ſtudioſos poſſe, de corporis humani ſtatu tam ſano quam morbido diſſerere examuſſim, niſi extrinſecam juxta & intrinſecam corporis ſtructuram habuerint quoque perſpectam.

Omnino ita puto, inquit *Leuſdenus*. Quin mea faciam, quæ ea de cauſſa Archiater Regis Galliæ

Dn. Fagone [1] ſtatuit. Scilicet fruſtra aliquem operam dare corporis humani conſervationi, niſi habuerit perfectam Anatomiæ cognitionem. Veram autem Anatomiam, vult, diſtinguendam eſſe ab illa, quæ tempore Galeni erat nota: ideoque minime acquieſcendum in cognitione figuræ, coloris, principum viſcerum ſitus, tendonum, ut & maſſæ muſculorum carnoſæ: ſiquidem hos Anatomicos non plus ſcire, quam lanios, vel coquos, partium, ferculis delicatis aptarum, callentes; verum enim vero medicum oportere potius perſcrutari, quicquid maxime abditum, atque anquirere de primis principiis, viſcera componentibus. Nempe ſtilo ſeu inſtrumento gracillimo vaſcula quæque minima eſſe dilatanda, animo expiſcandi, explicandique glandularum prope innumerabilium, & vix conſpicuarum, multiformia cribra, quibus omnis generis humores a ſanguine ſcernantur colentur, aliorſum amandentur. Deinde debere exiliſſima nervorum filamenta perſequi, ut inde addiſcat eorundem diſtributionem per omnis generis corporis partes, atque mutuum, quod invicem habent, commercium. Adhæc ſumma oculorum acie obſervandam eſſe muſculorum texturam; quin & beneficio microſcopii inſpicere cavitates, ductus ſpirales, cellulas, &c. quas a fibris tenuiſſimis formari: hujus ſcopi ergo, ut, cognita dictarum partium exilitate fragilitateque, judicare poſſit, quænam pars aut rupturæ patiens ſit, aut conſervationi: &, quod conſequens eſt, quæ cauſſa, vel adverſæ, vel ſecundæ valetudinis. Nec ſatis eſſe vidiſſe hæc in cadaveribus duntaxat, in quibus modo ſtructuram & poſitum partium ſolidarum contueri; ſed etiam viſcera animalium viventium eſſe exploranda, animo videndi conſerva-

[1] Theſes Pariſiis habitas *Andry* operi ſuo de vermibus inſeruit, unde hæc rurſus in latinum tranſtuli.

[2] In

tionem functionum corporis, ut eæ miro conſenſu fiant: itidem fluidarum ſolidarumque partium, quibus machina viva compoſita eſt, pugnam ſeu cujuſcunque modi motionem, agitationem, renixum. Item quomodo fluidæ in ſolidis contentæ, has niſu quaſi continuo impetant: & iterum quo pacto ſolidæ reſiſtant violentiæ fluidorum, quæ continue in latera illarum impingere ſoleant. Ejuſdem fere opinionis fuere jampridem Herophilus & Eraſiſtratus, qui, ut Celſus [2] memoriæ mandavit, nocentes homines a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderunt, conſideraruntque etiam ſpiritu remanente ea, quæ natura ante clauſiſſet, eorumque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, mollitiem, lævorem, contactum, proceſſus deinde ſingulorum, & receſſus, & ſive quid inſeritur alteri, ſive quid partem alterius in ſe recipit. Porro raticinabantur dicti auctores, neque enim cum dolor intus incidit, ſcire quid doleat, eum, qui qua parte quodque viſcus inteſtinumve ſit, non cognoverit: Neque curari id, quod ægrum eſt poſſe, ab eo, qui quid ſit, ignoret. Et cum per vulnus alicujus viſcera patefacta ſunt, eum, qui ſanæ cujuſquam colorem partis ignoret, neſcire quid integrum, quid corruptum ſit. Ita ne ſuccurrere quidem poſſe corruptis, aptiuſque extrinſecus remedia, compertis interiorum & ſedibus & figuris, cognitaque eorum magnitudine.

Certe, inquam, ut ego ex te audio, dictorum Anatomicorum induſtria, cum adeo magna molirentur, modernorum laboribus ſi non æquiparanda, tum ſaltem his non multo minoris eſt facienda. Et illi plurima invenerunt, quæ tunc temporis incognita habebantur: & hodierni complura reperiverunt, quæ aut

[2] In Præfat. lib. 1.

[3] Ga-

aut illorum ſcientiam fugerunt, aut injuria temporum deperdita erant. Hujus generis eſt vaſorum lacteorum in hœdorum meſenterio ab Eraſiſtrato inventio: [3] quam tamen Galenus falſi incuſavit. Et poſteris noſtris non deerit occaſio aliquid novi inveniendi. Cæterum, mi *Leuſdene*, ſcrupulum mihi, Fagonis perfectam Anatomiæ cognitionem medico commendantis narrationem audienti, injeciſti, quem vellem exemptum.

Tum ille. Faciam, inquit, ſi animo non obſtinaveris modo veritatem amplecti, ſin autem, vel maxime probabilia attuleris, non opus tunc eſt perſuaſione contrarii: Nam & ego veritatem colo.

Tum ego. Equidem me haud latet, inquam, Celeberrimum Regis Galliæ archiatrum, cum de abuſu Tabaci eſſet diſpaturus, ſerio medicis anatomiæ cognitionem inculcaſſe. Verum enim vero captum qualemcunque meum ſuperat, tantum fructum, quantum ille æſtimat, poſſe ex laborioſiſſima animalium oculari inſpectione redundare ad Praxin medicam. Siquidem confeſſa res eſt, corporis humani partes triplicis generis eſſe, ſolidas utpote, fluidas continentes: dein fluidas, quas dixi in ſolidis, ſimulatque vaſis ſuis contineri: & tum demum impetum facientes, quas ſolemus ſpiritus appellare. Et hæc eſt, ut noſtis, vetuſtiſſima ab Hippocrate [4] tradita corporis humani diviſio. Jam negari haud poteſt Anatomiam docere, quo pacto partes ſolidæ inter ſe cohæreant, qua figura, quo poſitu &c. dotatæ ſint. Præterea

[3] *Galenus* de anatomic. adminiſt. Libr. 7. Cap. XVI. In tractatu an ſang. in arter. natur. contin. Cap. V. Locum ex Eraſiſtrato citat. *Nam ſi abdomen*, ſcribit, *& interiorem membranam diviſerimus, arterias in Meſenterio plane conſpiciemus: in hoedis quidem nuper natis lacte refertas: in adultis animalibus diverſas.*

[4] In libr. 6. de morbis popularibus.

terea miram venarum, arteriarum, nervorum, omnis generis vaſculorum, glandularumque per univerſum corpus diſtributionem: quin & liquoris, in canalibus glanduliſque variis contenti, formam externam; denique variorum viſcerum obſtructiones: vel aliquampiam corporis partem exulceratam, putrefactam, calculo, polypo, vermibus vel ſimilibus corporis vitiis refertam.

Nonne ſcitu digna hæc eſſe exiſtimas? interfabatur *Leuſdenus*.

Quinimo, inquam. Phyſicis inprimis ſtructuram corporis animantis, quatenus organicum eſt, conſiderantibus, primo loco dicta ſcitu neceſſaria ſunt: nec non dicta chirurgis magno emolumento ſunt, in luxatis vel fractis oſſibus reſtituendis, inque viſcerum, ut & aliarum corporis partium, vulneribus ſanandis. Ignorata namque Anatomia, quomodo Chirurgus erit capax ad terebrationem cranii, Laryngotomiam, Paracentheſin, & ſimiles periculi plenas operationes perficiendas.

Tum *Leuſdenus*. Acu rem tetigiſti. Sed quid cenſes de eo, qui medicationi ægrorum internæ operam navat.

Ego, inquam, puto, diſtinguendos eſſe morbos ab externa violentia vel prava conformatione ortos ab iis, quorum cauſſa proxima eſt ſive in humoribus corporis, ſive in ſpiritibus: ſi illos mecum conſidero, tunc ſponte fateor, Anatomiam monſtrare partem vel locum affectum, quandoquidem cauſſa evidens eſt, quæ illos produxerat; ſin vero hos, quorum vitium ſcilicet latet in humoribus ſeu in ſpiritibus, tum multum dubito, quin Anatomia cauſſam morborum continentem medicum practicum docere poſſit: ſiquidem iſtiuſmodi cauſſa in obſcuro poſita eſt, atque nequit ullo Anatomicorum inſtrumento, quamquam oculos habuerit eruditos, indagari. Exemplis non opus eſt,

quia

quia res per ſe ſatis plana exiſtit.

Hoc loco *Lucius*. Etiam mihi, inquit, hæc opinio vero ſimilis habetur, Medicum utpote, internis morbis medicinam facientem, non poſſe ab Anatomia erudiri, quænam plerorumque morborum internorum cauſſa proxima ſit. Enimvero inter medicos convenit, conjectura potiſſimum, & uſu juvantium ac nocentium debere ea inveſtigari; & præterea quotuſquiſque medicorum gloriari audet, ſe ſcire cauſſam febrium tum continuarum; tum intermittentium, morborum contagio contractorum, convulſionum, &c. Nonne confiteri cogimur ignorantiam noſtram, & heic loci Theoriam Medicam omnimoda ambiguitate premi: quam, vellem, nos ſuperare poſſe.

Tum *Leuſdenus*. Sed qui meliora, inquit, recenſitorum morborum explicationi inſervientia, tradiderunt, quam Anatomici. Hi, facta cadaverum innumerabilium ſectione, explorarunt, modo hoc, modo illud viſcus, &c. corporis defuncti partes fuiſſe ulceribus, calculis, &c. refertas. Horum induſtria invenit variorum viſcerum obſtructiones, putrefactiones, multarumque partium rupturas, inflammationes, quæ crebro gangrænæ ſphacelique auctores exiſtunt. Eorundem induſtria ſæpe ſæpius reperivit ſanguinem, cæteroſque corporis vaſa permeantes humores, multimodis ab indole naturali degeneraſſe.

Vera narras, inquam, ſed inde non plana fit cauſſa, quæ talium, præter naturam inventorum, auctor fuit. Concedo equidem me talium obſervationum adminiculo cauſſam mortis diſcere, vel ultimum morbi effectum; ſed inde non diſco cauſſam antecedentem, quæ hoc produxit. Illius impetum Practicus, in quantum potis eſt, ſupprimere debet, ne hujuſmodi funeſtum effectum producatur. Concedo ulterius anatomicos poſſe generales cauſſas afferre, v. g. ſo

lidarum partium exulcerationum auctorem esse, humorem acrem in dictis partibus abductum vel separatum: obstructiones viscerum fieri plurimum a sanguine crasso, aliove humore tenaci, per canaliculas, circuitui destinatas, permeare nescio, &c. At enimvero rationalis Practicus, priusquam ejusmodi acritudinem corrigere potest, scire debet cujus generis ea sit: quoniam vocabulum Acrimoniæ longe inter se diversissimas res significat. Alia correctione opus est, si *alkalicum*; alia, si *muriaticum*; alia, si acidum, humores vitiarit. Eadem conditio est reliquorum, quæ etiam generatim asseruntur.

Tum *Leusdenus*. Nescio, inquit, cujusnam gratiæ hæc a te proferantur? An animus tibi in præsentia est Anatomiæ famam diminuendi?

Haud quaquam, inquam, sed ejus cognitionem Medico practico necessariam puto. Ast non video, quod, siquis juxta celeberrimi *Fagonis* præcepta corpus humanum didicerit, is tum possit melius ægrotanti secundum rationem medicari, quam, qui ejusmodi minutissimis, curiositati humanæ tantum satisfacientibus, superfederit. Scis ipse, mi *Leusdene*, quanto temporis spatio, quanto indefesso opere, quantis sumptibus, opus est, antequam aliquis, quæ ab hodiernis Anatomicis docentur, addiscere potest; supersunt plura, & fortassis utiliora, Medico, victum atque amictum lucraturo, scitu necessaria. Necesse est, scire initium, progressum, & finem morborum, eorundemque differentias, signa salutis & Lethi: &, in qua cardo rei vertitur, curationem e triplici Medicorum fonte, diætetico videlicet, pharmaceutico & chirurgico, hauriendam. Medici profecto habent latissimum discendi campum, cui aliquando per totum vitæ curriculum immorari oportet, antequam labris primoribus cuncta, quæ ab iis intelligi desiderantur,

tur, attingere poſſint. Et, mea quidem ſententia, nemo poteſt eſſe omni laude cumulatus medicus, niſi erit dictarum rerum ſcientiam conſecutus. Sed majus eſt hoc quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus, ſtudiiſque collectum. Quis enim aliud in maxima diſcentium multitudine, ſumma magiſtrorum copia, præſtantiſſimis hominum ingeniis, infinita propemodum cauſarum varietate, ampliſſimis Medicinæ propoſitis præmiis, eſſe cauſſæ putet, niſi rei quandam incredibilem magnitudinem ac difficultatem. Hinc perpauci ſunt, me ipſe de magno numero non excipio, qui de plena perfectaque Medicinæ cognitione gloriari queunt.

Ejuſdem ego, inquit *Lucius*, ſum ſententiæ, Veruntamen negari etiam non poteſt, multa eſſe ad ipſam artem Medicam proprie non pertinentia, ſed eam modo adjuvare excitando artificis ingenium. Sub horum cenſu eſt quoque iſta Naturæ rerum contemplatio, quæ, quamvis non faciat medicum aptiorem, tamen Medicinæ reddit profectum: [5] &, ut brevis ſim, reor, ad ipſam curandi rationem, utcumque aliquis eam ſecundum variorum Medicorum hypotheſes aggreſſus fuerit, nihil plus conferre, quam experientam.

Tandem omnium in dictionibus extemporalibus conſenſio erat, altumque erat ad tempus ſilentium.

Mihi in mentem venit, ſermocinationem hactenus intermiſſam ego redauſpicabar, controverſiæ, quæ inter aliquos doctos eſt. Nempe, num ante Herophili vel Eraſiſtrati tempora fuerit cadaveris humani Anatomia inſtituta. Igitur a te, mi *Leuſdene*, quippe ſuæ quiſque artis diſputator eſt optimus, hujus rei controverſioſæ deciſionem peto.

Tum *Leuſdenus*. Nullus dubito, inquit, quin Orationis, quondam de Anatomiæ origine habitæ, vos

 obli-

[5] Ita *Celſus* in Præf. lib. 1. [6] In

oblivio ceperit; ſatis ample tunc de dicta controverſia diſſerui. Sed ſi ea fortean memoria veſtra excidit, tum rurſus vobiſcum communicabo, quæ in memoria habeo. Non ignoratis procul dubio, fuiſſe hoc in more poſitum, quod, ſi aliquis priſcorum Ægygtiorum mortem obiverit, pollinctores, demptis ex funere viſceribus, cadaver oleo cedrino, opobalſamo, &c. pollinxerint, atque hoc deinde in ſepulchro condiderint. Herodotus [6] varios condiendi cadavera modos literis mandavit, quibus recenſendis ſuperſedeo, quia alias a propoſito mihi aberrandum eſſet. Ex dictis autem, exiſtimo, concludere nos poſſe, pollinctores, quamquam incurioſe fortaſſis cadavere viſcera, molleſque, corruptioni facili obnoxias, partes, exemerint; habuiſſe tamen cujuſdammodi viſcerum ſtructuræ, poſitus, &c. cognitionem. Democritum quidem, auctores referunt, [7] exta rimatum, ut poſteritas mederi doloribus internis poſſet: Conſtat enim inter eruditos, non modo eundem mentem ſuam verſaſſe ad brutorum, ſed etiam ad hominum, naturam expiſcandam. * De Hippocrate ambiguum eſt, ſunt qui ajunt, ſunt qui negant [9] Pauſanias auctor eſt, [10] inter Apollinis dona eſſe perveterem ex ære effigiem hominis, cui diuturno morbo, carne conſumpta, ſola oſſa eſſent reliqua: hancque effigiem, Delphios aſſeveraſſe, ab Hippocrate

[6] In Euterpe.

[7] *Ammianus Marcellinus* Hiſtor. libr. xxiix.

* Ut apparet ex Epiſtola Hippocratis ad Damogetum. Quin etiam *Laertius* lib. ix. memorat Democritum de Peſte, de febribus, deque iis, quæ ex morbo tuſſi agitantur: item prænotiones, & de victus ratione ſcripſiſſe. Quæ cum ita ſint, efficitur his rationibus eundem omnimodam corporis conſtitutionem habuiſſe perſpectam.

[8] Ut *Riolanus* in Antropograph. l. 1. C. 4.

[9] Ut *Clericus* dans l'hiſtoire de la Medic. part. 1. livr. 4. Chap. 4. & part. 11. livr. 1. Chap. 111. & Chap. v1.

[10] Libro. x.

[11]

crate medico dedicatam. At enim vero quoniam ſcripta Hippocratis perlegenti multa occurrunt, quæ non ita in hominibus, quemadmodum ille putavit, inveniuntur, dubia ratio eſt, an unquam cadaver humanum diſſecuerit? aut, ſin fecerit, quin fuerit negligenter factum.

Quicquid ſit, inquam, anſam dubitandi dedit locus Ariſtotelis, [11] ubi hæc leguntur. Sunt enim hominum partes interiores inprimis incertæ, atque incognitæ: quamobrem cæterorum animalium partes, quarum ſimiles ſunt humanæ, contemplari debemus. Hoc loco, ut ſcis, plerique probare allaborant, humani corporis ſectionem, ſin unquam, rariſſime ſaltem fuiſſe, factam.

Ego ipſe, inquit *Leuſdenus*, aliquoties hæſitavi, quid de hoc loco ſtatuendum ſit. Etenim ipſe Ariſtoteles, in opere talentorum multorum mercede famoſo (nam Stagiriten rumor increbuit, verba ſunt Athenæi, [12] ab Alexandro donatum fuiſſe talentis octingentis, i. e. juxta calculum Cauſoboni, quadringentis & octoginta millibus aureorum, ad impenſam condendis iis libris de animalibus neceſſariam) longe ſecus in medio, & ſequentibus, ac ab initio capitis, ſcripſit.

Hui! quanta Regis manificentia, interpellabat *Lucius*.

Utique permagna erat, inquit *Leuſdenus*, Namque magnis ſumptibus etiam opus erat ad quinquaginta ferme volumina, quæ ab Ariſtotele, ut Plinius [13] auctor eſt, condita. Siquidem juſſu Alexandri magni regis, cupidine inflammati, animalium naturas

[11] Libr. I. Cap. XVI. de Hiſt. anim.

[12] Deipnoſoph. lib. IX.

[13] Hiſtor. Nat. libr. IIX. Cap. XVI.

noſcendi, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæque tractu, Ariſtoteli, ſummo in omni doctrina viro, parebant, inventa novaque, vel obſervationes, ad animalium naturas pertinentes, cum eodem communicabant. Hos inter neminem in cognoſcendo hominis corpore avidum fuiſſe, non probabile mihi habetur. Quid? quod Stagirita, eodem capite, cujus verba paulo ante recitata ſunt, poſt paulo ſubjungit; *Homo plurimum cerebri, proportione magnitudinis, ac humidiſſimum habet, continent id membranæ duæ: altera oſſi adhærens valida: altera ipſum cerebrum attingens, infirmior*, &c. quod de homine non potuit affirmari, niſi fuerit capitis apertio facta. His addatis, quæ ſequenti capite habentur, *Cor hominis*, ſcribit, *tantum in ſiniſtram partem vergere*, &c. Et iterum, *Eſt hominis lien ſuillo ſimilis, ſed ſpecie anguſta & longa*, &c. Et rurſus. Hominis jecur eſt rotundum ac ſimile bubulo, &c. Tandem librum primum his verbis clauſit. Partes hominis tum interiores tum exteriores has taleſque & ad hunc modum haberi, perſpectum eſt. Porro alibi locus eſt Ariſtoteli, [14] quem e Synneſi medico Cyprio, ortum & progreſſum venarum deſcribente, excerpſit. Item locum allegat e Diogene Apolloniata, ubi hic diſtincte venarum hominis mentionem facit. Nimirum quo pacto eæ per univerſum corpus, perque pleraque ejus viſcera diſtribuantur & propogentur. Locus nimis magnus eſt, ut hic recitetur. Iterum alibi [15] Ariſtoteles locum e Polybio, venarum quarundam in corpore diſtributionem, memorante, excerpſit. Hæc & ſimilia, quomo-

[14] Hiſt. anim. lib. III. Cap. II.

[15] Ejuſdem libri capite III. & Cap. IX. ſcribit. Hominum etiam renes bubulis ſimiles ſunt, quippe qui tanquam compoſiti ex multis renibus exiguis conſtent: neque æquabiles ſunt quomodo renes ovium cæterorumque quadrupedum, habentur.

[16]

modocunque fuerint, abunde probant, Anatomiam quoque in hominibus ævo Ariſtoteles inſtitutam, & non Herophilum, quem Tertullianus [16] falſe appellat dicterio lanium, qui ſexcentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur, qui hominem odijt, ut noſſet: neque hunc inquam, neque Eraſiſtratum, illorum temporum æqualem, primum fuiſſe, qui cadaveris humani ſectionem inſtituit: non inficias tamen iverim, hos primum homines vivos, morti ob ſcelera perpetrata damnatos, crudeliter incidiſſe. Sed vultiſne, quoniam ſatis jam conſeſſum eſt, ut paululum deambulemus. Nos annuimus & ſurreximus.

[16] Libro de Anima

DIALOGUS. IV.

De Natura hominis, Semine genitali, ſede Animæ & Sanitate.

Die, quo negotiis vacabam, ad *Serrarium* adibam, viſebamque ſi domi eſſet. *Relandus* etiam intus erat, & alii, quorum nomina nunc non recordor.

Cous noſter [1] ait, inquam, oportere Sapientiam transferre ad Medicinam, & Medicinam ad Sapientiam: Medicum enim Philoſophum eſſe Deo æqualem. Ideoque plurimi medicorum, agnita hujus pronunciati veritate, ſedulo operam diſciplinæ Philoſophicæ dederunt. Fuerunt quidem aliqui medici: imo vel adhuc ſunt, qui putant Enniani Neoptolemi conſilio utendum eſſe, qui, ut auctor eſt *Gellius* [2] deguſtandum ex Philoſophia cenſebat non in

[1] Libro de decenti ornatu.

[2] Noct. attic. lib. v. Cap. xvi. & idem in Cap. præcedente,

in eam ingurgitandam: verum ego reor animo, in oppositionem insistere medicum rationalem debere.

Tum *Anonymus* quidam. Ain rationalem, inquit, te ne latet, Medicinam esse Physicæ partis extremam fecem, cui ratio est cum testeis terreniſque corporibus, sed quid rationem nominavi, cum magis apud ipsam regnet conjectura, quam ratio. [3]

Tum *Relandus* me intuens alloquebatur. Hercule, inquit, quamprimum te, in hoc triclinium intrantem, conspexerim, e vestigio animus præsagiebat, haud diu tu nobiscum una fore, quin disputationem esses ingressurus, aut quæstionem de re aliqua habiturus. Enimvero scio, id tibi usque curæ esse.

O jocularem licentiam! inquam, joca tua mehercule facetiarum plena sunt; quasi vero nescirem, mihi tibique haud esse in naturis dissimilitudines, viget apud te ipsum hoc disputandi studium, quod in me jocandi quasi carpis.

Ad quod *Relandus*. Quorsus istuc? inquit, atque quo animus vagatur tuus? quin absolvas, quem proponendum animo tuo proposuisti sermonem.

Ego animo pendere soleo, inquam, cum semel quid orsus, traducor alio: neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta. Etenim mihi intro venienti, cœtumque hunc eruditorum intus conspicienti, ex templo in mentem venit Physiologia hominis, quatenus ea in scholis Medicis solet tractari. Cogitabam simul me opportunitatem idoneam de hac re differendi jam adepturum, nec non de aliis atque aliis, ad animalium, vel hominis potius, naturam pertinentibus, quæstionem, bona cum venia vestra, habiturum. Age-

te. Philosophandum est paucis: nam omnino haud placet. Idem Cicero Tuscul. Quart. Lir. 11. *Neoptolemus* quidem apud Ennium, *Philosophari sibi, ait, necesse esse, sed paucis: nam omnino haud placere.*

[3] Ita Eustachius ad Disarim apud *Macrobium* Saturnalior. l. 7. Cap. XV.

Agedum, interfabatur *Anonymus*, quandoquidem hominis mentionem facis, edic quid de ejus natura cenſes.

Narrabo, inquam, quid divinus ille vir, quem quadam admiratione commotus ſæpe fortaſſe laudo, quam neceſſe eſt.

Hippocratem videlicet dicis, inquit *Anonymus*.

Iſtum ipſum, inquam.

Tu vero, inquit *Anonymus*, eum nec nimis valde unquam, nec nimis ſæpe laudaveris. Sed eloquere, quæ eſt principis Medicorum ſententia.

Tum ego. Alicubi Hippocrates [4] ſtatuit, inquam, tam animalia generatim conſiderata, quam ſpeciatim ipſum hominem ex duobus, differentibus quidem facultate: concordibus vero & commodis uſu, igne ſcilicet & aqua conſtitui, & utraque hæc ſimul ſufficere, tum aliis omnibus, tum mutuo ſibi ipſis. Igni porro adſcribit facultatem omnia per omnia movendi; Aquæ autem omnia, per omnia nutriendi: adhæc ignem caloris & ſiccitatis: contra aquam, frigoris & humoris, auctorem eſſe. Igitur ab horum inter ſeſe temperatura, exiſtimat, ſecerni multæ & omnigenæ formæ ac ſpecies cum ſeminum tum animalium, quæ nihil inter ſe ſimile habere neque viſu facultate: neceſſe inſuper eſſe, quoniam nunquam ſimul in eodem conſiſtant, ſed ſemper alterentur, ut etiam ea, quæ ab iis ſecernuntur ac producuntur, diſſimilia fiant. Alibi, [5] neque enim omnino ex toto aërem dicit, hominem eſſe, neque ignem neque terram neque aquam neque quicquam aliud, quia non manifeſtum eſt unum in homine eſſe. Nam, ſi unum eſſet homo, aliis prius interſperſis ratiocinari pergit, nunquam ſane doleret, neque enim eſſet, unde doleret unum exiſtens; ſin vero etiam doleret, neceſſe eſſet, & quod mederetur, ac ſanaret,

[4] Libr. 1. de Diæta. [5] De natura hominis.

naret, unum eſſet. Nunc vero plura ſunt. Multa etenim in corpore ſunt exiſtentia, quæ, quum præter naturam calefiunt, & frigefiunt, ſiccantur & humectantur, morbos pariunt; [6] & poſt paulo [7] ait, ſecedere ſingula in ſuam ipſorum naturam, homine moriente, humidum nimirum ad humidum; ſiccum ad ſiccum: calidum ad calidum: frigidum ad frigidum. Ex his dictis concludendum eſt. Hippocratem, de elementis, vel principiis, corpus cujuſvis animalis conſtituentibus, ratiocinantem, ſtatuiſſe modo duo, modo quatuor principia. [8] Reliqui vel Phyſici, vel Medici, prout quiſque modo huic modo alii Philoſophorum familiæ addicti, ita quoque inter ſe diverſi erant. Et, quoniam *Relandus* noſter alio loco hiſtoriam elementorum ad compendium contulit, ſupervacaneum itaque cenſeo heic loci iterare, quæ tunc temporis tradita fuerunt. Sed, quia in præſentia initia hominis ſunt tradenda, ſcire pervelim, quid ſit ſemen, unde homo, facta utriuſque ſexus conjunctione, generatur.

Hoc loco *Serrarius*. Dum de diſcrepantia Philoſophorum, inquit, deque rei propoſitæ obſcuritate recogito, hæreo tunc ſane in pronunciando ſententiam meam: uſque adeo namque hujuſmodi negotium perplexum eſt: conabor tamen, utcunque potero, primum adumbrare quid veteres, deinde quid hodierni, ſunt

[6] Ita argumentatur contra Dogma Meliſſi, ſtatuentis, *Diogene Laertio* lib. IX. auctore, univerſum infinitum eſſe & immutabile & immobile & unum ſibi ipſi ſimile ac plenum. Et *Galenus* libr. I. de element. Cap. IX. memorat Meliſſum ſenſiſſe unum quoddam eſſe infinitum & tranſmutationis expers. Item comment. in libr. de Nat. Hum. §. 3. 5. 10. Et *Ariſtotel.* phyſ. l. I. Cap. II. qui unum ſtatuebant, putabant, id denſitate & raritate alia corpora ex ſe producere. Vide etiam *Ariſtotelis* de corr. & gener. libr. II. Cap. III.

[7] Libro de Natura hominis.

[8] Vide paulo poſt dialog. IX. in quo Hippocratis decreta pertractabo.

[9]

ſunt arbitrati. At enimvero ne quis veſtrum ſe ad logomachiam capeſſat, ſicque vitilitigandi occaſionem indipiſcatur, in tranſitu eum moneam, neceſſe eſt: Me nempe non, ut Stagyrita, [9] genituram diſtinguere ſemine, atque genituram appellare id, quod a generante proveniens cauſſa, quæque prima obtineat principium generationis: contra ſemen, quod ex ambobus coëuntibus originem trahat; ſed hæc mihi in uſum promiſcuum, imo tanquam Synonyma vocabula, venire. Sed ad Rem. Semen, Pythagoras ſtatuit, [10] optimi ſanguinis ſpumam eſſe: vel nutrimenti partem ſuperfluam, perinde ac medulla & ſanguis ſunt. Democritus, [12] Hippocrates, [13] Sphærus, complureſque Stoici, [14] autumant ab omnibus præcipuis corporis partibus ſemen derivari. Plato cenſet Spinalis medullæ profluvium. Alcmæon cerebri particulam. [15] Ariſtoteles [16] excrementum utilis & ultimi alimenti. Empedocles futuri fœtus partes divulſas partim in maſculo partim in muliebri ſemine contineri, [17] plurimi modernorum vel Harvæi

[9] De generrt animal. Lib. 1. Cap. XIIX.

[10] *Galenus* Hiſt. phil. Cap. VIII. *Plutarchus* de Plac. Phil. lib. V. Cap. III.

[12] Vide dictos auctores memoratis locis.

[13] Libr. de aere, aq. & loc. libr. 1. de diæta: at enim vero libro. de genitura, quem Polybii volunt, ita de generatione ſeminis diſſerit. Ab humido hominis ſpumeſcente quod nobiliſſimum ac pinguiſſimum ſecerni, & ad medullam ſpinæ venire. Tendere enim in hanc ex univerſo corpore vias, atque has ſe diffindere ex cerebro in lumbos, ac in totum corpus, & in medullam, & ex ipſa medulla vias procedere, ut ad ipſam humidum perferatur perinde & ex ipſa derivetur. Ex hac medulla genituram pergere ad renes per venas: a renibus autem tranſire per medios teſtes in pudendum.

[14] *Diogenes Laert.* lib. VII. de Zenone *Plutarchus* de ira cohibenda, ſcribit, Zenonem dixiſſe ſemen eſſe mixturam atque temperiem ab omnibus avulſam animæ facultatibus.

[15] Horum itidem *Plutarchus* & *Galenus*. d. l. mentionem fecerunt.

[16] De gener. anim. lib. 1. Cap. XIIX. & lib. 2. Cap. 3. ſemen, ait, excrementum eſſe alimenti mutati.

[17] *Ariſtoteles* lib. 1. de gen.

væi ſententiam amplectuntur, vel Leuwenhœcki. Ille & ejus aſſeclæ ovulum quoddam, in ovarîo muliebri exiſtens, pro ſemine agnoſcunt, in quo integram hominis formam latere delineatam putant: ex genitura vero maris coëundo exhalare auram ſubtilem, hancque uſque ovarium pertingere, & cujuſdam ovuli inibi exiſtentis pelliculam penetrare, atque primum motum ipſi tribuere: reliquam autem liquoris genitalis partem iterum extra uterum foras, tanquam ſupervacuam, amandari. [18] Hic Leuwenhœckius vero, [19] obſervata propemodum, in unica genituræ gutta, beneficio microſcopii vermiculorum vivorum myriade opinatus eſt, hominem ex unico ſeminis animalculo procreari: punctum inſuper matrici unum eſſe modo, in quo vermiculus iſte ſpermaticus habitare nutririque poſſit. Aliud cogitatum miniſtrat Andry. [20] Videlicet arbitratur vermiculos ſpermaticos, ſeparato prius ab ovario, & caſo in uterum, ovulo, ultro citroque uteri cavitatem perambulare, tandemque dicto ovulo fieri obvios, idemque gyrare ſupergredique. Præterhæc conjectat ovulum in extremitate, qua ovario adhæſit, habere foramen aliquantulum, juxta ac pomum decerptum a pediculo, cui, ut noſtis, adnectuntur, ſejunctum: in hoc tandem unicum vermiculum irrepere, occludique, quem deinde, ſepoſita cauda, ſicut hoc ranulis uſu venit, transformari verum in homunculum: exire autem modo memoratum vermiculum ex ovulo non poſſe, quia val-

gen. anim. XIIX. citat verſum Empedoclis, quem ita latine reddiderunt. Sed diſcerpta gerunt mas ipſe & fœmina membra: refutationem ejus ſententiæ vide apud *Galenum* libr. II. Cap. VII. de ſemine.

[18] Vide ejus tractatum de generatione animalium.

[19] Vide ejus tractatum, *verhandelende eene ontdekkinge van de dierkens in 't Mannelicke 't'zaden de Baarmoeder ingeſtort, &c.*

[20] Ou il traite de la generation des vers Chap. XI.

[21]

valvula id impediat, quæ quidem ingreſſum ei permittat, ſed deneget exitum. Cæterum denique vermiculorum ineffabilem numerum mori, præterquam plura ovula ad ingrediendum invenirent.

O lepida dicta! inquit *Relandus*. Notiſſimum, & a Deo, Numine, omnibus eſt inditum progignendi, i. e. ſui ſimile procreandi, negotium: & tamen hoc, in quantum ad primordium hominis, ut & reliquorum animantium, ſpectat, oppido abſtruſum, numeroque Platonis obſcurius eſt.

Vera narras, inquit *Serrarius*, & licet concurrant plebeji omnes Philoſophi (ſic enim ii, qui a Gaſſendo & Carteſio, & ab illa familia, quæ Mechanicæ inhæret, diſſident, appellandi videntur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt; ſed ne hoc quidem ipſum, quam ſubtiliter excogitatum ſit, intelligent. Certe enim recentiſſima quæque ſunt correcta & emendata maxime, eo, quia incredibili experimentorum numero fulta ſunt. Hiſce idcirco tamdiu eſt acquieſcendum, donec ſolertia humana, recenſitis probabiliora, invenerit.

Tum ego, Tu tua lingua, inquam, modeſte uteris: ſed, quandoquidem in confeſſo eſt, homines ex anima & corpore compoſitos; ideoque ulterius cogitationes noſtras ad illorum cognitionem dirigamus.

Ain' tu animam, inquit *Relandus*, quis te melior ejus de natura diſſeret. Memini etenim a te quondam audiviſſe, te omnis generis animæ finitiones, plurimis ex auctoribus collegiſſe.

Vera dicis, inquam, ſed inde non doctior factus ſum, ſive nunc tarditas ingenii mei, ſive rei obſcuritas ſit increpanda, incertum. De cætero perlibenter confiteor, me veram animæ naturam vel eſſentiam ignorare; licet interea non inficias iverim, me conſcientia convictum agnoſcere animam in homine im-

mortalem, cogitandi facultate præditam. Mea hujus gratia faciam, quæ olim Pindarus [21] cecinit, quod ultra Herculis columnas eſt, ait, ſapientibus & inſipientibus inacceſſum eſt, id igitur non perſequar; vanus enim eſſem. Atque vera dixiſſe me, vos ſponte mihi aſtipulabimini, ſi narravero duntaxat diverſas, quas Philoſophi habuerunt, de ſede animæ opiniones; ſingulæ enim, quomodocunque fuerint, rationis dubiæ ſunt.

Inchoes modo, velim, inquit *Relandus*. Tuo namque ſermone jamdudum aures nobis arrexiſti.

Sedem animæ, inquam, Moſes [22] & Empedocles [23] in ſanguine collocarunt: in toto capite Democritus & Plato: in ea capitis parte, quæ ſuperciliis reſpondet Strato: in membrana, quæ cerebrum involvit Eraſiſtratus: in ventriculis Cerebri Herophilus: in toto Pectore Epicurus: & Parmenides, nec non illuſtres medici Philotimus & Praxagoras, [24] in toto corde: vel cordis in ſpiritu Stoici: in arteriis cordis ſpiritum continentibus Diogenes: Pythagoras facultatem vitalem in corde: mentem autem & rationem in capite: alii in pericardio: alii in ſepto transverſo. Helmontius, ut eſt mirus novarum opiniorum faber, ita etiam animæ gratia, inſolitum dogma pro-

[21] Olymp. ode 111.

[22] Geneſ. 9. ℣. 4. & Levit 17. ℣. 11. & 15.

[23] *Plutarchus* de plac. phil. lib. 10. C. v. *Galeni* Hiſtor. phil. Cap. CIII. *Phurnut.* de nat. deor. Cap. 20. Et hi cæterorum philoſophorum de ſede animæ opiniones dictis. cap. enarrant. Argumenta, quibus aliqui rationem ſuam conabantur planam facere, in medium profert. *Galenus* Libr. VIII. Cap. 1. dogm. Hipp. & Plat. Ubi nervorum origo, argumentabantur, ibi etiam eſt animæ principatus: atque alii cordi, alii cerebro nervorum originem tribuebant: ergo juxta horum cerebro, at juxta illorum opinionem cordi, animæ principatus eſt adſcribendus. Chryſippus alio modo ratiocinabatur. Ubi affectus animi ſunt, ibi etiam principatus eſt: Affectus animi in corde ſunt: Igitur, &c.

[24] *Athenæus* Dei pnoſ. lib. xv.

[25]

protulit, animam utpote hoſpitari in membrana Stomachi: [25] Carteſius denique in glandula pineali. [26] Aſclepiades plane negat regnum animæ aliqua in corporis parte conſtitutum: quippe animam nihil aliud eſſe, quam ſenſuum omnium cœtum. [27].

Miſſas fac, inquit *Relandus*, obſecro, hujuſmodi incertas ſententias, ſiquidem eæ abunde ſatis animum noſtrum perturbarunt.

Tum ego, Obtemperabo tibi ad verba, inquam, poſſem alias ſermonem proſequi & diſſerere de animæ perturbationibus, deque rationis læſione: at enimvero, quoniam vel hæ nulla animi ſuſpenſione carent, his de cauſſis alio fabulæ noſtræ convivales ſunt flectendæ.

Veruntamen liceat mihi interrogare, inquit anonymus, numne ſuæ cuique animi affectui in corpore ſedes ſit, recordor enim me alicubi legiſſe, lætitiæ affectum in ſplene eſſe, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde.

Hoc loco *Serrarius*. Ni memoria me fallit, inquit, videtur mihi hunc locum me in Lactantio [28] vidiſſe. Aretæus [29] Stomachum delectationis & triſtitiæ principem eſſe. Et patrum noſtrorum memoria Helmontius, [30] peculiarem ſtomacho rectorem, quem Archæum crebro appellitat, ineſſe; eundemque lætitiarum juxta & triſtitiæ auctorem eſſe ſtatuit. Poteſt alius aliud argutius fingere, & veri cum ſimilitu-

[25] Vide ejus Tractatum, cui titulus morb. ſed in anim. & *Jus duumviratus*.

[26] P. 1. de paſſionibus. art. xxx1. & ſequent.

[27] Cæl. *Aurelianus*. tard. paſſ. l. 1. Cap. x1v.

[28] De vero cultu. lib. 1v. Cap. xv. & de offic. Dei Cap. x1v.

[29] Lib. 11. Cap. v1. de ſignis & cauſ. diut. morb. Et Plato dixit in capite rationem, in corde iracundiam, in jecore libidinem eſſe collocatam. *Galenus* lib. 8. Cap. 1. de Hipp. & Plat. dogm. & *Heraclin. Pont.*

[30] In Tract. *Jus duumviratus*. de *ideis morboſ.* & aliis locis.

dine ſuſpicari: poteſt aliud tertius: poteſt aliud quartus: atque ut tulerint ingeniorum opinantium qualitates, ita ſingulæ res poſſunt infinitis interpretationibus explicari, quum nihilominus id, quod verum eſt, Cimmeriis, ut ajunt, in tenebris abditum lateat. Ejuſdem farinæ eſt phyſicorum diſceptatio de primo vitali corporis principio. Alii cor primum vivere; [31] alii cerebrum & cor: [32] alii meningem, [33] alii iterum aliter ſunt opinati. Et quantum ad me pertinet, exiſtimo, perinde ac in automato omnes rotulæ una moventur, ita etiam organa corporis omnia ſimul vivere: vita namque, ut non ignari eſtis, in motione vel circuitu humorum per ſolidas corporis partes conſiſtit.

Tum ego. Opinione non ſolum, inquam, ſed & ad veritatem, mihi naturam vitæ perſuaſiſti. Cæterum bona cum tua venia rogo, dicas nobis, quid ſit ſanitas.

Sanitatem rogas, inquit *Serrarius*, cui Cous jampridem hoc elogium poſuit, [34] quod neque divitiarum, neque corporis, neque ullius alterius rei aliqua utilitas ſit; niſi inſimul ſanitas præſens fuerit. Verum,

[31] Ut *Aretæus* lib. 1. Cap. 1. *Namque in ipſo medio*, ſcribit, *calidum viſcus ſedet, cor, vitæ ſpirandique principium. Id pulmoni quoque attrahendi frigidi aëris cupiditatem injicit: ſiquidem ipſum incendit, verum cor eſt, quod attrahit.*

[32] Ut ii, qui vel Orphicis vel Pythagoricis ſacris fuerunt initiati, juxta ac *Plutarchus* ſymp. 11. Quæſt. 111. literis prodidit. Cerebrum enim, *Plinio.* lib. x1. Cap. xxxv11. auctore, *eſt viſcerum excellentiſſimum, proximumque cælo capitis, ſine carne, ſine cruore, ſine ſordibus. Hanc habent ſenſus arcem. Huc venarum omnis a corde vis tendit, hic deſinit: hic culmen altiſſimum, hic mentis eſt regimen.*

[33] De membrana cerebrum ſupra ſubterque velante copioſe egit *Baglivus* in Tract. de *Fibra motrice.*

[34] Libro 111. de Diæta: & auctor operis de ſalubri diæta nominat ſanitatem rem pretioſiſſimam.

rum, ut tibi variorum auctorum ſententias ſciendi percupido, quadantenus auſcultem, dabo quæ in memoria nunc habeo. Pythagoras ſtatuit ſanitatem ſpeciei eſſe conſiſtentiam: morbum contra eſſe hujus violationem, [35] Hippocrates ab æqualitate cibos inter & labores mutua ſanitatem provenire: [36] alibi literis prodidit, [37] quaternionem humorum rite temperatorum debita copia præſentium ſanitatis auctorem eſſe. Alcmæon cauſam bonæ valetudinis continentem exiſtimat eſſe æquabilitatem facultatis humidi, calidi, ſicci, frigidi, amari, dulcis, ac reliquarum qualitatum. [38] In finitionibus medicis, Galeni operibus adnexis, [39] ſanitas definitur, quod ſit primarum partium ſecundum naturam, & humorum, qui in nobis ſunt, proba temperies: aut naturalium virium actio minime impedita, Breviſſime aliquis dixit ſanitatem eſſe integritatem Naturæ, hoc eſt corporis humani. Sita autem hæc integritas eſt in debita ſolidarum partium forma, inque debita fluidorum mixtura & motu.

Aderat etiam alter anonymus, non quidem doctus, ſed curioſus, qui plus docebat, quam ſcibat. Is, *Serrarium* torve aſpectans, ita eundem affabatur. Laudo id quidem, inquit, quod a te ſanitatis definiendæ gratia prolatum eſt: etſi nihil nimis oportet confidere: movemur enim ſæpe aliquo acute definito & concluſo: labamur mutamuſque ſententiam, clarioribus etiam in rebus; in his eſt enim aliqua obſcuritas. Nam, ut potiſſimum tibi aliiſque medicis videri video, non foret gibbus, vel qui aliud genitivum vitium exter-

[35] *Diogenes Laert.* Libr. IIX.

[36] Libro III. de Diæta.

[37] In libro de Natura hominis.

[38] *Galenus* Hiſtor. phil. Cap. 135. & *Plutarchus* Hiſt. Phil. lib. V. Cap. XXX.

[39] Cap. V. & in introduct. Cap. XII.

num habet, quantumvis is de cætero ad cuncta ſani hominis munera obeunda aptus, non foret is, inquam, ſanus appellandus; putaſne a vulgo te, ſi quando talia ſtatueris, irridiculo habitum iri.

Tum *Serrarius*. Næ ille medius fidius vir ſapiens! inquit. Nam, etſi non ſus Minervam, ut ajunt; tamen inepte quiſquis Minervam docet. Non pluris refert, quod mihi in loco criminis objicis, quam ſi imbrem, ut cum Plauto loquar, in cribrum geris. Ignoras tu doctos, cum ſe in unum locum congregent, longe ſecus ac vulgum loqui: atque hujus loquendi modum illos ſuſque deque habere. Ergo contortius concludis, quam factum oportet. Eruditi eum, ut paulo ante memoravi, qui decentem membraturam, quæ conſiſtit in debita ſolidarum forma cohæſioneque, qui debitam in ſe humorum temperiem & motum; &, quod ſummum eſt, qui inſuper ſanam in tali compoſito corpore mentem habet, ſanum vocant.

Quod cum erat dictum, nos ſinguli ei applaudebamus, ac ſuam quiſque domum revertebatur: *Serrarium* autem rogabamus nos aliquando ut reviſeret.

DIALOGUS. V.

De Temperamentis & Facultatibus naturalibus.

COnfecto diebus feriatis, quando nobis uſus eſt ad tempus a ſtudiis feriari, Lugdunum Batavorum itinere, *Albinum*, ex animo amicum, viſebam. Mihi atrium ingredienti præſto erant Deckerus, & Bourhavius, qui a prandio confabulandi cauſſa Albinum inviſerant: Colloquia autem cum Albino paulo ante ſeverant, diſſeruerantque, ut mihi narrabant, de variis, Medicinæ ad Theoriam, ſpectantibus.

Ego

Ego, ſalutatione inter nos prius peracta, fari occipiebam. Inſperanti mihi, inquam, ſed valde optanti, cecidit, ut vos in iſtum ſermonem delaberemini. Mihi enim huc venienti, jucundum ſatis fore videbatur, ſi cum vos de arte Medica loqueremini, tamen me aliquid ex ſermone veſtro memoria dignum excipere poſſem.

Tum *Albinus*. Antequam tu huc venires, inquit, dubitans, circumſpectans, multa adverſa revertens, tanquam ratis in mari immenſo noſtra vehebatur ſermocinatio. Diſſerebatur namque inter nos perplexum negotium, quodque inſuper nulla animi ſuſpenſione deſtitutum eſt: tribus verbis dicam, circa temperamenta diſputatum.

Participate mecum ſermones habitos, inquam, ſciendi enim percupidus ſum, quid utilitatis Temperamenta in Medicina habeant?

Tum *Albinus*. Quandoquidem, inquit, pauliſper, priuſquam tu huc venires, Temperamentorum explicationi operam dedimus, non ab re fore, arbitror, ſi quæ modo dicta breviter repetivero. Et, ut ab ovo uſque ad mala, ut fertur, occipiam, memoriæ mandandandum eſt, temperamentum, quod alii barbaro vocabulo complexionem nominant, eſſe concentum, vel debitam mixtionem quatuor elementorum, vel potius qualitatum primarum, humidi videlicet, ſicci, calidi & frigidi. Quarum primarum qualitatum temperiem, Galenus Naturam, puta humanam, nominat. [1] Hoc eſt in dictarum qualitatum temperie valetudinem hominis ſecundam collocavit. [2] Præterhæc temperamenta numero novena eſſe ſtatuit, [3] quorum unum tantummodo ſanitati con-

[1] In aphor. Hippocr. libr. III. §. 2.

[2] In aphor. Hippocr. libr. IIII. §. XXXIX.

[3] Libri de Temperam. C. XV. & in finit. Medic. Cap. V.

ſani-

venientiſſimum, quoniam in hujus temperatura nullum elementorum aliud potentia ſeu facultate ſuperet. Hinc etiam tale vocatur temperamentum ad pondus. [4] Reliqua octo, quæ vitioſe temperata, iterum bipartitur in quatuor ſimplicia, totidemque compoſita temperamenta. Ego hæc potius intemperies nuncupanda nullus dubito, quia vocabulum Temperamenti, ut noſtis, ſignificat bonam primarum qualitatum mixturam: [5] cum e diverſo dicta octo temperamenta ad unum exceſſu alicujus qualitatis referta ſint. Intemperies autem, ut in viam iterum me recipiam, vocantur ſimplices, in quibus una ſolum qualitas reliquis præcellit: ex adverſo compoſitæ, in quibus duæ ſimul qualitates cæteras duas poteſtate excedunt. Exempli cauſſa, ſi humidum & ſiccum æquabiliter conſtituta: calidum vero frigido antecelluerit, reſultabit inde intemperies *calida*. Eadem conditio eſt, ſi frigus calorem ſuperaverit, exoritur tunc *frigida*: ſin vero, frigore atque calore in æquilibritate poſitis, humor in ſiccitate dominaretur, progignitur tunc *humida*: ſin autem ſiccitas humorem ſuperaret, *ſicca* reſurgit intemperies. Compoſitorum nomina temperamentorum, (malim intemperies ea appellitare) hæc ſunt, calidum & humidum, calidum & ſiccum, frigidum & humidum, frigi-

ſanitas eſt commoda quatuor elementorum temperies. Conſtat namque animal ex calido, frigido humido & ſicco.

[4] De hoc vide iuſtitut. *Sennerti*. lib. 1. Cap. IV. ubi inſimul agit de temperamento ad juſtitiam.

[5] Vel ſecundum *Avicennam* lib 1. Fen. . doctrin. III. ita definitur *Complexio*, temperamentum, *eſt qualitas, quæ ex actione mutua & paſſione contrariarum qualitatum in elementis inventarum, quorum partes ad tantam parvitatem redactæ ſunt, ut cujuſque earum plurimum contingat plurimum alterius, provenit: quum nempe ad invicem agunt & patiuntur ſuis viribus accedit ab earum ſumma æqualitas, in toto earum ſimilis, quæ eſt temperies.*

[6]

frigidum & ſiccum. Itaque in unoquoque dictorum duæ qualitates, conjunctim facultate cæteras excedentes, conſiderandæ ſunt, miſſis reliquis duabus in æqualitate contemperatis. Namque ab exuperantibus qualitatibus, prout ſemel atque iterum adhortatus, ſingulis intemperiebus nomina impoſita ſunt.

Tum ego. Quandoquidem Galenus, inquam, & omnes, qui ejus doctrinam profeſſi ſunt, admodum copioſe de temperamentis verba fecerunt, curioſe eorundemque compoſitionem indagarunt, ſcire pervelim, an dudum ante Galenum eorundem quoque fuerit mentio facta?

Hoc loco *Deckerus*. Cous noſter, inquit, libro de veteri Medicina, meminit hominum, qui tunc temporis novo modo artem ex ſcopis, ac fundamentis ſuppoſitis, quærebant: ſtatuebant autem aut calidum, aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum hominem lædere. Quam doctrinam ab Empedocle, Pythagoræ diſcipulo, haſce quatuor primas qualitates pro elementis habente, mutuabantur, ac tanquam nova placita in Medicinam ſuſcipiebant. [6] Horum decreta Hippocrates argumentis variis confutat; perſiſtendum vero potius in Priſcorum ſententia ſuadet, qui ratum habuerunt, amarum, ſalſum, acidum, &c. hominem lædere; ſin autem hæc bene temperata fuerint, eadem tunc ſanitatis auctores eſſe. Ab obitu autem Hippocratis, Ariſtoteles, Diocles, Mneſitheus,

[6] Opinabatur autem Empedocles, teſte *Galeno* Comment. in libr. 1. de natura hum. §. 13. & §. 3. ex elementis nos & ſingula corpora eſſe fictos, non confuſis inter ſeſe, ut Hippocrates, qui primus vocabulo craſeos uſus, ſed ex fruſtulatim compactis & ſeſe attingentibus. Ejus opinionem videtur etiam refutaſſe Ariſtoteles libr. 1. de gener. & corrupt. Cap. x. De Hippocrate, primo temperamenti inventore, mentionem

Dieuchis, Athenæus Attalus, imo Philoſophorum præſtantiſſimi quique, Galeno auctore, [7] ſtatuerunt ex calido, frigido, humido & ſicco, mixta tum alia corpora univerſa, tum vero animantium inprimis conſtare. Horum etiam virorum dogmata amplecti non ipſe Galenus dubitavit; peculiares namque libros de natura, deque ſignis temperamentorum compoſuit. Cujus multo celeberrimi viri doctrinam poſtea mirum in modum ejus aſſeclæ propagarunt. Et inter Græcos Oribaſius, Ægineta, & Actuarius: Aſt inter Arabes Avicenna, Averrhois & Rhaſis: inter poſterioris ævi ſcriptores inciaruere Fernelius, Valleſius, Sennertus, & complures alii, qui id negotii ſibi dederunt, ut explicarent, quid temperamenta, & quo pacto ea ſint dignoſcenda.

Verum enim vero, vos hactenus ſilentio præteriiſtis reliqua temperamenta, interfabatur *Bourhavius*; haud neſcios enim vos eſſe, ſcio, fieri quoque in libris medicis ſæpenumero mentionem Temperamenti cholerici, ſanguinei, pituitoſi & Melancholici.

Et quantum ad me pertinet, inquit *Albinus*, puto, his non competere nomen temperamenti: ſiquidem Temperamentum, ut ab initio dixi, eſt concinna primarum qualitatum, quatenus ſimplices ſunt, mixtio. Jam autem nemo medicorum quiſquam inficiabitur, modo memoratos quaternos humores ab omnimoda elementorum mixtione oriundos eſſe: concludo ideo hos injuſte nomenclatura temperamenti donari: præterquam aliquis vocabulo temperamenti aliam, præter dictam, quæ in uſu eſt, ſignificationem tribuere vellet. [8] Cæterum Aſtrologi priva ex-

quoque *Galenus* facit libr. 1. Cap. 11. de nat. fac.

[7] De Methodo medendi. libr. VII. Cap. III.

[8] *Hippocrates* tamen, libro de nat. hom. poſtquam docte circa priora, tanquam generalia rerum temperamenta diſputa

excogitarunt temperamentorum genera, atque hæc ab errantium ſiderum in homines influxu derivarunt: aliud namque vocarunt Saturninum, aliud Joviale, &c. [9] At enimvero, utut hæc mire efficta, & cujuſdammodi veriſimilitudine, ea probare allaboratum fuerit, quod exploratum tamen eſſet, in apertum protulit nemo. Hinc factum, ut ejuſmodi temperamenta, Aſtrologorum puta, quippe exiguæ in Medicina utilitatis habentur, hoc tempore in apologationibus annumerentur.

Hoc loco *Bourhavius*, Quin tota de temperamentis doctrina, inquit, e Medicina exulat? privatim vero, quia incerta, ac quamplurimis premitur difficultatibus: & præter hæc, cum pro ſtabilimine habet quaternionem elementorum, qui tamen hypothetice citra probationem idoneam adſtruitur.

Tum *Deckerus*. Licet hæc de Temperamentis doctrina, inquit, incredibile doctiſſimis quibuſque medico-

ſputavit, tandem pervenit ad ſingularia homini, cæteriſque animalibus ſanguineis communia temperamenta. *Ita* ſcribit, *At vero corpus hominis habet in ſe ipſo & ſanguinem & pituitam & bilem duplicem, flavam videlicet & nigram, atque hæc ſunt ipſi corporis natura, & per hæc ægrotat, & ſanus eſt. Sanus ubi hæc temperamentum inter ſe habuerint moderatum, tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixta &c.* vide plura in Comment. Galen. 1. §. 14.

[9] De his fuſe egit *Ptolomæus* Quadrip. lib. III. C. XI. Exempli gratia citabo modo, quæ habet de temperamento Saturni. Ex quo apparebit, quid de cæterorum planetarum dominio ſtatuendum ſit. *Primum ergo*, ſcribit, *quod in ſtellis dicitur, eſt quod cum Saturnus orientalis extiterit, ſubaudi & fuerit diſpoſitor ſolus, erit natura in figura meſſini coloris, mediocriſque craſſitudinis, pili ejus erunt nigri, capillique capitis criſpi, pectoriſque pili ſpiſſi, oculi mediocres, corpus temperatæ magnitudinis, & ſuper ipſius complexionem vincet frigiditas & humiditas. Quum autem fuerit occidentalis, erit natus ſubniger, macilentus, parvi corporis, planos & raros habens capillos, aptæ coadunationis, oculi ejus nigri, & in ipſius complexione vincet ſiccitas.*

[10]

dicorum negotium ſemper faceſſiverit, eorundemque ingenia diu multumque vexarit, ut explanatius dictorum naturam definirent, eademque Theoriæ Medicæ accommodarent. Verum tamen non video quare dicta temperierum doctrina non reſervanda ſit; facit enim ad intelligentiam veterum auctorum, ut & ad interrogantis vulgi, qui etiamnum frequentiſſime talium vocabulorum meminit, reſponſionem: ſiquidem non ignoratis, nos debere uſum loquendi populo concedere, ſcientiam vero nobis reſervare.

At enimvero, inquam, ut ad propoſitum, a quo parumper declinavimus, redeatis, aveo erudiri, in quibus ſcilicet partibus corporis humani, ſuum quibuſque antememoratis qualitatibus principibus, potiſſime domicilium ſit?

Tum *Deckerus*: Si ſimplices conſideraveris, ſunt tunc quaterni humores, in quibus eas diverſari inprimis veteres exiſtimavere, proindeque ſtatuerunt ad bilem præcipue divertere calidum & ſiccum: ad pituitam, frigidum & humidum: ad ſanguinem humidum & calidum, & ad melancholiam frigidum & ſiccum. [10] Hinc inde plana fit etiam ratio, quocirca nonnulli medici, ſi quando plus caloris & ſiccitatis in homine eſſet, eundem temperamento dotatum cholerico dixerunt: ſi frigus & humor dominium haberet, adeſſe tunc temperamentum pituitoſum. Reliquorum eadem ratio eſt. Igitur, conjunctis qualitatibus primis dictis humoribus, factum eſt, ut quidam

[10] De quibus paſſim *Galenus*, inprimis in libro de cauſſ. morb. Cap. VI. in Comment. 1. in libr. de natur. hum. Hipp. §. XXXVII. in finit. medic. Cap. II. Quo tempore anni autem quilibet corporis humor cum-maxime generetur: Pituita ſcilicet hyeme, ſanguis vere, Bilis flava æſtate, & Melancholia autumno, ſatis ſuperque Hippocratis librum de natura hominis, vel Epiſtolam Dioclis ad Antiochum, legenti innoteſcet.

dam medici, ſimulac ſynonymis, ejuſmodi vocabulis ùſi fuerint. Porro inter Arabes Avicenna, [11] non adminiculo dictorum humorum, ſed ſaporum; quorum ſuum cuique tribuit temperamento peculiarem, conatus eſt deſcribere temperies. Arbitratur enim, dulcem & ſalſum, & amarum, indicare ſiccitatem; acutum vero calorem: ſaporem ponticum & acetoſum, & ſtipticum, frigus juxta & ſiccitatem ſignificare: omnem pinguitudinem prodere calorem & humorem: pure inſipidum tandem, monſtrare frigus & humorem pariter.

Quicquid ſit, inquit *Bourhavius*, obſcura oppido, & perpluribus implicita dubiis iſtiuſmodi de temperamentis doctrina eſt, qua poſſumus nullo negotio ſuperſedere, atque faciliora ſubſtituere; de quibus vero in præſenti tempore, quoniam veterum ſententias perveſtigandi cauſſa huc modo convenimus, non differendi locus erit.

Quinimo & mihi, inquam, ita videtur, verſamini enim in re difficili ac multum & ſæpe quæſita. Verum cujus utilitatis erat, hæc de temperamentis doctrina?

Ad quod *Deckerus*. Veteribus, inquit, hanc habentibus hypotheſin, uſu veniebat, ut iiſdem veſtigiis incedendo Therapeiam aptarent morborum Theoriæ. Exempli cauſſa, poſita morbi cujuſpiam, a temperie frigida, origine, remedium, contraria morbo qualitate, calida utpote, dotatum, uſurpabant. Reliquorum eadem conditio eſt. Præter hæc ipſis uſus erat remedia privis qualitatum primarum gradibus dimetiri, v. g. hoc frigidum, illud calidum, &c. hoc frigi-

ſcet. Et *Ariſtoteles* Probl. ſect. 1. Quæſt. 29. ſtatuit bilem calidam & pituitam frigidam.

[11] In Cantic. 1. text. 27. 28. 29. 30 & 31.

frigidum tertio, illud calidum ſecundo gradu, &c. quæ ſingula hujus ſcopi ergo dimenſa, ut poſitæ morbi cujuſpiam, ab aliqua intemperie oriundi, vehementiæ, ſatis validum remedium opponerent.

Tum ego. Sed perſpectis, inquam, veterum quorundam de elementis corporis humani primis, eorundemque de temperiebus, ſententiis, ſuperſunt compoſita & humanæ naturæ viciniora, a priſcis phyſicis tradita, elementa.

Quaternos Galeniſtarum humores putas, inquit *Deckerus*.

Eos ipſos, inquam. Sed vellem prius ſententiam parentis Medicinæ rationalis expoſitam, antequam alterius ulla mentio fiat.

Tum *Albinus*. Mihi ſemel atque iterum Hippocratis ſcripta perſcrutanti, inquit, videtur inconſtantiam ſententiæ, ſi modo libri, qui pendenti titulo circumferuntur, neu tranſlatitii neu ſuppoſititii ſunt. Enimvero in libro de priſca Medicina, ut paulo ante ex Collega, mihi æſtumatiſſimo, audiviſtis, reprehendit Hippocrates eos, qui autumarunt calidum, frigidum, &c. hominem lædere; & libro de Natura hominis & de locis in homine, & alibi agnoſcit ea, tanquam principia plerorumque omnium animalium, & cauſſas diverſorum morborum; alibi [12] iterum dicit non propter calidum homines ſolum febricitare, ſed ſtatuit amarum ac calidum idem eſſe, & calidum & acidum, & ſalſum ac calidum, & alia infinita, & rurſus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum. Eadem ratio eſt doctrinæ de humoribus, ubi etiam aliqua ſcripta invenimus, quæ inter ſe quodammodo diſcordia ſunt: verbi gratia, quodam loco [13] literis prodidit, corpus hominis in ſe ipſo &

[12] De priſca Medicina. | [13] De natura hominis.

& ſanguinem habere, & pituitam, & bilem duplicem, flavam videlicet atque nigram, atque hæc eſſe ejus naturam, perque hæc & ægrotare corpus & ſanum eſſe. Sanum eſſe corpus, quando dicta inter ſe habuerint moderatum tum facultate tum copia temperamentum, atque optimam invicem mixtionem. Contrario modo ſi accidat, adeſſe tunc protinus corporis ægritudinem. Alibi [14] ſcribit, quadruplicis generis humores, morborum cunctorum, exceptis iis, qui violentia contingunt, auctores corporis eſſe, Pituitam utpote, Sanguinem, Bilem atque aquam. Suum cuique humori fontem præterea adjungit. Nimirum ſanguinis fontem eſſe cor: pituitæ caput: aquæ ſplen: & bilis hepar. Hoc itaque loco lympham vel aquam, omiſſa una bilis ſpecie, in humorum, morbos efficientium, numero collocat: cujus tamen alibi haud mentionem facit. Is ipſe Galenus, [15] quamquam alias ſtrenuus Hippocratis defenſor, non negare audet, Hippocratem indiſtincte de humoribus ſcripſiſſe: qua de cauſſa Pliſtonicum, [16] & Praxagoram [17] & Philotimum [18] ea emendaſſe. Quod ſupereſt, & Galenus paſſim in ſcriptis ſuis,

[14] De genitura. Hunc librum Galenus putat Polybii eſſe.

[15] Libr. de atra bile. Cap. 1.

[16] Is erat teſte *Celſo* in præf. lib. 1. Anaxagoræ diſcipulus. Et apud Athenæum Deipnoſ. libr. 11. citatur Pliſtonicus, ut auctor, qui diſceptavit de aqua, quod ea coquendis cibis vino utilior ſit: & poſt paulo ſubjungit a Balnei lotione ſanitati maxime conducibile, aquam bibere, vere ac hyeme calidiſſimam, æſtate frigidam, mediocriter tamen, ne exolvatur ſtomachus: eo conſilio, ut ante vini potum in habitum corporis diſtribuatur, nec eo vini perveniat integra & indomita vis, quæ vaſorum finibus impacta mordeat. Idem, teſte Oribaſio. Coll. med. libr. VII. Cap. ult. aſſolebat ex helleboro glandes conficere, quas ano vomendi cauſſa immittere jubebat.

[17] Hujus dogmata alio dialogo invenies.

[18] Et hic a *Celſo* lib. VIII. Cap. XX. in numero clarorum admodum auctorum, qui memoriæ prodiderunt, ſe femur exciſum ex toto reſtituiſſe, ponitur.

ſuis, & ſectatores ejus, copioſe ac diu multumque de quaternario humorum numero, quem tenaciter ſervarunt, diſputaverunt, perque hos, ut unicuique veſtrum eſt notiſſimum, tam ſanum quam morbidum corporis ſtatum explicarunt jugiter.

Plura verba Albinus protuliſſet, niſi ipſi eſſet nuntiatum ad januam adeſſe Hottonem: ſi non nobis moleſtiæ eſſet, intro ad nos iturum. Surgens extemplo Albinus eum intus ad nos duxit. Tranſacta inter nos ſalutatione *Hotton* fari occipiebat.

Mihi, antequam intrarem, animus præſagiebat, fore, ut veſtras confabulationes conturbem, ſiquidem piſce, ut fertur, mutiores jam eſtis.

Minime gentium, inquit *Albinus*, attemperate veniſti. Sed nos, & audiendo & loquendo feſſi, paululum modo quieſcimus. An ergo, inquit *Hotton*, diſceptationem habuiſtis.

Joculare iſtud quidem, inquit *Albinus*, quaſi vero neſcires, nos in omnis generis diſceptationes, quoniam facili negotio ſolent bilem concitare, odium ſemper habere magnum: ut autem tibi, quid a nobis tranſactum, indicetur, ſcias, velim, nos amice veterum medicorum temperamenta diſceptaſſe, & alia quædam ad illa pertinentia.

Hoc loco ego interpellabam. Quod bona cum venia

nitur. *Galenus* de uſu part. lib. IIX.. Cap. III. narrat Philotimum palam aſſeruiſſe, quod & cerebrum & cor ſint partes corporis omnino inutiles. Et hic & Praxagoras, exiſtimabant cerebrum eſſe quoddam auctarium, ſeu propaginem medullæ ſpinæ; ob eamque cauſſam longis flexibus atque involucris conſtare. Apud Oribaſium med. coll. libr. v. Cap. XXXII. Exſtat excerptus locus e Philotimo, qui aqua ante & poſt cibum ſit danda. Ita etiam *Ætius* tetr. II. Serm. II. Cap. IX. memorat pileum plumbeum, quem Philotimus excogitavit, ac melancholico, nullum ſe caput habere putanti, imponere juſſit, a quo gravatus ſe caput habere tunc demum intellexit.

nia veſtra fiat, inquam, & interruptum ſermonem iterum contexam, mentio fuit paulo ante vocabuli facultatis facta, &, quia, ut noſtis, medici antiqui longe lateque, de ea facultate diſſeruerunt, idcirco perlibenter vellem, ut aliquiſpiam veſtrum hoc negotium ſibi daret, atque explicaret, quid hac voce apud medicos intelligendum veniat.

Tu, inquit *Bourhavius*, etiam atque etiam irritas nos ad diſſerendum de rebus pene obſoletis, & quæ magis, propter obſcuritatem, ad perturbandum, quam ad acuendum ingenium, aptæ ſunt. Verum, ut petitioni tuæ ſatisfiat, negotium poſtulatum *Hottoni* noſtro, Rei Herbariæ longe peritiſſimo, & in veterum perinde & modernorum Medicina minime hoſpiti, mandandum eſſe, autumo: cum inſuper jus ac æquum duxi, ut integer defatigatis ſubmittatur.

Tum *Hotton*. *Eja*! inquit, ceu vero ego non æque in ambulando, ac vos vel in loquendo, vel audiendo, defatigatus eſſem. Verum, utut ſit, cauſari nolo laſſitudinem diſſertationi inhabilem, ſed dabo, quomodocunque potero, quæ in memoria habeo. Vocabulum Græcum Δυνάμις interpretatum latine obſervo nominibus facultatis ſeu potentiæ. Princeps Medicinæ, Hippocratem volo, dum ſcribit, [19] oportet cognoſcere, quæ affectiones homini ex facultatibus ac potentiis, quæ item ex figuris adveniunt, confeſtim ſubjungit, quid vocabulo facultatis intelligendum ſit. Nempe facultatem eſſe, humorum ſummas vires ac robur noſſe. Et rurſus, peracta figurarum partium corporis deſcriptione, ſubjungit hæc. De potentiis humorum perſpectum habere oportet, quid ſinguli ipſorum in homine facere poſſint, quomodo cognationes inter ſe habeant. Videlicet an

[19] Libro de priſca Medicina,

dulcis humor in aliam ſpeciem mutetur, non a temperamento, ſed ipſe deſciſcens & immutatus ab eo, qualis primum fuerat, amarus, aut ſalſus, aut acerbus, aut acidus, &c. Et alibi [20] monet medicum, ut anni temporum rationem habeat, quantum potentia quodlibet eorum valeat: nec non ſtudeat cognoſcere aquarum facultates, &c. ex his & ſimilibus locis planum fit, Hippocratis mentem commode interpretari poſſe per vocabula virtutis vel virium, idem, quod Hippocrates innuit, ſignificantia. Stagyrita, diſciplinæ Peripateticæ princeps, [21] plurifariam quoque vocabulo potentiæ uſus eſt; memorat ſcilicet δυνάμιν ſentiendi, & vegetandi, & generandi. Etiam Celſus [22] mentionem facit naturalium actionum, quarum cognitionem hi, qui rationalem medicinam profitebantur, neceſſariam medico proponebant. Naturales itaque corporis actiones appellabant, per quas ſpiritum trahimus & emittimus, cibum potionemque & aſſumimus & concoquimus: itemque per quas eadem hæc in omnes membrorum partes digeruntur, &c. Igitur hæ naturales actiones, ſunt eædem, ut mihi probatur, quæ deinde

[20] Libr. de aere, aquis & locis.

[21] Libr. II. Cap. IV. de anima. in Metaphyſ. libr. IV. Cap. XII. tamen aliam ſuggerit *Ariſtoteles* vocabuli ſignificationem. Scribit enim. Potentia quædam quidem dicitur principium motus aut tranſmutationis in altero, aut prout alterum eſt. Ex. gratia potentiam ædificandi, in medium profert, quam, ait, non ineſſe in ædificato: verum artem medendi, cum ſit potentia, infore tamen in eo, qui ſanatur, ſed non prout vel quatenus ſanetur. Capite V. ante memorati lib. de anima diſtinguit potentiam ab actu. Sentire enim nos bifariam, potentia & actu: reliqua indidem petantur. Cæteris vocabuli potentiæ ſignificationibus, quæ ſolent plurimum Metaphyſicis uſu venire, de induſtria ſuperſedeo, quoniam Medici iis perraro utuntur.

[22] In præfatione libr. I.

[23]

de a Galenicis nomine facultatum naturalium deſcriptæ ſunt.

Tum ego. Ne loqui deſinas, inquam, ſed da nobis, ſi placet, Galeni Sententiam.

Et is, inquit *Hotton*, quamvis paſſim facultates naturales commemorat, de induſtria tamen in peculiaribus libris [23] copioſe circa eas diſputat. Ego conferam Galeni verba ad compendium. Et primo ad mentem Galeni facultatem definio, quod ea ſit cauſſa actionis operis in corpore exiſtentis. Jacobus Sylvius ita definivit. Facultas eſt cauſſa quædam effectrix in partis temperamento ſita. Juxta Galenum trifariam, vel in tres claſſes, facultates diſpeſci queunt, ut (1) in principes, (2) minores, vel minus principes, & (3) prioribus ancillantes. Principes iterum triplicis ordinis ſunt, ut (α) naturalis, quæ ſedem habet in Hepate, (β) vitalis, cujus ſedes in corde, & (δ) animalis, quæ rerum in cerebro potitur. Facultas naturalis dividitur rurſus in tres principales, ut (1) in generandi, (2) augendi, & (3) nutriendi facultatem. Antequam ulterius progrediar, in tranſitu moneam, neceſſe eſt, quamlibet facultatem, & actione, & opere, præditam. *Opus*, Pergamenus noſter appellat, quod jam factum atque completum per actionem eſt, velut ſanguis, caro, nervus, &c. *actionem* vero, ipſum *activum* motum: cauſam denique, a qua hæc procedit facultas. Sed in viam. Generandi facultati, † quam in conceptu, vel fœtus generatione, Galeni aſſeclæ conſiderant, inſerviunt, alterandi, formandi, nutricandi augendique facultates. Augendi facultatis proprium eſt in omnes partes proferre, quæ jam nata genitave ſunt. ‡ Nutriendi facultati denique fa-

[23] Quorum titulus eſt de facultatibus nuturalibus.

† De hac vide de Nat. fac, libr. 1. Cap. v. & vi.

‡ *Ibidem*. Cap. vii. Etenim auctio ſecundum finitiones, Galeno

mulantur quatuor minores ut, (1) attrahendi, (2) retinendi, (3) coquendi, & (4) expellendi facultates.

Hoc loco *Bourhavius*. Dii immortales, inquit, quot, quantas tradis, corporis unius facultates? Memoria mehercule firma cuivis opus eſt, ut tot diſtinctas nomine facultates, memoriter recitare poſſit. Quanto temporis ſpatio nobis non opus eſſet, ſi nobiſcum eas ſigillatim diſquirere, atque ſuam cujuſque facultatis naturam, & munus, explicare vellemus.

Tum *Albinus*. Satis temporis nobis eſt, inquit, quod, ſi modo vobis volupe fuerit, ſi non in omnibus, ſaltem in maxime cognitis explicandis, terere poſſumus.

Tum ego. Quandoquidem urbano noſtro hoſpiti, inquam, haud incommodamus, velitis, obſecro, controverſioſas tantum corporis facultates attingere.

Ain tu controverſioſas? inquit *Bourhavius*, plerarumque omnium natura ita comparata eſt, ut de eis ſit controverſia: imo dubium an aliqua exiſtat Præter fluidorum per ſolidas corporis partes motionem, vel preſſionem, nullas agnoſco corporis facultates naturales. Chimæræ inſtar fictæ ſunt, neque etiam OEconomiæ animalis faciliori adminiculantur explicationi; ſed potius ad eam obſcurandam accommodatæ ſunt.

Tum *Deckerus*. Ne Stomachare hujuſmodi facultates, inquit, ſciſne metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede? Veteres ſibi, nos nobis placemus.

Tum *Bourhavius*. Non adeo ſum ſtomachoſus, inquit, ut tibi fortaſſis nunc habeor, ſed indicare tantum volui, doctrinam de facultatibus ægre tironibus Medi-

leno adſcriptas, Cap. III. eſt profectus corporis in longitudinem, latitudinem & profundum.

Medicinæ, quia multis & difficultatibus & obſcuritatibus referta, inculcari poſſe.

Igitur aliquam, inquam, dictarum facultatum delibemus narratione, ut ex ea documentum capiamus, quid de reliquis ſtatuendum ſit. Satis fore, arbitror, ſi nutriendi, & eas, quæ huic ancillantur, facultates, commemoraverimus. Itaque doctiſſime *Hotton*, quippe ante faceſſitum tibi negotium eſt, ut nos, quemadmodum quoque a te factum, ſyſtema facultatum naturalium ſiſteres, Te etiam atque etiam rogo, pandas nunc priſcorum, circa nutriendi facultatem, opiniones.

Tum *Hotton*. Et nutritionem, inquit, inter veteres Galenus ſtatuit, [24] eſſe aſſimilationem nutrientis ejus, quod nutritur. Non aſſimilationem veram, ſed tantum apparentem ſtatuerunt Sceptici. [25] Nutricationem autem, ut munia ſua obire poſſet, indigere, Galenus & ejus ſectatores putant, aliis quaternis, ſibi famulantibus, facultatibus. Quæ concoctioni præeſt, efficit, ut rerum nutricatui deſtinatarum debita fiat digeſtio. Huic officio ſuo perfunctæ actutum præſto eſt attrahendi facultas, quæ, quicquid cujuſque corporis partis nutrimento idoneum, ad ſe attrahit. Hanc extemplo ſequitur retinendi facultas, quæ tanquam promus in promtuario

[24] Fac. nat. libr. 1. Cap. XII. Finit. med. Cap. III. Nutricatio eſt additio quæ corporibus in circuitum ac latitudinem fit.

[25] Quantum ad nutritionem pertinet Galenus narrat ſectatores Hippocratis ſtatuiſſe, rem, quæ tum generationi tum interitioni eſt apta, ex toto unitam eſſe, alterarique poſſe: aſſeclas vero Aſclepiadis, eandem ſtatuiſſe immutabilem, in tenuia diſſectam, alterari neſciam, vacuitatibus quibuſdam interceptam. Neque etiam vel naturæ vel animæ propriam ullam facultatem eſſe, ſed cuncta primorum illorum corporum, quæ & impatibilia & ſimplicia proponunt, certo quodam congreſſa fieri.

* Ut

tenaciter ſervat, quicquid ex uſu cujuſcunque partis eſt. Quandoquidem vero complura ventriculo ingeruntur, quæ inepta ad nutricandum, tunc illico, tanquam ancilla quædam, adeſt, expellendi facultas, quæ id, quod corpori inutile, vel ſurperfluum, per omnis generis corporis excretioni dicata loca, foras amandat.

Oh quam lepide veteres nugabantur! identidem interfabatur *Bourhavius*.

Hoc loco *Albinus*. Non nos modo hoc tempore adeo perſpicacis ingenii primum facti, ut demum a nobis ſit vanitas facultatum memoratarum animadverſa: verum inter priſcos jampridem nonnulli extiterunt, quibus itidem hoc ſuboluit; ea propter diu multumque inter ipſos diſputatum eſt, ut alter alterius ſententias, ſi non peſſumdaret prorſus, delumbaret ſaltem. Exempli loco adducam concoctionem ciborum in ventriculo, quæ, ſecundum Empedoclem, fit putrefactione, * quam ſententiam quoque amplexus eſt Pliſtonicus, Praxagoræ diſcipulus. Hippocrates per calorem cibos concoqui: Eraſiſtratus, Theophraſto æqualis, cibum in ventre atteri contendit. Aſclepiades Bithynus, ejuſdemque æmuli, omnia iſta vana & ſupervacua eſſe propoſuerunt: nihil enim concoqui, ſed crudam materiam, ſicut aſſumpta eſt, in corpus omme diduci. [26] Hippocrati

* Ut refert *Plutarchus*. Quæſt. nat. 11. ejus cauſſa hunc ex Empedocle citat verſum.

In ligno putrefacta aqua, at ſub cortice vinum.

[26] Quorum opiniones recenſet *Celſus* in ſæpe memorata Præfat. lib. 1. Aſclepiades, teſte *Aureliano* celer. paſſ. lib. 1. Cap. XIV. negat ullam in nobis ciborum digeſtionem eſſe, ſed ſolutionem ciborum in ventre fieri crudam, & per ſingulas corporis particulas ire, ut per omnes tenuis ipſa penetrare videatur. Inſinit. Medic. *Galen.* Cap. III. Concoctiones alimenti putat Hippocrates a calido innato: Eraſiſtratus contritione & lævigatione & amplexu ven-

crati aſtipulati ſunt Galenus atque ejus imitatores. Inter Arabes, qui ſectæ Galeni potiſſimum ſe addixerunt, Avicenna [27] opinatus eſt, digeſtionem fieri non propter ventriculi calorem ſolum, ſed & ob vicinarum partium, hepatis & ſplenis. Iatrochemicorum aliqui ſuccum acidum, vel ventriculo, vel glandulæ pancreati, inhabitantem: aliqui huic adjungunt fermentationem, cujus ſubſidio volunt cibos mitigari. Inter modernos iterum aliqui Eraſiſtrati, vetuſtate tantum non contritum, dogma, revocant, & hoc, ut vobis res notiſſima eſt, omnimodis explanare contendunt. [28] Ad ſummam, ut Venuſini Poëtæ verbis utar, [29] Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum millia; ſua quiſque delectatur ſententia.

Dolendum eſt, inquam, nos injuria temporum libris Eraſiſtrati, quin & Aſclepiadis orbatos. Siquidem varia excerpta, quæ hinc inde pene diverſos proſtant, indicant eos auctores admodum compluſcula literis mandaſſe, quæ id temporis literarum rudibus, tanquam nupera inventa, ad credendum obtruduntur.

Hoc loco interſeram, inquit *Hotton*, Eraſiſtrati

 opinio-

ventriculi, & adſcitii ſpiritus proprietate. Empedoclis putrefactione: Aſclepiades ex crudis digeſtiones fieri, autumavit. De Erafiſtrato vide etiam *Galenum* de nat. fac. libr. 11. Cap. VIII.

[27] Fen. 1. doctr. IV. Cap. 11. Et paulo poſt ſubjungit. *Chylus producitur digeſtione, cujus ſubtile a ſtomacho & inteſtino attrahitur, vel per vias venarum, quæ meſeraica vocantur, impellitur, inde pervenit ad venam, quæ porta hepatis vocatur, & penetrat in hepar in diviſionibus, & ramis portæ inſtantibus.* Ibi ſtatuit fieri chyli decoctiones, ſecernique hic a ſanguine primum ſpumam, quam choleram rubram, dein ſedimentum quoddam, quod atram bilem conſtituere.

[28] Hujuſmodi opiniones L. B. inveniet in ſeq. Dial.

[29] Satyr. libr. 11. Cap. 1.

[30]

opinionem de cauſſa famis, quam eo in medium profero, quia obſervavi Eraſiſtrato perplura eſſe, quæ procedente tempore inveterata, ac fere exſtincta, quod ea jam reviviſcant, & rationi maxime conſona habeantur. *Eſuritionem faciunt, Eraſiſtratus ſcriptum reliquit, inanes patenteſque inteſtinorum fibræ, & cava intus ventris, & ſtomachi vacua hiantia; quæ ibi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, & connivent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel ſtipato, vel adducto, voluntas capiendi ejus deſiderandique reſtinguitur.* [30] Sed e diverticulo in viam. Recenſita coquendi, facultate ſupereſt attrahendi dicenda.

Tum *Albinus.* Et in hac explicanda, inquit, non concordant tum philoſophorum tum medicorum judicia, Hippocrates, Ariſtoteles, horumque æmuli ajunt; contra Plato, Eraſiſtratus, Aſclepiades, & qui horum placita approbarunt, negant, attractionem. Hippocrates, Galenus & cæteri, opinantur, quod quælibet corporis animantis pars, id, quod ſibi conveniens attrahat, alteret, retineat: Quod vero tali viſceri diſſimile, id putant, juxta ac excrementum ad aliud viſcus amandari, ab eodemque attrahi; ſic Jocinori varia excrementa eſſe, quorum aliud lieni, aliud veſicæ bilis, aliud renibus eſſe jucundum. Eraſiſtratus meatus in hepate trahendi vi privans, appoſitam poſituram, & oſculorum cauſatur anguſtiam, ac hanc aliorum corporis humorum ſecretionis cauſſam eſſe. [31] Sic etiam plurimi medicorum antiquorum medicamentis affinxerunt vim trahendi privos

[30] Locum excerpſit *Gellius* noct. Attic. libr. XVI. Cap. VII.

[31] Plato in Timæo de electro deque magnete verba faciens, aſſerit, revera nullius horum fieri attractionem, ſed cum nuſquam ſit vacuum & ſe invicem pulſent ac repellant, concretaque & diſcreta ſuum quæque locum poſcant, diligenti harum rerum inveſtigatori ex his mutuis paſſionibus eventus illos contingere mirabiles, facili ennoteſcere. De reliquorum

vos humores, hæc origo eſt ſelectus purgantium; quem tamen vel ſuo ævo aſpernati ſunt, & Eraſiſtratus, & Aſclepiades, ſtatuentes ab ipſis evacuantibus medicamentis humores alius atque alius formæ fieri: Neque enim quicquam intereſſe ſive aliquis hydropico medicamentum aquam intercutem, ſive bilem ducens, exhibuerit: quippe omnia pari modo vacuare liquareque corpus, ac quod liquatum eſt, cum prius tale non eſſet, efficere. Aſclepiadis auditor Themiſon [32] reprobavit quoque attractionem. Nam cum dixerit id, quod attrahat materiam a capite, attrahere hoc etiam ejus nutrimentum: non enim ratione quadam tacita, velut animal ſentiens, poterit medicamen utilia relinquere, & ab his, quæ contra naturam ſunt, ac detrahenda ſeparare, indicare voluit abſurdum eſſe, ſiquis attractionem in Phyſicis admiſerit. Ex adverſo Galenus rerum ſuarum ſatagens multis rationibus, & experimentis contrarium probare adnititur Scilicet cum ab omnibus corporis partibus, quod ſibi ad nutricatum conveniens, tum etiam a catharticis medicaminibus, ſingulares humores attrahi: quæ ſententia tamen & hac ætate inveteraſcit; quin dicam, deridiculo habetur. Confitemur quidem, quod cuique parti accidat id, quod ei eſt conducibile, atque fiat illud, quod Empedocles docuit. [33]

Dulcia continuo ſe dulcibus applicuerunt,
Acribus acria ſe junxerunt, triſtia amaris
Et recta calidas petierunt fervida partes.

Verum id non tractu, ſed impulſu vel preſſu ita fieri, quod tunc ejuſmodi particulæ ex humore ſolidam per-

rum auctorum opinionibus vide *Galeni* libr. II. Cap. IV. de fac. nat, ut & cætera capito unde opiniones has diverſas in compendium contraxi.

[32] Cæl. *Aurelianus* tard. paſſ. lib. II. Cap. IX.

[33] Locum excerpſit *Plutarchus* Sympoſ. IV. Quæſt. I.

[34]

meante partem, eidem aſſimilentur, quæ ratione magnitudinis vel figuræ ablatis vel deficientibus conformes ſunt

Nonne deſe creione urinæ, interrogabam, exiſtunt quoque aliæ atque aliæ opiniones: memini enim me omnifarias & legere, & audire.

Enimvero plurifariæ extiterunt, inquit *Albinus*, Et Hippocrates noſter [34] ſtatuit renum cavam partem ad venas magnas ſitam, unde enaſci ex ipſis venas in veſicam, qua parte potus trahatur per venas in renes. Deinde aquam per renes, tanquam per qualum percolari: ſpongiforme enim eſſe ipſorum corpus ad veſicam, & hic percolari ac ſecerni a ſanguine urinam. Platonis commentum, ſcilicet potum quemlibetcunque per aſperam arteriam fibris pulmonis allabi, deinde per renes in veſicam trahi, jamdudum ab Eraſiſtrato explosum eſt. [35] Ariſtoteles [36] urinæ colationem per renes admittit. Fieri autem urinam perinde & ſudorem motu & calore, & exinde indipiſci ſalſum ſaporem; partem, quæ deorſum ad veſicam tendit, urinam: partem, quæ ad corporis extremitates vergit, ſudorem vocari. Ejuſdem ſententiæ eſt etiam Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus. [37] Diocles, Eraſiſtratus, Praxagoras, aliique, Hippocratis ſententiam complexi ſunt. Nempe urinam a ſanguine ſecerni, & in renibus coqui. [38] Aſclepiades vult eum, qui bibitur, humorem in

[34] Lib. de Officum natura.

[35] Ita *Macrobius Saturnal.* libr. VII. Cap. XV. verum *Aul. Gellius* libr. XVII. Cap XI. ſcribit Platonem ab Eraſiſtrato nobili medico reprehenſum, quod potum dixit defluere ad pulmonem, eoque ſatis humectato, dimanare per eum, quia ſit rimoſior, & confluere inde ad veſicam.

[36] Problem. ſect. II. Quæſt. III.

[37] Vide hujus librum de Sudoribus.

[38] *Galenus* de nat. fac. lib. I. Cap. XIII.

[39]

in halitus reſolvi, atque in veſicam tranſmitti: inibi vero denuo illos concretos priorem recipere formam, fierique ex halitibus rurſus humorem; quod, ut apte fieri poſſet, excogitavit incertos quoſdam inviſibileſque meatus in veſicam. Iſtiuſmodi halitus vero, exiſtimavit, ſtatim ex venæ cavæ partibus in veſicam colligi. [39] Lycus Macedo vult totum, quod bibimus, urinam fieri, niſi quod cum alvo exierit, aut in ſudorem, aut per inviſibilem perſpirationem abiverit, veritatem dicti ſui oſtendere putat eam, quam quotidie mejimus, copiam: atque id hyeme potius cognoſci a potatoribus, potum vel vinum tenue congiatim in ſe ingurgitantibus, quos celeriter paulo minus mingere, quam biberint. Galenus, & qui ejus familiæ nomen dederunt, putant, nullam poſſe aliam ſecretionis urinæ cauſſam, præter attractionem reddi. [40] Noſtra ætas, ut eſt mire omnis generis opinionum ferax, habet ſectatores Helmontii, exiſtimantis ſolos renes urinam facere ex materia, quæ alias eſſet ſudor, differreque urinam in homine, non quidem materia primi laticis; ſed ſolo efficiente renum fermento: [41] habet etiam imitatores Aſclepiadis, cujus doctrinam tamen paulo aliter interpretantur, nimirum non uno modo; ſed bifariam, ſeparari urinam a ſanguine: partem autumant per glandulas, alii volunt tubulos renum, ſecerni, perque uretheres ad veſicam urinariam amandari, partem iterum aliam ſub forma halitus per poros foras intus ſpectantes veſicæ, eandem ingredi, inibique de novo condenſari. [42] Et nuper admodum D. Morin non diſſimilem

[39] *Galenus* eod. libr. Cap. XVI.

[40] Ibid. Cap. XVII.

[41] *Helmontius* in Tract. cui titulus, aditus præcluſus ad condum viſcer. §. XIII.

[42] Vide opiniones hujuſmodi apud *Bolonium* in circul.

Ana-

milem *Cranio* tulit urinæ ſecretionis modum: vult etenim duplicis generis urinas in animalium corporibus ſecerni, alteram ſeparari abducique per ventriculi, & fortaſſis etiam inteſtinorum, poros: nec non per intervalla, quæ ſunt intra inteſtina in abdominis cavitate, & tandem per poros veſicæ hanc ipſam ingredi: alteram autem per arteriam emulgentem, renes, & uretheres ad veſicam, abvehi. [43]

Hoc loco *Bourhavius*. Ohe quam tu longe, inquit, urinæ ſecretionis principia tradis! Propiores ſane & ſimpliciores, quam a te indicati, Naturæ & modi & viæ ſunt, quarum adminiculo omnis generis humores in corpore animantium ſeparantur. Nam vas, humorem quendam ſecernens, eſt ramus trunci ultimus recte pergentis, cujus diameter trunco ſemper eſt minor: hinc partes, cæteris diametro minores, per ramum fluunt. Hinc ſecretio liquidi a ſpiſſiori liquore: Imo omnes ad unum corporis univerſi ſecretiones mechanice fiunt: dictarum vero varietas arteriæ longitudini, ejuſdemque complicationi multimodæ, motuſque renixui, alii atque alii orificii diametro ad truncum, &c. aſcribenda eſt duntaxat. [44] Quantum ad me pertinet, ego proſcribturio omnes, a veteribus excogitatas, facultates naturales, & cætera, quæ ſeculo, non ita pridem præterito, inventa ſunt, fermenta, *fermentationes*, *præcipitationes*, pororum *configurationes*, & neſcio quæ amplius; quæ non ad colluſtrandam, ſed ad obſcurandam Medicorum rationem, reperta ſunt.

Tum

Anatom. progymn. XIV. *Cranium* de Homine. Broeckhuyſens Oecon. anim. §. XCVI. *Bontekoe* Oecon. anim. §. XXI. Bergerum de nat. Hum. Cap. XII. & alios.

[43] Voyez le projet, d'un ſyſteme, touchant les paſſages de la boiſſon & des urines, dans les memoires de l'Academie Royale des ſcience l'année. MDCCI.

[44] Vide orationem ejus de uſu ratiocinii Mechanici in Medicina.

Tum ego. Eheu conditionem temporis! inquam, cuncta fere, a priſcis indefeſſa indagatione, inventa, hoc tempore in vituperationem veniunt, &, quod ſtabile ad diuturnitatem ratiocinii medici eſſet, nil quicquam prope habemus. Concedo equidem Phyſiologiam Medicinæ, & inprimis eam partem, quæ agit de corporis habitudine, quatenus illud partium ſolidarum forma figurave, ac fluidi, generatim conſiderati, commotione, vitale ſit: eatenus ſubſidio diſciplinæ Mathematicæ poſſe illuſtrari; at enimvero, cum in corpore animali totidem diverſi humores, quotquot Anatomicorum induſtria hactenus invenit, ſecernantur, non video, qui aliquiſpiam, Clariſſimi Bourhavii viæ inſiſtens, rationem tot variorum humorum ſecretionis reddere poſſit. Generalis admodum eſt ratio, quam protulit de vaſe humorem ſeparante, quod id utpote ſit ramus trunci ultimus recte pergentis, atque cujus diameter ſemper ſit trunco minor: ſiquidem hæc poſitio non planam facit rationem, quas ob res in jocinore inprimis fel, in renibus tantum urina, inque corporis locis iterum atque iterum alius humor ſecernatur. Neque enim multum intereſt, ſeu id ad aliquem ratiocinii Medici fructum redundat, ſive aliquis proſcriptas a Bourhavio pororum peculiares figuras, ſive rami cujuſpiam diametrum minorem, ut is, & cæteri Mathematici exiſtimant, ſecretionis omnimodorum humorum cauſam ſtatuerit. Inexploratum quippe, quin dicam inexplicabile, huc uſque utrumque ratiocinium fuit; quia viæ, ſecretioni humorum deſtinatæ, ne oculo quidem, microſcopio, armato, detegi queunt; ſcilicet qua forma, quave figura intrinſeca ſingulæ ſint dotatæ. Volebam his adjungere doctrinam defermentis, *præcipitatione* & ſim: hanc videlicet poſſe inſervire complurium morborum, ut & medicamentorum operationum

num explicationi; verum Nobilis hoſpes noſter nos in triclinium ad cœnulam adducens, cauſabatur me longe harum operationum in acroamatis, in lucem editis mentionem feciſſe.

DIALOGUS. VI.

De morbis, Symptomatibus, quorundam morborum novitate, Medicamentorum inventione, & de facultatibus, Magia, arte Gymnaſtica, Frictione & Balneis.

POſtridie ejus diei, qua Albinum inviſeramus, ad parile ſympoſium nos invitabat *Hotton.* Aderant & *Deckerus*, & *Albinus*, & Anonymus quidam. Coeptaverant paulo ante, quam ego adventarem, cauſſam inveſtigare, quapropter plerique medici hieic locorum non tanta auctoritate, quanta alias in aliis regionibus, valeant; ſed potius contemtu laborent. Continuabant, me etiam tunc præſente, eandem cauſſam rimari. Aliam alius hujus mali proferebat: ſuam quiſque rationibus, ad hoc negotium idoneis, argumentabatur.

Inter alias, quarum nunc non mentionem faciam, inquit *Albinus*, præcipuam medicorum contemptionis cauſſam, arbitror, eſſe invidiam. Late patet hoc vitium & eſt in multis. Cicero bene definivit invidentiam, quod ſit ægritudo ex alterius rebus ſecundis: [1] Inprimis vero, ſi altero alter vel majoribus honoribus uſus fuerit; vel grandiores uberioreſque ex Medicina divitias fecerit, actutum invidia tunc præſto eſt; cui inſuper, tanquam comes individua, ſe adjungit Maledicentia, quæ, quamvis haud palam, clanculum ſaltem, alterius famam maledico dente carpit, vel probroſo car-

[1] Tuſculan. Quæſt. libr. IV. adde, *quæ nihil nocent invidenti.*

carmine diffamat. Querimoniæ, dudum a Camerario habitæ, [2] jam recordor, quam vel hodie repetere rectiſſime poſſumus. Laudi nunc, quod dolendum eſt ſane, ducitur, ait, inſontes criminibus & calumniis afficere, quaſi res ingenioſa eſſet, ſcommata, probra & maledicta, falſaque dicteria in deſpectum & detractionem aliorum malitioſe excogitare, & effundere, ita ut Diabolus, qui nomen a calumniando habet, vix talis artifex in fingendis calumniis eſſe poſſet. Verum adverſus ejuſmodi obtrectatores nullum præſtantius remedium eſt, quam.

Neſcia mens fraudum, inculpataque integra vitæ,
Scommata nullius, nullius arma timens:
Omnia contemnens, ventis velut obvia rupes,
Mendaceſque ſonos unius aſſis habens. [3]

Optima dixiſti, inquit *Hotton*. Hoc maledicentiſſimum hominum genus, o tempora! o mores! eandem, quam Momus apud Lucianum, [4] ſibi tribuit, calumniandi vituperandique libertatem. Is Momus coram Jove glorioſe temereque effutivit. Ego, ajebat, Liberæ Linguæ Deus ſum; Etenim omnia in reprehenſionem rapio, ac propalam, quæ mihi optime aut ſecus facta videntur, proloquor, neque cujuſquam auctoritatem reformido, neque præ verecundia ſententiam meam concelo.

Tum *Deckerus*. Ain' tu calumniatores noſtrates Momo ſimiles? Pernego hoc. Sunt enim Momo pejores. Hic quippe carpebat vitia ſive deorum, ſive hominum, vere peracta: at illi falſiſſima quæque mendacia conſuunt, atque proximo ſuo complura affingunt mala facinora, quorum ne cogitatio quidem huic unquam in mentem venit: cum nihilominus optimum hunc

[2] Horar. ſubceſiv. Cent. III. Cap. LVI.
[3] Vide Cameranium Cent. III. Cap. LX.
[4] In concilio Deorum.

[5] Sa-

hunc virum inceſto ore, vel carmine criminiſſimo, lacerant. Et hæc omnia homunciones livida turgidi invidia cummaxime perpetrant, partim propter honores, ad quos capeſſendos ipſi maxima ex parte inhabiles ſunt, partim propter ſoſtrum, quod tamen in his terrarum oris, ut noſtis, oppido tantillum eſt.

Hoc loco ego. Haud parum, inquam, ad contemptum medicorum adjuvant eruditorum, qua ore, qua ſcriptis, diſceptationes, quibus alter alterum incuſat erroris, ignorantiæ, & neſcio cujus amplius. Næ, plurimi horum inter ſe mulierum ritu altercantur; &, ſiquis emunctæ naris illorum litem ſecum perpenderit, inveniet mehercule, non rerum, ſed verborum frequentiſſime eſſe inter eos controverſiam. Et facite errores aliquem ex Medicinæ doctoribus erraſſe, meliuſne eſſet pro decore dignitateque Medicinæ ſervando, juxta monitum Venuſini Poëtæ [5] procedere, ſcilicet

---- *Pater ut gnati, ſic nos debemus amici,*
Siquod ſit vitium, non faſtidire. Strabonem
Appellat pætum pater: & pullum male parvus
Si cui filius eſt; ut abortivus fuit olim
Siſyphus. ----

Enimvero, hoc pacto ſi quis proceſſerit, inveniet, quod

Hæc res & jungat, junctos & ſervet amicos.

Sed eheu! quam temere in noſmet legem ſancimus iniquam. Non cogitamus nobiſcum neminem ſine vitiis naſci, optimum vero illum eſſe, qui minimis urgeatur: verum plerique omnes putant ſe ſine erroribus vitam tranſigere, ut & doctrinam, quam vel ore vel ſcriptis profeſſi ſunt, ſine mendis publicaſſe. Plurimum enim de honore deque gravitate ſua deceſſurum,

[5] Satyrar. lib. 1. Satyr. 111.

(6) Libr.

rum, arbitrantur, ſi ingenue confiterentur, ſe unquam errore captum fuiſſe. Neque vero uſque adeo gravitatem ſuam tanta pertinacia, quanta plerumque ſolent, tuerentur tales auctores, ſi in memoria haberent, quod Celſus [6] de ingenuitate, quam Hippocrates præ ſe ferebat, poſteris tradidit. Habete auctoris jamjam citati verba. *A ſuturis ſe deceptum eſſe, Hippocrates memoriæ tradidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.* Verum, proh dolor! contra eſt experimentum.

Tum *Hotton.* Utinam, inquit, non in deſuetudinem veniſſet comitis archiatrorum poteſtas! qua eum, ut auctor eſt Caſſiodorus, ab imperatoribus donatum fuiſſe. Profecto tot jurgia, tot criminationes, &c. quotquot jam ſunt, non inter medicos verſarentur.

Nonne præſto tibi ſunt, inquit Anonymus, Caſſiodori opera? audirem perlibenter, quid ille de memoratis comitibus archiatrorum memoriæ prodidit.

Porrigente huic Anonymo Caſſiodori ſcripta *Hottone*; En tibi auctorem, inquit, Hic locus eſt, [7] ubi comitis archiatorum mentio fit, recites velim, quæ ſcopo propoſitove noſtro inſerviunt.

Deponite medendi artifices, ex codice recitabat Anonymus, *noxias ægrotantium contentiones, ut, cum vobis non vultis cedere, inventa veſtra videamini diſſipare. Habetis quem ſine invidia interrogare poſſitis*: & paulo poſtquam alia, quæ ad intentionem noſtram non pertinerent, interſperſa eſſent, iterum hæc, a recitante

[6] Libr. VIII. Cap. IV. [7] Libr. VI. Cap. XIX.

dicta, noſtræ memoriæ mandavimus. *Quapropter a præſenti tempore comitis archiatrorum honore decoramus, ut inter ſalutis magiſtros ſolus habearis eximius, & omnes judicio tuo cedant, qui ſe ambitu mutuæ contentionis excruciant. Eſto arbiter artis egregiæ, eorumque diſtinctæ conflictus, quos judicare ſolus ſolebat affectus. In ipſis ægros curas, ſi contentiones noxias prudenter abſcindis. Magnum munus eſt ſubditos habere prudentes, & inter illos honorabilem fieri, quos reverentur cæteri. Viſitatio tua, ſoſpitas ſit ægrotantium, refectio debilium, ſpes certa feſſorum.*

Hui! exclamabat Anonymus, quem principatum, quam potentiam hujuſmodi comites archiatrorum nanciſcebantur olim. Monarchiam, Ædipol, redolet, quæ non in civitate libera, in qua auctore Tiberio [8] linguam, mentemque liberas eſſe debere, toleranda. Certe, ſi aliquis noſtrorum medicorum talem, qualis a me lecta, comitis archiatrorum poteſtatem indeptaſſet, ac ita omnium medicorum potiretur: cogitetis cum animo veſtro, velim, quam arroganter is ſuperbiret, quam flocci facturus is eſſet cæteros medicos. Numne, judicate, is non foret redivivus Menecrates Syracuſius? quem Jovem cognominabant: quique animo elatus magnifice ſentiebat, ſe propter Medicinæ peritiam, qua inſtructus erat, ſolum vitæ hominum auctorem eſſe. Adhæc perraro exibat, quin caterva revaleſcentium ſtiparetur, [9] pari modo fere, ut in ævo noſtro tirones catervatim doctoribus quibuſdam,

[8] Ut habet Suetonius libr. III. Cap. VIII.

[9] Cujus de ſuperbia ſcripſerunt Ælianus in varia Hiſtor. libr. XII. Cap. LI. & Athenæus Deipnoſ. libr. VII. Quin etiam Menecrates adeo gloriabundus erat, ut ipſum non puderet ſcribere Philippo Regi. *Tu quidem in Macedonia, at ego in Medicina regno. Tu bene valentes, ſi libet perdere potes: ægris autem ſanitatem ego reddere, & a morbo robuſtos vindicare, mihi ſi pareant, præſtareque, ut incolumes ad ſenectutem perveniant &c.*

dam, antequam informare inceperint, vel finita quoquo pacto inſtitutione, comitantur; ob quorum comitatum tunc, vani faſtoſique hujuſmodi homines, maximopere ſibi plaudunt, jactantque de magno diſcipulorum numero, quem tamen garrula lingua, magna, de incredibili eruditione his prolixe promittens, ipſis conciliavit tantum. Hinc etiam fit, ut tales thraſones perraro diuturnæ hominum exiſtimationi ſe vindicent: quoniam majus commodum diſcipulis ſuis pollicentur ex tradita diſciplina futurum, quam quod, ad maturitatem ingenii proventis, haurire inde lieuit.

Heus tu amice, inquit *Deckerus*, quo labere. Sane longius, quam decet. Id me mordet in tuis dictis, quod exiſtimas; non poſſe non, quin ii, qui munere publico funguntur, vel honoribus utuntur, inſimul ſuperbi evadant, & præ ſe cæteros contemnant: quod vitium autem, ſi cuipiam tale eſſet, non niſi in literarum rudes, favore patroni, vel cognati in auctoritate conſtituti, curſim ad dignitates perrectos, vel promotos, potiſſimum cadit; cum e diverſo doctiſſimus quiſque humiliter & demiſſe ſentit; ſiquidem non ignorat, neminem hominum quemquam adeo plene doctum, ut nullus, ſe doctior, poſſit extare.

Non hic locus eſt, interpellabat *Hotton*, moralem Philoſophiam profitendi, ſatis ſuperque circa cauſſas contemtus Medicinæ diſputatum eſt, aliorſum confabulatio noſtra eſt flectenda.

Quorſum demum, inquit *Deckerus*.

Si vobis non diſplicuerit, inquam, pertractemus artem Medicam.

Quid tandem, inquit *Deckerus*, ex hac depromendum cenſes? Univerſam, propter vaſtitatem ſcientiæ, nequimus.

Tum ego. Aliquoties eruditorum in conſeſſu fui, ubi complura ad Phyſiologiam ſpectantia, diſquire-

bantur: hoc tempore itaque quædam e Pathologia, niſi ea vobis moleſtiam exhibitura, tractemus. Et quandoquidem ea, ut non neſcii eſtis, de morbo, ejuſdemque ſymptomatibus atque cauſſis, memorata producentibus, inveſtigat, non ingratum vobis ſermonem fore autumo, ſi horum diſquiſitioni pauliſper immorati fuerimus.

Hoc loco *Albinus*. Primum ergo, inquit, de morbo eſt diſſerendum.

Tum ego. Pandas nobis, inquam, diverſas medicorum opiniones.

Tum ille. Ut itaque commemorem, inquit, quæ quantavis memoria nunc mihi ſuppeditat, ordiar a veteribus, quos inter Pythagorici ſtatuebant, [10] ſanitatem ſpeciei eſſe conſiſtentiam: morbum contra hujus eſſe violationem. Deliciæ meæ Hippocrates [11] ſcribit, quicquid homini moleſtiam affert, morbus eſt. Plato [12] definivit morbum hoc pacto, morbus eſt rei natura cognatæ ex aliqua corruptela diſſenſio. Inter Methodicos Olympicus [13] morbum ſtatuit eſſe mutationem a naturali in id, quod præter naturam ſit ſtabilem. Galenus [14] finivit diſpoſitionem præter naturalem corporis humani, & ejuſdem partium, a qua actio primum læditur. In finitionibus medicis, [15] quæ communiter Galeno aſcribuntur, diverſæ extant morbi definitiones, ut morbus eſt habitus valetudinarius totius corporis aut partis: vel ægrotatio eſt intemperies humorum corporis: vel eſt naturalium facultatum præpedimentum. Et quamvis poſterioris ævi Medicinæ ſcriptores interdum

[10] Teſte *Dieogene Laert.* Libr. IIX.
[11] Libro de flatibus.
[12] In Timæo.
[13] Vide *Galenum* libr. I. Cap. VII. de method. medend.
[14] De ſymptomat. differ. Cap. I. & libr. I. Cap. VI. de ſanit. tuend.
[15] Capit. VII.

dum aliis verbis morbum definiverint; de natura rei tamen ſibi conveniunt maxime vel cum tradita Hippocratis, vel Galeni, definitione: qua de cauſſa in iis enarrandis non prolixus ero.

Tum Anonymus. Ad quæ genera, inquit, ſeu ad quas differentias, inſtitutionum medicarum ſcriptores redigunt morbos?

Horum gratia, inquit *Albinus*, inter eos non ſemper convenit. Sunt, qui morbos diſtinguunt ratione temporis, quo alii acuti: alii peracuti: alii diuturni: alii continui: alii vero intermittentes, appellantur; quidam Medici diſtribuunt morbos primo in vernaculos, qui cummaxime incolis cujuſdam regionis familiares ſunt: ſecundo in morbos diſperſos: & tertio in populariter graſſantibus. Novenas morborum differentias Hippocratem noviſſe auctor eſt, qui finitiones medicas collegit. [16] Nomina hæc ſunt, ut morbus acutus, peracutus, malignus, diuturnus, medius, exitialis, evaſorius, periculoſus, & periculo vacans. * Poſterioris ævi ſcriptores diſpertiverunt morbos in plura genera, quam quorum jamjam memini. Excogitaverunt morbos, partibus ſimilaribus: alios iterum organicis, proprios. Sub illorum claſſi ſunt morbi intemperierum & occultarum qualitatum; ſub horum vero morbi conformationis, numeri, magnidinis,

[16] Capite eodem. VII.

* Quomodocunque hæc morborum a veteribus omnifariam tradita differentia fuerit: Theſſalus tamen, de quo plura in alio dialogo tradam, ſtatuit in victu duo morborum genera, eaque comprehendi aut conſtrictione, aut laxitate. Et quia hæc ſentiens, veterum dogmaticorum placita, ut Herophili & hujus condiſcipuli Philotimi, & utrorumque horum præceptoris Praxagoræ, ab Æſculapio originem generis ducentis: & horum vel æqualium, vel anteceſſorum, ut Eraſiſtrati, Dioclis Mneſithei, Dieuchis, Philiſtionis, Pliſtonici, ipſius denique Hippocratis, contradixit: ea de cauſſa illum Galenus, Method. medend. libr. I. Cap. III. & ſeq. ſcriptionis libertate perſtrinxit.

compoſitionis, ſolutæque unitatis. Inter hodiernos alii triplicis generis morbos, ut intemperiei, conformationis vitiatæ & ſolutæ unitatis, agnoſcunt: alii his morbos compoſitionis adjungunt. Iterum alii quoſdam morbos bipartiuntur in ideopathicos & ſympathicos: alii iterum atque iterum aliter in diverſa genera illos diſpeſcunt. Eadem ratio eſt ſymptomatum. [17].

Sed quid eſt ſymptoma? interfabatur Anonymus.

Verum enimvero, inquit *Albinus*, ut diſtincte ac perſpicue intelligatis, quid ſymptoma ſit, oportet vocis ſignificationem a Galeno inter veteres fuſe de ſymptomatibus [18] diſſerente, petere. Is, facta omnium corporis affectuum, a naturali ſtatu recedentium, in morbum, in morbi cauſſam, inque ſymptoma morbi, diviſione, morbum definivit, quod ſit corporis ſtatus præter naturam, a quo functio primum læditur; vel quod morbus ſit affectus corporis, affectionem aliquam primum vitians. Vult itaque non omne, quicquid in corpore præter naturam eſt, morbum confeſtim eſſe vocandum; ſed id, quod primum actionem vitiet: quicquid vero morbum præcedat, ejus cauſſam: & affectum, qui morbum ſequitur, ſymptoma eſſe appellandum. Quod ita natura comparatum cenſet, ut id morbum, tanquam corpus umbra, ſubſequatur: proprium præterea huic eſſe, ut ſit præter naturam. Et generatim quidem ſymptoma vocitari, quicquid animali præter naturam contingat: qua vocabuli ſignificatione admiſſa, ſequi, tum morbos, tum morborum cauſſas, quatenus intra corpus ſubſiſtant, eatenus ſymptomata vocarier: ediverſo ſpecia-

[17] De quibus vide Fuchſium, Fernelium, Sennertum, Waldſchmidium, Valentinum, Zypæum & alios Medicinæ inſtitutionum auctores.

[18] Libro de ſymptom. differ. Cap. 1. & ſeq. unde hæc in compendium contuli. Auctor finition. cap. 1x. dicit ſymptoma eſt *acceſſorium* affectus.

[19]

ciatim vocabulum uſu venire, ſi reliqua omnia, detractis prius morbis juxta & eorum cauſſis, quæ præter naturam ſunt, ſymptomata nominentur. De cætero, quantum ad differentiam ſymptomatum pertinet, exiſtimat ea triplicis generis eſſe: unum ſymptomatum genus eſſe ipſius corporis affectus; alterum functionum læſarum; &, quæ hæc utraque comitentur, tertium ſymptomatum genus conſtituere, quæque originem ſuam, aut exceſſui excretorum, aut defectui, debere. Symptomata actionis læſæ Galenus rurſus bipartitur, in ea, quæ actioni animali, inque ea, quæ actioni naturali, ſuperveniunt. Actiones animales iterum partitur tripartito. Scilicet in actiones, quæ quinque nunciis animæ, ſenſus externos volo, primo, peculiares ſunt: Neque enim Pergamenus hac diviſione contentus, ſed triplicem demum ſtatuit in ſentiendi actionibus incidere ſymptomatum differentiam. Unam vocat, ſiquando primum ſenſus inſtrumentum male affectum: alteram, ſi ſentiendi facultas: tertiam vero, ſi aliquid eorum, quæ primo inſtrumento ſubſerviunt, male conſtitutum. Altera actionum animalium ſpecies eſt facultas movendi, cujus duplicis ſunt generis ſymptomata: in altero actiones plane inhabiles ad movendum: in altero eædem vitioſe peraguntur. Tertia actionum animalium ſpecies eſt regendi facultas, cujus denuo triplicis generis ſymptomata ſtatuit, unum vitioſæ imaginationis: alterum vitiatæ ratiocinationis: recordationis vitiatæ tertium. Superſunt actionum naturalium ſymptomata, in quibus actiones vitioſe, vel prorſus non, contingunt. Ad hujus generis ſymptomata reducuntur concoctio depravata, prava nutritio, excretiones præter naturam, &c. quorum ſub titulo facultatum naturalium ſolet mentio fieri. Et hæc eſt compendiaria de ſignificatione, deque ſymtomatum differentiis, Galeni

ſententia, quam deinde ii, qui hujus doctrinam amplexi, incredibili modo amplivagis definitionibus, diſtinctionibus, explicationibus, amplificarunt uſque adeo, ut vix decimus quiſque medicorum ad talia memoriæ ſuæ mandanda capax fuerit. Hinc inde ab hodiernis peropportune factum, ut tantum ſymptomatum numerum anguſtioribus, quam a veteribus traditum, limitibus, circumſcripſerint. Redigerunt namque ea ad tria genera; videlicet ad actiones læſas, ad excreta & retenta quoquo modo male conſtituta, & ad qualitates externas præter naturam immutatas.

Enimvero opportune factum, inquit Anonymus, qui doctrinam adeo obſcuram compendifecerunt. Utinam e Medicina in totum poſſent abdicari, quæ artem obſcurant. Sed hæc potius optabilia ſunt, quam perficiunda; ſiquidem ſua quiſque cogitata maxime rationi congrua, & perſpicuam omnibus veritatem eſſe, prætendit, omnemque lapidem inſuper movet, ut cæteri ſibi, veluti perſpicuitatis veritatiſque auctori, aſſentirentur tantum. Sed licet mihi quæſtionem de generibus morborum habere: ſcire enim pervelim, utrum eadem morborum genera nunc inter hodiernos, quam olim inter veteres homines, verſentur: vel an nova, veteribus incognita, morborum genera exiſtant nunc?

Tum *Hotton*. Jampridem, inquit, idem quærebatur inter medicos, verum plerique omnes inter ſe conveniebant pauca intercedere, ſed plura morborum genera indies exoriri. Recogitaturo quippe antiquorum ſcripta ſecum facili negotio innoteſcet, peſtem, cujus Thucydides [19] meminit, & quæ tunc temporis immiſericorditer adverſus omne genus Athenienſium graſſata eſt, medicis ignotam fuiſſe. Itidem Hy-

[19] De Bello Peloponneſ. Libr. II.

[20]

Hydrophobiam & Elephanthiaſin, Celſo, [20] Plinio, [21] & Plutarcho [22] auctoribus, tempore Pompeji primum in Italia accidiſſe. Dion Caſſius [23] commemorat morbum nulli notorum ſimilem, Romanorum exercitum in expeditione Arabiæ felicis crudeliter affligentem. Lichenas, quas joculari primum laſcivia, ut eſt procox natura multorum in alienis miſeriis, Romani mentagram vocarunt, Tiberii Claudii Cæſaris principatu medio primum in Italiam irrepſiſſe, auctor eſt Plinius: [24] atque morbum adeo fœdum ex Aſia ab equite Peruſino importatum. Eodem tempore primum innotuit dolor colicus. Nec quiſquam prior Imperatore ipſo ſenſit, magna civitatis ambage, cum edicto ejus excuſantis valetudinem, legeret nomen incognitum. Annalibus conſcriptum eſſe, idem Plinius atteſtatur, L. Paulo, Q. Marcio Cenſoribus, primum in Italiam Carbunculum veniſſe, eſſeque id peculiare Narbonenſis provinciæ malum. Stomacace quoque novi morbi ge-

[20] Libr. III. Cap. XXV. Ignotum pene in Italia morbum eſſe, ſcribit, quem elephantiam vocant.

[21] Hiſtor. natur. libr. XXVI. Cap 1.

[22] Sympoſiac VIII. Quæſt. IX. ſcribit Anthenidorum narrare, Aſclepiadis ætate primum Elephantiaſin non modo, verum etiam hydrophobiam, innotuiſſe. Cælius *Aurelian* tamen lib. III. Cap. XV. acut. paſſ. contrarium credit, & probat, hydrophobiam utpote non eſſe novam paſſionem, ſed eam, quamvis alio nomine, jampridem cognitam fuiſſe. Adverſus Hydrophobiam Celſus libr. V. Cap. XXVII. unicum remedium eſſe, ait, nec opinantem in piſcinam non ante ei proviſam projicere. Et ſi natandi ſcientiam non habet modo merſum bibere pati, modo attollere. Plinius vero Libr. XXV. Cap. II. magni pendit radicem roſæ ſylveſtris. Cæterum Libr. XXVI. Cap. I. Plinius memoriæ prodidit Elephantiaſin Ægypti malum peculiare: & cum in reges incidiſſet, populis funebre. Quippe in balineis ſolia temperabantur humano ſanguine ad Medicinam eam.

[23] Roman. Hiſtor. Lib. LIII.

[24] Hiſtor. nat. libr. XXVI. Cap. I.

nus erat, [25] quo Romani, in Friſiis Caſtra habentes, inficiebantur. Plurimi hodiernorum credunt ſcorbutum, qui hiſce oris eſt etiamnunc familiaris, fuiſſe. Et ante pauca ſecula, ut non inſcii procul dubio eſtis, ex America in Europam Lues venerea eſt apportata: quæ Medius fidius ubique terrarum fere propagata nunc eſt. Innotuit quoque duobus abhinc ſeculis ſudor anglicus, [26] quo tunc temporis non modo in Anglia, ſed in Belgio, in Germania: inque Galliis, plures homines vexabantur, tandemque eo correpti maxima ex parte moriebantur. Variolas item plurimi contendunt veteribus ignotas fuiſſe, quibus tamen plerique homines ſin bis terve, ſaltem ſemel, ſolent hoc ævo ægros eſſe. Sexaginta abhinc plus minus annos in occidentalibus Britanniæ oris cœpit exoriri novus morbus, infantibus potiſſimum omnis generis calamitatem importans; eundem medici Rachitidem appellarunt: [27] Sunt & alii, quibus brevitatis cauſſa ſuperſedeo.

Quantum ad me pertinet, inquam, diverſitatem climatum, diverſitatemque ciborum, potuum, &c. ſæpe ſæpius in cauſſa eſſe, ut alii atque alii morbi progignantur. Generi humano namque erat primo ſimplex ex ſimplici cauſſa valetudo, multos morbos autem multa poſtmodo fercula fecerunt, quum luxuria terrarum mariſque vaſtatrix, talia in perniciem hominum prius excogitaſſet. [28] Cæterum plurimos morbos, puto non novos ratione incolarum totius Telluris, ſed ratione medicorum, eos primo deſcri-

[25] Hujus mentionem facit Plinius. libr. xxv. Cap. 111.

[26] De quo morbo agit. Sennertus in tractatu de febribus libr. 1v. Cap. xv.

[27] Vide *Gliſſoni* Tractatum de Rachitide Cap. 1.

[28] Ut habet *Seneca* libr. 1. Epiſt. xcv.

[29]

ſcribentium, exiſtimandos. Tali pacto autumo a Romanis Hydrophobiam, Elephanthiaſim, lichenas, & alios, jamjam ab Hottone memoratos morbos, fuiſſe novos vel incognitos vocatos; cum tamen iidem apud cæteras gentes, unde primum contraxerunt, jamdudum notiſſimi extiterint. Populo etenim Romano, nullum commercium, niſi cum indigenis Italiæ, habente: imo perraro extra Italiam proficiſcente, non poterat non, quin is dictorum morborum, qui alias ſingulorum climatum regionumve orbis incolas ſingulariter infeſtabant, immunis fuerit. Verum enimvero eodem diverſarum nationum extra Italiam potiente, ut & iſtic locorum copias in caſtris in hybernis habente, aliter fieri quoque non poterat, quin, commercio ita cum exteris inito, tam ſecundæ quam adverſæ fortunæ una particeps fieret. Igitur militibus, ſeu militiam ſequentibus, contagione ſe apud exteros contaminantibus, iiſdemque a morbo contagioſo haud penitus revaleſcentibus, facile uſu venire poterat, ut, accepta ad Lares redeundi copia, conſanguineos alioſve amicos frequentando, inviſendo, cum his contagium, per varia loca circumlatum, communicarent, atque hi iterum atque iterum cum aliis. Pari profecto ratione, qua ſinguli propemodum morbi contagioſi ſolent propagari. Præter hæc non inficior contingere poſſe, ut peregrinator in exteris regionibus in morbum, propter inuſitatum aërem, alimenta, &c. vel & ob incognita venena, inſecta, &c. incidat, quo tamen alii homines, tametſi viator domum redierit, non inficiuntur. Hujuſmodi morbus medicorum, curationi morborum in Regione ſolum ſua incumbentium, ſcientiam fugere nullo negotio poteſt, niſi hunc complurium gentium medicinæ auctores aliter condocefecerint. Nam quotus quiſque noſtrum ſciret dracunculos,

[29] mor-

[29] morbum Æthiopiæ Ægyptique incolis ſatis familiarem, curare? quis morſum Tarantulæ? [30] quis morbum Ton, &c. [31] Niſi nos eruditorum ſcripta tales morbos revelaſſent. Verum, quin hi & ſimiles morbi, quoniam vel aëris vel inſectorum vitio, quod ſane peculiaribus Orbis regionibus eſt proprium, contrahantur, neſciant ideo heic locorum hoſpitari, nullus mihi eſt dubitandi locus. [32]

Hoc loco Anonymus. Reſtat quidem, inquit, de morborum cauſſis diſſerendum; at enimvero hæ ſecundum diverſarum ſectarum Medicinæ opiniones non uniuſmodi ſunt: ſed, prout aliquis alicujus hæreſis doctrina imbutus fuerit, ita credit eas multimodas eſſe. Quandoquidem vero has ob prolixitatem operis, in præſentia pertractare nequimus, idcirco eas miſſas faciamus.

Comprobato a nobis Anonymi conſilio, diſſeramus pauliſper, inquam, ſi volupe fuerit de inventoribus

[29] Quos *Plutarchus* ſymp. VIII. Q. IX. ex Agatarchide citat. Horum etiam mentionem faciunt Ægineta libr. IV. Cap. LIX. & *Ætius* tetrab. IV. Serm. II. Cap. LXXXV. ſcribunt enim dracunculos lumbricis ſimiles eſſe, & aliquando magnos aliquando parvos reperiri: frequentius quidem in cruribus, ſubinde vero in muſculoſis etiam brachiorum partibus conſiſtentes. Naſci autem hos in Æthiopia, ac in India, in pueris præcipue, eſſeque ipſorum generationem non diſſimilem ventris lumbrico lato. Sub cute enim eos, nihil moleſtiæ afferentes, moveri; verum progreſſu temporis circa dracunculi extremitatem locum ſuppurari, & cutim aperiri, ac dracunculi caput exeri. Plura, ſi quis exoptet, adeat is exercitationem *Welſchii*, quam de Vena Medinenſi, ſeu de dracunculis, ſcripſit.

[30] De quibus inſectis ſcripſit Baglivus diſſertationem.

[31] Quem morbum ajunt originem ducere a vermiculo, digito cuipiam pedis inhærente, & loco gangrænam inducente: quin etiam eum eadem nonnunquam ſymptomata excitare, ut dracunculi ſolent. vide *Mangeti* Biblioth. medico-practic. Lit. T.

[32] Quid? *Plutarchus*, paullo ante citata Quæſt., ſcribit, affectus quoſdam olim fuiſſe, quos nunc nuſquam exiſtere. Narrat quendam diu urina difficultate laboraſſe, tandem vero min-

ribus & viribus medicamentorum. Hæc namque, ut auctor eſt inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, divinum munus eſſe: [33] & id quidem non ſine ratione aſſerebat. Prorſus enim quod tactus divinus efficere poteſt, id præſtant medicamenta uſu experientiaque probata.

Miror admodum, inquit *Albinus*, quod Aſclepiades, ſcribente Scribonio, maximus auctor Medicinæ negarit ægris danda medicamenta, eorundemque loco alia excogitarit auxilia. Etenim is, ut Plinius [34] auctor eſt, quinque res maxime communium auxiliorum profeſſus, abſtinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes.

Tum *Hotton.* Aſclepiade memorata profitente, inquit, neceſſe eſt, eundem fuiſſe haud memorem ſui, cum in libro præparationum contendat ultimæ ſortis eſſe medicum, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternaſve compoſitiones & expertas, protinus paratas habeat. [35] Conficitur ex his Aſclepiadem præcipitanter paulo ante dicta, adſtruxiſſe: ſed homo fuit parum feliciter ſe in hoc negotio geſſit.

Tum Anonymus. Licet non ignorem, inquit, etiam hac ætate aliquos rebus novis in Medicina ſtudere, quin dicam conari potius antiquorum quorundam obſoletam pene doctrinam, inſtaurare, atque adeo ſcientiam, ac uſum medicamentorum aſpernari: veruntamen, ſi iſtis ingenue fateri modo allubuerit,

mingendo culmen hordaceum geniculatum excreviſſe. Alium beſtiolam aſperam, multis pedibus celeriter ambulantem, cum multo ſemine ejeciſſe. Morbum jocinoris cujus indicium eſſe, quod ægrotans mures domeſticos accurate obſervet, & conſectetur, necubi inveniri.

[33] Ut habet *Scribonius* Largus in Præfatione.

[34] Hiſt. Nat. Libr. XXVI. Cap. III.

[35] Ita *Scribonius* Larg. in memorata Præf.

buerit, nullum meo animo dubium eſt, quin neceſſarium maxime ægro medicaminum uſum ſint judicaturi: atque eos ſumma laude dignos, qui olim, qui etiamnunc, remedia contra quoſvis hominum morbos invenerunt. Sed quo pacto ea primo inventa ſint, velim, ut aliquis veſtrum; nam ego labris primoribus Medicinæ ſtudium attigi modo, ordine enarret mihi. Tibi Hottoni, antiquitatum Medicinæ longe ſcientiſſimo, negotium hoc, reor, eſſe mandandum.

Quaſ vero reliqui huc præſentes, inquit *Hotton*, non æque ac ego, antiquitates Medicinæ callerent, viden', quam tu in hos injurioſus ſis, eorumque honoribus detrimentum des ingens. Attamen, utut ſit, ego equidem impræſentiarum hoc negotium mihi dabo: neceſſe eſt enim, aliquis tuo dicto audiens ſit; ea autem narrabo, quæ fortean vobis omnibus in promtu ſunt. Nemo noſtrum ignorat, pauciſſimos hominum tale robur ætatis nactos, quod non, etiamſi temperanter ac ſobrie vitam degerint, oportuerit ipſos ſubinde ægreſcere, vulnerari, vel quoquo pacto doloribus, vitio corporis ortis, affici. Quibus malis tollendis neceſſitas eos compulit remedium, ægritudinem corporis, ut & vulnera ſanans, doloreſque leniens, inveſtigandi. Caſu interdum, quod etiamnunc ſæpenumero contingit, applicata res eſt, quæ voto deſiderioque ægri ſatisfecit. Igitur ſumpto hujus rei experimento eandem aliis, ſimili affectu ægris, conſulebant revaleſcentes. Et, ſi ita aliquoties in hac re periclitati fuerint homines, hanc tum in medicamentorum numero collocabant. Quid? quod quibuſdam nationibus hoc in more poſitum erat, ut tale remedium, in tabula deſcriptum, in templo Dei alicujus, inprimis Æſculapii vel Iſidis, ſuſpenderent. Ad quorum Deum fana ægri miſſitabant, ſacerdotes conſulendi gratia: Munus namque horum erat, ut

cum

cum ægrotantibus remedium, in ſimili affectu quondam bono cum revaleſcentis commodo applicatum, communicarent. Quin iſtis temporibus ethnici ſolenne habebant deos, medicationis ergo, conſultare; Sacerdotes, occaſionem ægris conſilium dandi captantes, proferebant remedium, cujus de virtute inter ipſos antea conſtabat, quod tamen, quaſi nunc demum ab oraculo revelatum, conſulentibus perſuadebant. Adhæc homines in ſomniando quandoque medicamenta invenere. Hujus generis hiſtoriam memoriæ prodidit Plinius. [36] Nempe cujuſdam militantis in prætorio matrem vidiſſe in quiete, ut radicem ſylveſtris roſæ, blanditam ſibi aſpectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam: caſuque accidit, ut milite a morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis ut pareret religioni, ſervatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit. Quin etiam bruta animalia oſtenderunt herbas ſalutares, docueruntque homini, Plinio, [37] & Plutarcho [38] auctoribus, varias medendi rationes. Hippopotamum harundine acuta venam in crure ſe vulnerantem, venæ ſectionem: atque Ibim, adunco roſtro alvum ſuam aqua perluentem, clyſteris uſum monſtraſſe, memoriæ proditum eſt. Nimiopere prolixus ſine dubio vobis haberer, ſi ego, remedia a brutis monſtrata, nunc temporis recenſere vellem. Scilicet teſtudines origanum, & muſtelas rutham mandere; Draconem autem fœniculi, hirundines chelidoniæ, & beſtiæ aliæ aliarum herbarum

[36] Libr. XXV. Cap. 11. Hiſt. natur.: Cætera, quorum mentio eſt facta, attigi declaravique in Dialogo. 1.

[37] H. N. libr. VIII. Cap. XXVII. qui plura ab animalibus inventa enarrat.

[38] qui de Ibide agit in libr. de Iſid. & Oſir. de aliorum autem animalium monſtratis remediis ſcribit in *Gryllo*.

rum uſum, monſtraſſe. Ita etiam complures herbæ inclaruere in illuſtribus perſonis, quæ eas, vel reperivere, vel crebriori in uſu habuerunt, quæque nominatione ſua eas cooptaverunt interdum. Sic Pœonia, Gentiana, Arthemiſia, & ſexcentæ aliæ plantæ nominatiſſimæ, adoptarunt ſibi nomina inventorum, qui eas, ut dixi, vel primo invenerunt, vel frequentiſſime uſurparunt. [39] Et, ſicut nunc temporis non raro accidit, ut aliquis, medicamentum contra quoſdam morbos, in genere ſibi ſimiles, opitulans, reperiverit: hoc tamen ſine diſcrimine neminem non morbum, Panaccæ inſtar, ſanare jactabundus depræ-dicet; ita etiam veteres quidam, admirandas incredibileſque, ſupra captum humanum excedentes, quibuſdam plantis tribuere vires, non dubitabant. Exempli gratia Braſſicam modo proferam, cujus de virtute Cato [40] mira prodidit. Hoc pacto, ni memoria me fallit, ſcribit. Et ſi bilis eſt, & ſi lienes turgent, & ſi cor dolet, & ſi jecur aut pulmones, aut præcordia, uno verbo omnia ſana faciet, intro quæ dolitabunt: eodem ſilphium inradito, bonum eſt: nam venæ omnes, ubi ſufflatæ ſunt ex cibo, non poſſunt perſpirare in toto corpore; inde aliqui morbus naſcitur: quibus, & aliis corporis affectibus, ut brevis ſim, braſſicam ſolam, vel & aliis rebus permixtam, auxilio eſſe, Cato auctor eſt. Sed hæc eſt omni in re animorum conditio, ut a neceſſariis orſa primo, cuncta pervenerint ad nimium.

Hoc loco ego. Quandoquidem cognitio medicamentorum, inquam, eſt pars Medicinæ ut maxime neceſſaria, ita certe antiquiſſima, & ob hoc primum cele-

[39] Vide Plinii H. n. libr. XXV. Cap. VII. ubi plura occurrunt.

[40] De Re Ruſtica. Cap. CLVI.

celebrata, non ab re itaque fore, arbitror, ſi D. Hotton inſuper moram nobis geſſerit, ac narraverit, quomodo veteres medici medicamentorum vires explicarint, indagarintque?

Tum *Hotton*. Conſideranti incunabula Medicinæ, inquit, facili negotio innoteſcet, eos, qui corpori humano primum Medicinam faciebant, de virtutibus medicamentorum prædicaſſe, quicquid in horum applicatione uſu didicerint: obſervaſſeque in primis vires, quas medicamenta, ſive juvando, ſive nocendo, ediderint; pari ſane modo, ut nos quoque de incomperto judicare ſolemus. Memoriæ utpote mandamus potiſſime potentiam medicamenti, quæ in ſenſus incurrit. Exempli gratia, ſiquod remedium, ſemel atque iterum datum, purgationem vel vomitionem corpori importaverit, non veremur huic facultatem vel purgandi, vel vomendi: ſi calorem corporis immodicum temperaverit, refrigerandi: e diverſo, ſi calorem decedentem coercuerit, calefaciendi virtutem, adſcribere. Reliquorum eadem ratio eſto. Verum enim vero, Philoſophia Medicinæ ſe aſſociante, cœptum eſt aliter, ac dixi, medicamentorum vires explicare. At, quia doctrina de temperatione corporum longe vetuſtiſſima juxta & tritiſſima, inde factum, ut quaternarium elementorum, qualitates eorundemque primas, primævi medici ad ſtabiliendum in Medicina ratiocinium quoddam aſſumerent. Aſſolebat igitur, ut, perpenſis medicamentorum ad Philoſophiæ præcepta viribus, plerique antiqui Medici eas qualitatibus, ut vocant, primis cummaxime explicarent. Ita paſſim deliciæ meæ Hippocrates, ejuſdemque imitatores; ita ultro citroque Ariſtoteles, & cæteri de familia peripateticorum, de virtutibus medicamentorum diſputaturi, proferebant, utebanturque vocabulis frigidi, calidi,

ſicci atque humidi. Ideoque horum adminiculo mentem ſuam de qualitatibus ſecundis, de medicamentorum videlicet viribus purgandi, adſtringendi, coquendi, emolliendi, &c. explicabant. Quandoquidem vero perplura medicamenta proſtant, quibus id peculiare eſt, ut corpus humanum calefaciant, refrigerent, vel alio modo plus minuſve afficiant; generatim enim ſimpliciterque quodammodo aſtru. Galenus & ejus aſſeclæ exiſtimarunt, ſi quis ejuſmodi efficientiam naturalem calori, frigori, &c. attribuerit obiter. Igitur, poſtquam obſervarint ſingularum rerum ſingulas eſſe proprietates, & aliis alias magis calefacere aut refrigerare, &c. inchoarunt eas ſpeciatim inveſtigare, adſcribereque unicuique certos privoſque caloris, frigoris, ſiccitatis, &c gradus. Et, quamvis Galenus paſſim in ſcriptis ſuis: peculiariter tamen in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus, id ſibi negotium dedit, ut doceret, qui examen ſimplicium, in quantum ad eorundem vires ſpectat, inſtituendum ſit. Dictis itaque qualitatibus primis, hypotheſis loco, poſitis, Galenus ſymmetrum appellat medicamen, quod neque calidum neque frigidum neque humidum neque ſiccum eſt, hoc eſt quod debitam elementorum temperiem ſortitum; ſi quod autem habuerit principium inter cætera dominans, ratione hujus tunc nominationem indipiſcitur. Quadruplicis generis autem, multo celeberrimus Vir opinatus eſt, excepto ſymmetro, remediorum facultatum primarum excedentium ordines. Verbi cauſſa. Id, quod non evidenter calefacit, appellat primi ordinis: quod vero manifeſte, ſecundi: quod vehementer, non tamen ſumme, tertii: denique quod adeo, ut eſcharam inducere pote eſt, quarti. Ac ita cæterarum facultatum excedentium naturam eſſe com-

comparatam ſtatuit. [41] Oribaſius, [42] Ætius [43] & Ægineta [44] Galeni hypotheſin & placita aſſumſerunt non modo Verum etiam plures, quam a Galeno factum, cujus ordinis cunque plantas, qualitatibus dotatas primis, enumerant. Valleſius, [45] longe omnium, qui mihi innotuere, curioſiſſimus in demetiendis medicamentorum viribus fuit: quippe eas arithmeticorum more ad calculos vocavit: neque enim contentus erat eas ſimpliciter numero integro, prout veteribus uſu veniebat, ſed fracto, computare; ideoque memorat ſeſqui alteros, ſeſquitertios, quinque ſextos, &c. caloris frigoriſque, gradus.

O miram hominis ſubtilitatem! interfabatur *Anonymus*. Quam ſubtiliter numerum potentiarum medicaminum executus eſt! quaſi vero non anceps numerus eſſet, ſi quis integrum ad dimetiendas remediorum vires duntaxat adhibuerit: præſertim vero, cum adhuc ſit lis pendens, an caloris an frigoris, &c. qua talia ſecundum variorum corporum indolem, varia quoque portio rebus, ut perhibent, reapſe inſit. Quantum ad me pertinet, mihi videtur videre, hæc, dum ab aſſeclis Galeni dicuntur, concludi contortius, quam ipſi argumentari unquam queunt. Verum enim vero his, quoniam dubiæ rationis ſunt, ſuperſedeamus. Attamen, antequam decantatos remediorum primarum qualitatum gradus faciamus miſſos, a Te, celeberrime *Hotton*, erudiri cupio, quo

 pacto

[41] Vide ejus libros de ſimplic. medic. facultatibus: in primis vero præfationem, Cap. xxx. & ultimum libri quinti, ubi ad compendium fere redegit, quæ in prioribus tractavit.

[42] Medicin. coll. libr. XIV. Cap. III. & ſequent.

[43] Tetrab. I. Serm. II. Cap. CXCVII. & ſeq.

[44] De Re Medica libr. VII. Cap. I & 2.

[45] Controverſ. libr. IX. Cap. XI.

pacto tales ſint numerandi ? Ego namque perliben-ter tarditatem ingenii mei inculo ; hoc utpote inha-bile ad formandum cogitatum quoddam, vel ideam totidem diverſorum caloris, frigoris, &c. graduum, quotquot plerumque a medicis numerari ſolent.

Tum *Hotton*, Medicamentum, inquit, quod ele-mentorum temperationem eſt nactum, a Galeno ejuſdemque ſectatoribus ſymmetrum ſeu temperatum appellitari, paulo ante commemoravi ; ſed quodnam calidum vel frigidum, &c. primo aut ſecundo, &c. gradu, id non arte determinatum eſt ; quippe alio alii modo calculum reduxerunt. Sunt qui autumarunt calidum in primo gradu habere duplum caloris reſpe-ctu temperati : calidum in ſecundo habere duplum primi, & quandruplum temperati : calidum in ter-tio, habere duplum ſecundi, quadruplum primi, octuplum temperati: calidum in quarto, habere du-plum tertii, quadruplum ſecundi, octuplum primi, ſexdecuplum autem temperati. Eodem modo com-putant, ſi frigidum rerum potiatur. Alii cenſue-runt calidum in quarto, quintuplum calorem habere temperati : calidum in tertio, quadruplum : calidum in ſecundo, triplum : calidum in primo, duplum. Alii exiſtimarunt, quanto calor ſupra frigus excel-luerit, tanto gradu corpus aliquod eſſe calidius, ut, ſi calor in corpore aliquo uno gradu tantum ſupera-rit frigus, hoc ſit calidum in primo ; ſin vero, po-ſita prius elementorum æquabilitate, duobus ſupe-rarit inſuper caloris gradibus, hoc ſit calidum in ſe-cundo gradu. Eadem reliquorum ratio eſto. [46] Sed quomodocunque has & ſimiles opiniones in or-bem torſerit aliquis, eundem ultro confeſſurum, ar-bitror,

[46] Vide jamjam citatum Valleſium dicto loco, ubi hæ diverſæ opiniones expendun-tur.

bitror, nil quicquam, quod exploratum eſſet prorſus, in menſione corporum, ratione primigeniæ ex elementis compoſituræ, inveniri: contra ſatis eſſe, ſi vires medicamentorum generatim explicantur per vocabula ſalis nitroſi, alkali tum fixi, tum volatilis, etſim: ut & olei vel eſſentialis, vel fixi: nec non aquæ vel terreſtris principii: quamvis vel horum exacta proportio, aut quantitas, aut temperatura nobis abſcondita ſit. Arduum enim, quin dicam curioſitatis, merito ridendæ, plenum, eſſe opus, puto, indagare velle, quantæ quorumlibetcunque elementorum portione Deus. O. M. ad producendas res corporeas uſus fuerit.

Noſtrorum omnium in dictione ſententiæ, ab *Hottone* prolatæ, conſenſio erat, ut & tantillum ſilentium, quod Anonymus, in Medicina curioſus turbabat. Fabulari etenim occipiebat iterum. Et audivi, inquit, vos ſemel atque iterum ac ſæpe mentionem qualitatum primarum feciſſe, indicaſſe eaſdemque originem quaternario elementorum numero debere: verum quoniam reliquarum qualitatum rudis ſum, aveo erudiri cujuſnam generis hæ ſint?

Tum *Albinus*. Primus dogmaticorum, inquit, ni memoria me fallit, Galenus [47] fuit, qui qualitates corporum bipertitus eſt, in primas videlicet, in ſecundas, e primarum omnimoda ſeu mixtura ſeu conjugatione, oriundas. Quid primis proprium ſit, facile liquet inter elementorum naturam conſiderantes: ſecundis vero id peculiare eſſe, Laudatiſſimus auctor ſtatuit, ut edant vires indurandi, laxandi, emolliendi, adſtringendi, &c. [48] Inter Arabes

Avitates Medicamentorum declarabant, Exempli loco ſit Quæſtio XLII. Problem. ſect. I. ubi Ariſtoteles perquirit, cur alia ventrem

[47] Comment. 1. in librum de nat. hum. II. Cap. VII.

[48] Veteres enim qualitatibus quatuor principibus facul-

Avicenna [49] qualitates & facultates medicamentorum

trem moveant ſuperiorem; alia inferiorem; alia vero utrumque, ut veratrum, ut ſcamnonea, ut elaterium? *an quod ex medicamentis, quæ ventrem movent,* ratiocinatur, *alia frigida, alia calida ſunt: itaque alia propter ſuum calorem protinus, cum in ſuperiore ventre fuerint, loca petunt ſuperiora, ac inde liquefaciendo, maxime quæ aliena, ſunt minuſque inſidentia; ſed etiam quæ inſunt naturæ intima, medicamento nempe vehementiori epoto aut copioſiori, quam natura patiatur, tum ea ipſa quam quæ excreſcentem adfuerint, in ventriculum deducant; hic vero fervore excrementa perturbant, flatumque excitant multum, qui obſiſtens vexanſque demum vomitum movet.* De frigoris actione parili modo ratiocinatur. De cætero, velim, ut ſano ſenſu accipiatur, Galenum duplicis generis facultates in Medicinam primum introduxiſſe. Nam aliquis mihi objicere poteſt Ciceronem in Acad. Quæſt. ſcripſiſſe. *Earum qualitates ſunt aliæ principes, aliæ ex iis ortæ, principes ſunt uniuſmodi & ſimplices: ex his autem ortæ variæ ſunt, & quaſi multiformæ* Et Ocellum Lucanum eas numero ſtatuiſſe ſedecim. Quatuor ſimplices & duodecim compoſitas enumeraſſe qualitates. Sub illis calorem, frigus, humorem & ſiccitatem: ſub his vero gravitatem, levitatem, raritatem, denſitatem, lævorem, aſperitatem, duritiem, mollitudinem, tenuitatem, craſſitudinem, acumen & obtuſum, complexum fuiſſe; ideoque longe ante eum Galenum fuiſſe variarum qualitatum mentionem factam. Verum is a me hoc reſponſum auferat, velim, has ab Ocello traditas qualitates compoſitas, ſenſu tactus explorandas, exhibere omnimodam corporum differentiam externam: aſt Galenus eas ſenſu guſtus inquirendas ſenſit: quo facto redegit tale corpus ad genus rei vel adſtringentis ſaporis, vel auſteri, vel acerbi, vel amari, vel ſalſi, vel acidi, vel dulcis, vel pinguis. Quibus poſitis cujuſque facultatem ſeu potentiam perveſtigat. v. g. adſtringen aliquod contrahere, denſare, repellere, incraſſare, refrigerare &c. Acidum incidere, extenuare, dividere &c. Et ita de reliquis qualitatibus ſtatuit. Quare autem aliquid adſtringens ſit, tunc rationem petit a quatuor principibus qualitatibus, & dicit adſtringens eſſe terreſtre & frigidum: acidum ſubtile frigidum: amarum terreſtre ſubtile, ſalſum terreſtre calidum, &c Qualitatum odoratus, quæ ſingularibus ac diſtinctis nominibus carent, eandem ait rationem eſſe. Vide plura in dicto libro de Nat. H. Cap. VII. & de ſimpl. fac. Lib. v. cap. xxv. & XXVI. Quod attinet ad medicamentorum facultates, Galenus eas triplicis generis ſtatuit. Primæ ſatis notæ ſunt: ſecundas appellat mollientes, digerentes, reper-

torum parili modo partitus eſt. At enimvero poſterioris ævi Medici, quique ſinguli fere Galeni dogmata propagarunt, dictis duplicis generis qualitatibus adjunxerunt tertium, quod peculiariter quibuſdam corporis partibus tribuerunt, atque adeo ejuſmodi tertiarum, ut vocantur, qualitatum beneficio explicarunt medicaminum virtutes urinam, profluvium fœminarum, &c ciendi & cohibendi; facultatem autem talem hæc habere ratione totius ſubſtantiæ, quam Fernelius putat ſitam eſſe in aliqua, tactus beneficio, inveſtiganda qualitate. Promptas vel apertas hujuscemodi duplicis ordinis qualitates nominarunt, quia effectum, quem remedia utcunque perfecerunt, vel uni duntaxat, vel duobus principiis inter cætera dominantibus, adſcribi poſſe, judicarunt. Quandoquidem autem ea, quæ tertio loco commemoravi, effecta, animadverterunt, haud commode dictis qualitatibus manifeſtis explicari poſſe; promtum erat ipſis fingere, qualitates occultas vel involutas: Hujuſcemodi effecta autem edi ratione dictæ totius obſtantiæ cauſati ſunt. Inde factum, ut virtutes medicamentorum proprium quemvis corporis humorem purgandi, vel peculiarem corporis affectum ſanandi, vel quibuſdam venenis reſiſtendi, in Claſſem qualitatum occultarum diſtribuerunt. [50]

Hui! tandem deveniſti, interpellabat *Anonymus*, ad occultas qualitates? Næ iſta glorioſa medicorum juxta & phyſicorum circa qualitates diſtinctio, non

repercuſſorias, attractrices, deterſorias, & exedentes: tertias vero, quæ vulnera glutinant, cicatricem inducunt, & carnem generant. vide de comp. medic. per genera. Lib. VI. Cap. V. §. 4.

[49] Cantic. 1. text. 29. & ſeq.

[50] De his vide Fernelium in Phyſiolog. lib. II. Cap. IV. & de abd. rer. cauſſ. lib. II. Cap. XVII. *Sennertum* inſtit. Part. I. lib. V. ſect. I. Cap. II.

[51]

magno æſtimanda eſt: ſiquidem non multum differt ab ignorantia. Quid vetat? ſi dixerim qualitates, quarum id temporis mentio facta eſt, ad unum omnes; ſive eæ nunc Galenicorum, ſive Mathematicorum, ſive Chemicorum more expiicantur, aſſenſum mereri lubricum. Quin ulterius inſtem, incertum prorſus eſſe, atque vanum, quicquid unquam ſeu medici ſeu phyſici, medicamentorum de potentiis diſſeruere.

Ad quæ *Albinus*. O præclarum, inquit, & Pyrrhonis imitatore dignum, auſum! Enimvero neſcis, quam temere in alienas poſſeſſiones irruis. Neſcis præterea, quod agerent tecum lege primum Galenici atque Iatrochemici, cæterique in ſuo genere Medici, vindicarentque ornati homines in dicendo & graves, quibuſcum tibi juſto ſacramento contendere non liceret. Urgerent præterea Philoſophorum greges. Jam ab illo fonte & capite Ariſtoteles, nihil te de bono ratiocinio in Medicina & Philoſophia, nihil de malo, nihil de ratione vitalitatis corporis, nihil de qualitatibus medicamentorum didiciſſe, nihil omnino quæſiſſe, nihil ſcire, convincerent: & cum univerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulæ familiæ litem tibi intenderent. Inſtarent hinc Galenici, Hippocratis, Ariſtoteliſque placitorum defenſores, quicquid dixiſſes, id te ipſum negare cogerent, quippe re ipſa convincerent te, dari qualitates tum primas, tum ſecundas. Inde obviam haberes Iatrochemicos & alios Mechanicæ curioſos, qui omnimodis experimentis, aliiſque ad hoc negotium ſpectantibus demonſtrationibus, contrarium ſententiæ tuæ planum facerent. Miſſos facio Mathematicos, qui datorum, problematumque ſuorum laqueis te irretitum tenerent, convincerentque te præfracte negare, cujus vel ipſe vulgus non ignorans ſit.

Tum

Tum *Deckerus*. Mi Albine, inquit, ne hujus hominis de incogitantia iraſcare. Sciſne perverſos depravatoſque hujus ſeculi mores, quod ita natura comparatum eſt, ut plerique homines, non magis eruditionem ſe ſuam oſtentare poſſe, arbitrentur, quam, ſi cuncta ſive audita, ſive lecta ſine diſcrimine non plane negent, contradicantve, in dubium ſaltem vocent.

Euge! inſtabat *Anonymus*, quandoquidem ego vobis omnium rerum rudis fortaſſe habeor, date mihi quomodo aliquis ad manifeſtarum medicamentorum qualitatum cognitionem pervenire poſſit? Quantum ad me ſpectat, reor, pleraque remedia fortuito reperta, crebriorique uſu tandem confirmata, hominibus innotuiſſe.

Tum *Hotton*. Convenit inter nos, inquit, ſi rudimenta Medicinæ conſideremus: veruntamen, aucta excultaque præceptis Philoſophiæ Medicina, aliter, ac aſſolebat, cœptum eſt rei incognitæ vires inveſtigare. Senſuum enim, in primis guſtus atque odoratus, adjumento, explorabant latentes cujus rei cunque qualitates. Sic Oribaſius aliique Medici, olfactus ſubſidio, omnibus Odoriferis tribuerunt calefaciendi facultatem. Ita Galenus, Ætius, Avicenna, aliique ſuadent res omnigenas guſtatu inveſtigandas, an ſint acris, amari, dulcis, acerbi, auſteri, ſalſique ſaporis. [51] Quibus indagatis ſuas cuique ſapori vires adſcribunt; quas autem, ut ingenue fatear, incertas, niſi experientia eas antea confirmaſſet. Explorata etenim prius alicujus rei proprietate potentiave, ſi quam dein vel odoris vel ſaporis cujuſdammodi convenientiam in altera, etiam tunc

[51] Has qualitates & facultates memorant dicti auctores in locis, modo a me in notis 41. 42. 43. & 49. prolatis.

incognita, obſervaſſent, ratiocinium inde elicuerunt, fore, ut utriſque ſint ſimiles virtutes. Exemplum, illuſtrationis ergo, dabo. Perſpectus ſit acerbus auſteruſve Pyrorum ſilveſtrium ſapor: Cognitum itidem ab iis affatim, quin dicam mediocriter modo, commeſtis, fauces interioraque oris conſtringi, nec non alvum muneris ſui immemorem reddi. Jam, ſi cuipiam aliquis rem, cujus vis adhuc incomperta, obtulerit, ille autem guſtarit ſimilem huic atque pyris ſylveſtribus ſaporem eſſe, quin & linguam & fauces quodammodo adſtringi, nonne is ratiocinativum ſequetur ſtatum? ſi affirmarit, hæc utrimque convenire & viribus. Quanto nunc res quædam dictis pyris aut validiorem aut debiliorem linguæ ſaporem imprimit, tanto & ea aut majorem aut minorem corpori adſtrictionem importabit. Par judicium reliquarum eſto facultatum inveſtigandarum. Quod ſupereſt veteres dogmatici non rerum ſuarum ſe ſategiſſe rati, ſi perfunctorie guſtus facultates modo memorarint: verum eas inſuper putarunt interpretandas ratione multimodæ primarum qualitatum temperationis. Galenus igitur, & qui ejus decreta propagarunt, cum de ratione ſaporis, ejuſque potentiæ diſſerturi eſſent, cauſabantur, quod adſtringens, terreſtre ſit & frigidum: acidum, ſubtile frigidum: amarum, terreſtre ſubtile: acre, igneum: dulce, calidum, ſed nondum urens: oleoſum, aëreum & aqueum: quod vero abſque inſigni qualitate, frigidum aqueum. Nec univerſali hujus generis ratiocinationi immorati ſunt duntaxat, ſed ſpecioſas, ex Mechanica petitas, cauſſas, cuique ſapori ſingulariter adſcripſerunt. Scilicet Platonis ſectatores ſe in hujuſmodi Phyſiologia maximo profeſſi ſunt opere. Hoc pacto itaque ſaporum naturam deſcripſerunt. Videlicet, quum res quædam linguæ admota, vehementer ſiccet,

cet, & conſtringat, ipſamque in profundo exaſperet, hujuſmodi acerbam, hoc eſt intenſe auſteram nominarunt. Quæcunque vero in contactu linguæ ipſam neque conſtringat neque contrahat, ſed extergat eluatque, hanc ſalſam appellarunt. Quæ autem his adhuc amplius extergat ſimulque moleſte exaſperet, amaram vocarunt: quæ mordeat, & calore quaſi intenſo erodat, acrem: quæ ſine calore mordeat vel pungat, habeatque præterea vim, ſi terræ affundatur, efferveſcendi, acidam: quæcunque vero ſublinat, repleat ſedetque exaſperatas, & quaſi eroſas linguæ partes, ipſaſque manifeſta quadam jucunditate contingat, eam dulcem; ſin vero, ſine jucunditate id perfecerit, pinguem ejuſmodi vocitarunt. [52]

Hoc loco *Deckerus*. Quam vellem, inquit, medici ſimili, vel alio, rationi conſentaneo, modo, perrexiſſent continenter medicamentorum vires explicare, tribuereque iis tantum, quæ contra rationem ſanam haud repugnaſſent, ſpectabilior profecto Medicinæ conditio fuiſſet: verum enim, declinantibus de Medicina aliquibus priſcorum Phyſicorum, ſeque ad magicas artes, malum! adjungentibus, Medicinæ ſuperſtitio ſe immiſcere cœpit, obtulitque remedia ridicula, irriſione ſane digna, iiſdemque nunquam non vires, captum humanum longe longeque ſuperantes, aſſignavit.

Tum *Anonymus*. Quid ais, inquit, habuit unquam commercium cum Magia, Medicina?

Non modo habuit, inquit *Deckerus*, ſed etiamnunc habet: hac tamen diſtinctione conditioneve, quod olim etiam viri omnis generis eruditione clari, nunc vero literarum rudes, magica ſuperſtioſaque remedia tantummodo, uſurpent. Ergo,

[52] Vide *Galenum* de ſimpl. medic. facult. lib. 1. C. XXXVII.

Ergo, ut ex te audio, inquit *Anonymus*, tu Magiam, quam ego ampliſſimis honoris gradibus dignam, aſpernaris. Arbitror enim te non ignorare apud veteres Perſas, Magos eaſdem artes profeſſos, quam apud Grajos Philoſophi, apud Ægyptos Sacerdotes, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Gallos Druidæ. Quotus quiſque inficiabitur eos honeſtas artes tractaſſe?

Tum *Albinus*. Aſſentimur tibi, inquit, ſed tempora diſtingue, tunc cognoſces & tuum & collegæ mei aſſertum, veritati congruum. Primis etenim temporibus Magia in ingenuis artibus tradendis erat occupata: poſtea autem, cum ejus cultores animum ad incantationes, ad ſpirituum invocationes, & ſimiles ſuperſtitione refertas nugas, appulerint, merito fraudulentiſſima artium, cum antea honeſtiſſima, habebatur. Natam hanc, Plinius [53] putat, e Medicina, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, velut altiorem ſanctioremque, quam Medicinam. Ortam in Perſide a Zoroaſtre, qui more omnium tunc temporis Philoſophorum etiam artem Medicam tractavit, ſcripſitque de ea peculiarem librum bizishk-nâma a Perſis, i. e. medicorum librum vocatum. [54] Docuit namque in hoc Medici munus, inibique herbarum vires expoſuit. Oſthanes, qui Zoroaſtrem ſubſecutus, Xerxem Græciæ bellum inferentem comitans, ſemina artis portentoſæ, ubi venit, ſparſit, maximeque ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiæ ejus, Græcorum populos egit. Pythagoras, Empedocles, Democritus, aliique veterum Philoſophorum Magiæ diſcendæ cauſſa in Perſidem, navigavere: hanc reverſi prædicavere: hanc in arcanis habuere.

Hæc

[53] Hiſtor. Nat. lib. xxx. Cap. 1.

[54] Ejus mentionem facit *Hyde* de Relig. vet. Perſar. Cap. xxvi.

[55]

Hæc inventrix ac propagator ſuperſtitioſæ ægritudinum curationis: modo auctor eſt, ut ægrum vocabulis, a nemine hominum hactenus intellectis, lingua ſuſurra alloquatur: [55] modo ejuſdem generis vocabula, chartæ inſcripta, jubet de collo, tanquam periamma, pendere, vel parti affectæ alligare, ſanitatem amiſſam recuperandi ergo: [56] modo docet, ut animalia, ut plantæ, &c. quorum virtutes ſatis

[55] Hujus generis eſt illud *Catonis* de Re ruſtica Cap. CLX *Luxum ut excantes. Luxum ſi quod eſt, hac cantione ſanum fiet. Harundinem prende tibi viridem. p.* IV. *aut* V. *longam, medium diffinde, & duos homines teneant ad coxendices, incipe cantare in alio. S. F. motas væta daries dardaries aſtataries diſſunapiter, uſque dum coeant. Ferrum inſuper jactato: ubi coierint, & altera alteram tetigerit, id manu prende, & dextra ſiniſtra præcide. Ad luxum aut ad fracturam alliga, ſanum fiet: & tamen quotidie cantato in alio. S. F. vel luxato; vel hoc modo, huat hanat huat iſta piſta ſiſta domiabo damnauſtra & luxato: vel hoc modo, huat haut haut ſis-tar ſis ardannabon dunnauſtra.* Ad Hæmorrhagiam narium ſiſtendam vult Marcellus. de Medic. Cap. x. ad aurem ejuſdem partis, de qua per nares ſanguis manat ter novies dici σοκσοκαμ συκυμα. Cap. xv. hæc habet adverſus Anginam. *Præcantabis jejunus jejunum, tenens locum, qui erit in cauſſa digitis tribus i. e. medio, pollice & medicinali, reſiduis duobus elevatis, dices.* Exi hodie nata, ſi antea nata, ſi hodie creata, ſi ante creata, hanc peſtem, hanc peſtilentiam, hunc dolorem, hunc tumorem, hunc ruborem, has tolles, has tonſillas, hunc panem, has paniculas, hanc ſtrumam, hanc ſtrumellam, hanc religionem, evoco, educo, excanto, de iſtis membris medullis. Non modo memorati, ſed etiam alii auctores habent plures hujus generis incantationes: verum quis ſingula nugivendorum nugalia theoremata recenſebit.

[56] Exempli gratia e libro Marcelli de Medic. Cap. VIII. expromam remedium, quod mirifice, aſſeverât, pollere, contra lippitudinem incipientem, ſi in charta virgine ſcribas, & collo dolentis licio ſuſpendas φυρφαραν, & hoc præligamen purus caſtus facias. Cap. x. contra profluvium ſanguinis e naribus tale habet, ſcribe in charta virgine, & collo ſuſpendes lino rudi ligatum tribus modis ei, qui profluvio ſanguinis laborat ψα ψε ψη ψε ψη ψα ψε. Qui plura deſiderat, is auctorem hunc, & Q. Serenum, & Trallianum & Paracelſum &c. pervolvat.

[57]

ſatis notæ, ſint prius peculiari modo, colligendæ, aſſervandæ, uſurpandæ, antequam nugatorias, admirabilitatis plenas, vires, edere valeant. [57] Sed hæc eſt. Omni in re animorum condito (licet mihi quoque ſententiam Plinii afferre) ut a neceſſariis orſa primo, cuncta pervenerint ad nimium: tandemque ad abuſum, qui plerumque omnis generis errorum parens exſtitit.

Tum ego. Enimvero ferenda hæc non eſſent, inquam, ſed exularent potius a Medicina.

Hoc tempore utique exulant, inquit *Hotton*, quippe inter omnes pleroſque medicos, de plebejis non loquor, conſtat, Medicinam eſſe artem, quæ Experientiæ juxta & Rationis auctoritate nititur. Quandoquidem vero remedia Magica, partim ridicula, partim ſuperſtitioſa, proindeque effectum, ſi quod ſubinde accidit, rationis adminiculo explicari nequeat, jure

[57] Vide Plinium Hiſtor. nat. qui perplura enarrat animalia, vel aliquorum partes, & plantas, & lapides, ut eæ juxta præcepta Magiæ colligenda, uſurpanda. Ut autem quadantenus innoteſcat, quo ritu plantam ſolebant Magiæ dediti effodere, ac quibus verbis ei adjurare, dabo exempli gratia remedium contra podagram & omnem fluxionem ex *Alex. Tralliani* libr. XI. deſumptam. *Herbam ſacram*, ſcribit, *quæ eſt altercum*, alias Hyoſcyamum, *quum Luna eſt in Aquario aut Piſcibus, effodito ante Solis occaſum, radicem non attingens: ubi effoderis ipſam duobus ſiniſtræ manus digitis, pollice & medico, dicas. Loquor tibi, loquor tibi herba ſacra: cras voco te in domum Phidia, ut ſiſtas fluxionem pedum & manuum hujus viri, vel hujus mulieris. Sed adjuro tibi per nomen magnum Jaoth, Sabaoth: Deus qui terram firmavit, & fixit mare fluviis abundans fluentibus, qui exſiccavit uxorem Loth, & fecit eam ſtatuam ſalinariam, accipito ſpiritum matris tuæ, terræ, & vires ejus, & ſiccato fluxionem pedum aut manuum hujus viri, aut mulieris, Craſtino die, ante exortum ſolis, accepto oſſe cujuſcunque animantis mortui, effodito radicem, & accepta ipſa dicito. Adjuro tibi per Sancta nomina, Jaoth, Sabaoth, Adonai, Eloi: ac in ipſam radicem ſalis pugillum conjicito, dicens; Ut ſales hi non augebuntur, ſic neque affectus hujus viri, aut hujus mulieris. Item*

ex-

jure meritoque ideo non modo illa a prudentibus in arte Medica irridentur, ſed in exilium ejiciuntur.

Interpellabat *Anonymus*. Et, veſtra cum venia, inquit, liceat mihi ſermonem aliorſum flectere.

Quorſum tandem, inquam, fugit te veſpertinum tempus noſtrorum quemque monere de itione domum?

Ne cauſemini ſeriorem veſperam, inquit *Hotton*, ſatis temporis ad confabulandum nobis etiamnunc ſupereſt, veſtra commoratio mihi non tædioſa, ſed longe gratiſſima, eſt.

Igitur, impetrata, inquit *Anonymus*, abs te tuas ad ædes commorandi venia, confabulemur paulum, diſſeramuſque de corporis exercitationibus, quas veteres, ut ſæpenumero legi, magni faciebant ad robur ad incolumitatem corpori conciliandum.

Tum

extremam radicis partem ægro alligato, cavens ne madeſcat, reliquum vero ſuſpendito ſuper cruſtam diebus CCCLX. Cæterum *Galenus* in Præf. lib. VI. de ſimpl. medic. facult. commemorat, Pamphilum, Xenocratem Aphrodienſem, & Andream, viros de Re Herbaria ſcribentes, quos libris ſuis multa quoque mendacia, multaſque verborum præſtigias inſeruiſſe. Inprimis vero Pamphilum, in libro, quem de plantis compoſuit, fabulas aniles præſtigiaſque quaſdam Ægyptias, junctis nonnullis incantationibus, quas, cum herbas colligunt, ad murmurant, tradidiſſe. Auctorem porro eſſe, ut eæ ſimiliter, atque periapta, uſu veniant: quæ tamen, ſi ita ſecundum doctrinam Pamphili de collo ſuſpendantur, non ſolum manganeias curioſas & a Medicina alienas: ſed etiam univerſim eſſe falſas, Pamphilus præterea gloriabatur ſe talia reperiviſſe in libello quopiam ex iis, qui Mercurio Ægyptio inſcribuntur, continente triginta ſex ſacras horoſcoporum herbas. Ex hoc libro ſe incantationes, tranſformationes, & decanorum dæmoniorumque herbas ſacras, didiciſſe. Galenus aſpernatur hujuſmodi nugas, verbiſque illum perſtringit merito: laudat e diverſo Dioſcoridem, quod quinque libris omnem materiam medicam abſolverit, laudat Aſclepiadem, Heraclidem Tarentinum, & Cratevam de præparatione aut probatione, medicinarum ſcribentes. Laudat Manteiam, quod de iis, quæ ſecundum locos, ut

de

Tum *Albinus*. Hæc erat, inquit, exercitationum ante tempora Herodici conditio: Verum is, quum eſſet pædotriba & valetudinarius, ut auctor eſt Plato, [58] Gymnaſticam Medicinæ junxit, liberavitque ſe ejus adminiculo a morbo lethali, quam quibuſcunque remediis curare fruſtra antea adorſus fuit; veruntamen deliciæ meæ Hippocrates Herodici conatum culpat, [59] quod is videlicet adniſus fuerit per præcepta Gymnaſticæ febres ſolvere. Quid? quod aſſerit Herodicum febrem habentes circuitibus, luctis, multiſque fomentis interfeciſſe: quippe hanc malæ eſſe indolis, inimicamque fami, luctis, circuitionibus, curſibus, frictioni: immo laborem labore cumulaſſe.

Tum *Anonymus*. Præter has, quas jamjam memoraſti, exercitationes, nonne & aliæ apud veteres in uſu erant.

Hoc loco *Hotton*. Et mihi videtur, inquit, te inſcium Gymnaſticæ eſſe. Verſaſtine eruditiſſimi Mercurialis librum? quem hujus gratia induſtrioſe compoſuit.

Titu-

de purgantibus & propotiſmis & Clyſmis, ſcripſerit: Apollonium: quia de facile parabilibus remediis. Quin etiam laudat Hippocratem, Euriphontem, Dieuchem, Diocłem, Pliſtonicum, Praxagoram, Herophilum, Nicrum; quos omnes, citra ſuperſtitionem & præſtigias, haud medicam curam ad medicamentorum cientiam contuliſſe.

[58] In libro de Republ. Dial. III.

[59] De morb. popularib. lib. VI. Licet hoc loco Hippocrates exercitationes in curandis febribus damnaverit: inde ſane non efficitur nullum earum uſum eſſe in valetudine tuenda. Contrarium apparet e libro III. de Diæta, ubi Hippocrates eas homini, incolumitatem corporis exoptaturo, injungit. Ita enim ſcribit. *Laboribus quoque ac curſibus circularibus exerceri oportet, & curſibus rectis revertentibus: modicis multo tempore, & deambulationibus in umbra, lucta autem in pulvere, quo quam minime excaleſcat. Verum volutationes in pulvere meliores ſunt, quam curſus circulares. Frigefaciunt enim corpus humores evacuantes. A cœna deambulandum*

non

Titulus libri quidem, inquit *Anonymus*, mihi notus eſt, ſed nondum mihi negotium de libro perlegendo dedi.

Eja! inquit *Hotton*, ita comparata certe eſt tua, quemadmodum plerorumque, hoc tempore viventium, hominum natura, comparant pretioſam ſibi Bibliothecam, addiſcunt librorum titulos, & diverſas illorum editiones: De cætero cuticulam curant, vel aliis rebus vanis operam dant, & tamen magnam de ſe eruditionis opinionem habent: ceu vero eruditio non ſit opus operoſum, quæ non tranſlatitia libri alicujus inſpectione, ſed ejus lectione ſedula acquirenda. Sed miſſos hujus ſeculi errores faciam, potius dicam, breviter tamen, quæ a veteribus didici. Galeno itaque in numero exercitationum ſunt luctæ, pancratium, pugilatus, curſus, pytiliſſare, in plethro decurrere, umbratilis pugnæ meditatio, ſummis manibus certare. Saltus, diſci jactus: coryco, pila vel parva vel magna, ut & halteribus, inſtitutæ corporis fatigationes, vociferationes, &c.

Antyllus, quem Oribaſius excerpſit, memorat inſuper ambulationem, geſtationem, equitationem, Cricilaſiam, natationem, geſticulationem, ingreſſum per loca ſima. [60] Hæc & ſimilia corporis exerci-

dum non eſt, ſed ſaltem ſurgendum. Mane vero deambulationibus utendum. Non modo in hoc libro, ſed etiam in 11. de Diæta commemorat varia exercitia, & utilitatem, quam corpus, ſi illa debite uſu venerint, inde percipit. Nomina eorum hæc ſunt. Curſus longi, recti, revertentes, equeſtres indefiniti, curvi, circulares: quorum aliqui exutis veſtibus velociter peragebantur: dictis adde concuſſiones, commotiones, & allevationes, luctam cum oleo vel in pulvere, micationem per ſummas manus, manuum ad Rhytmum motionem, follem, fricationem, volutationem in pulvere, & ſpiritus detentionem.

[60] *Galenus* de valet. tuend. lib 11. Cap. xv. dividit corporis exercitia in tres claſſes, ut (1) in ea, quæ cum celeritate citra vehe-

tia partim in Gymnaſio, partim foras, ſanitatis tàm tuen-

vehementiam & robur (2) quæ cum vehementia quadam, & (3) quæ robore quodam perficiuntur. Sub prima claſſi comprehenditur (α) curſus: (quem tamen Antyllus apud *Oribaſium* Medic. coll libr VI. Cap. XXII. quoniam eſt deambulatio vehemens & concitata, inter vehementes numerat exercitationes) plurifariam autem curſum fieri: eſſe enim ejus quandam ſpeciem, quam recta ad anteriora fieri: aliam in poſteriora, quem curſum vocari recurſum: aliam in orbem, quem circumcurſum. Et *Lucianus* de Gymnaſiis. *Neque vero*, ſcribit, *curſus in loco plano aut ſolido conficitur, ſed in profunda arena, ubi nulla firmitate planta figi poteſt, aut ſuſtentari, neque ſuffulciri promptum eſt, cadentibus ſubinde ad ſingulos paſſus pedibus.* (6) Umbratile certamen, de quo *Oribaſius.* d. libr Cap. XXIX. *Oportet autem non ſolum manibus cum umbra depugnare, ſed etiam cruribus: ac interdum tanquam ſalientes, interdum vero tanquam calcibus cædentes.* Ejuſdem generis eſt, Galenus quod Cap. XVIII. refert, ἀκροχειρισμός, cum duo ſummis manibus concertant. Cap. XXX. dicit geſticulationem, quæ etiam ſpecies exercitationis erat eſſe mediam, inter choream & & umbratilem pugnam. (γ) Exercitatio, quæ per corycum. i. e. folle, & magna ac parva pila inſtituitur. *De folle pugillatorio Oribaſius* Cap. XXXIII. ex Antillo memorat, *quod is in corporibus imbecillioribus grano ficulno, aut farina: in robuſtioribus vero arena impleatur: nec non ejus magnitudo ad vires corporis & ad ætatem accommodetur. Suſpenditur autem in gymnaſiis ſuperne e culmine, tantumque a terra diſtat, ut fundum ad ejus, qui exercetur umbilicum pertineat. Hunc utriſque manibus tenentes, qui exercentur, primum quidem quiete, poſtea vero vehementius geſtant, ita ut ipſum recedentem conſequantur, & iterum redeunti cedant violentia compulſi, poſtremo vero eum e manibus rejicientes emittunt, ut cum revertitur, vehementius corpori adventu ſuo occurrat. Ad extremum vero in ſedem ſuam ſæpiſſime reſtituendo demittunt, ut ex congreſſu, ſi non valde advertant, retrocedat. Ex quo fit, ut quandoque manibus occurrant, dum propinquat, quandoque vero pectore, manibus paſſis: quandoque vero, iis ad terga revolutis.* Præter dictas a Galeno pilæ ſpecies Oribaſius. Cap. XXXII. enumerat, medias, & vacuas. Parvæ pilæ magnitudinis eſſe tria genera, ex unoquoque genere unam extare exercitationem. Quandam enim valde parvam eſſe, & eos, qui in ea exercentur, corpore maxime elato ludere, & colludentes manus manibus proxime admovere. Alteram pilam eſſe paulo majorem, qua etiam homines uti, & cubitos cubitis ludendo inmiſcere, nec corporibus mutuo hærere, nec annuere, ſed variis modis moveri,

tuendæ, quam labefactæ recuperandæ cauſſa peragebant.

I 2

veri, & propter varios pilæ ictus atque motus, huc atque illuc digredi. Tertiam vero pilam, dictis majorem, diſtantes inter ſe homines ludere: ſed in ea, ſtatariam partem eſſe & motoriam. Eos, qui manent pilam emittere cum vehementia, & continuitate, brachiaque & oculos juvare: in motoria vero & brachia & oculi pariter juvari; ſed cruribus etiam propter curſum, & ſpinæ propter inflexiones, quæ currendo fiunt, commodum accedere. Exercitationem porro, quæ a magna pila oritur, non modo a ſuperioribus differre pilæ magnitudine, ſed etiam manuum figura: nam in ſuperioribus ſummas manus ſemper humiliores humeris teneri, in hac vero capite altiores. Quandoque etiam ſummis pedibus vadere, ut manus altius extollant: quandoque etiam ſaltare, quum pila ſupra eos feratur. (δ) Ἐκπλεθρίζειν eſt, ut Galenus habet, cum in plethro. i. e. in ſexta parte ſtadii aliquis prorſum retorſumque viciſſim, idque ſæpe, in utramque partem ſine flexu curſitans, unoquoque curſu breve quiddam de ſpatio demit, quoad denique in unico congreſſu conſtiterit. (ε) Πιτυλίζειν eſt, ſiquis ſummis pedibus ingrediens, tenſas in ſublime manus, hanc antrorſum, illam retrorſum celerrime moveat. (ζ) Celeres tandem motus ſunt, circumvolutis nobis velociter vel ſolis vel cum aliis. Poteſt & ſolis cruribus, idque erectus, ac uno loco conſiſtens celeriter exerceri; ſubinde quidem retro tantum tranſiliens: interim vero crurum utrumque vicibus referens. Secunda exercitationum, juxta Galenum Cap. XIX. claſſis, complectitur exercitia vehementiora, ut (α) diſcum mittere. (β) Saltare, cujuſmodi exercitatio fiebat, ut *Oribaſius* Cap. XXXI. ex Antillo habet, circumflexis cruribus, ita ut calcibus nates attingerent; quandoque cruribus alternatim inflexis, ut calcibus nates peterent: quandoque vero utriſque uno & eodem tempore. *Lucianus de Gymnaſ. Alii alibi omnes accelerantes in pulvere, veluti currentes ſubſiliunt eodem in loco permanentes, & in altum proſilientes calce laceſſunt aërem.* Sic etiam tranſiliebant foſſa, grandia plumbi pondera in manus habentes. (γ) Iaculari, quale exercitium, eodem Luciano ſcribente, inſtituebant vel haſta in longum projicienda, vel globo æneo tereti, in parui ſcuti figuram formato, neque lorum neque baltheum habente: quemadmodum gravem, ſurſum manu extortum jaculabantur in aerem, certaminis cauſſa, qui eum quam longiſſime projiceret. (δ) Agitari celeriter gravi armatura tectus. (ε) Vociferari. De quo exercitio Antillus apud Oribaſium Cap. IX. *Qui doctrinæ expers eſt: vociferando dicat, quorum meminerit, quæque clara, & multas habere lenitatis & aſperitatis mutationes, videantur. Sin autem verſus ſciat,*

Jam-


24ColorCard
CameraTrax.com
TM

nis, Celſo auctore, [61] plerumque debebat eſſe ſudor, aut laſſitudo, quæ citra fatigationem eſſet: idque ipſum modo minus modo magis faciendum erat: Galeno autem auctore, [62] conſtitutus exercitationibus terminus habebatur reſpirationis alteratio, quod

I 3 ſi

prorſus in ambitum circumducta. Nam qua parte manibus prenſantur anſulas habent: intra quas digiti, uti intra clypeorum lora, inmittuntur. Differre autem has inter ſe auctor eſt Antillus apud Oribaſium Cap. xxxiv. libri ſæpe ſæpius a me allegati. Nam vel ſeparatim mitti manibus extenſis & circumactis: vel teneri ſolum in protenſione manuum plerumque quieſcentium, & brevi motu agitatarum: & iis ipſis, qui exercentur, introeuntibus, & æque, ac pugiles concutientibus: vel quum ii, qui exercentur, manus ad ſpinam jaculando inflectunt. Pertinet etiam huc Palæſtra, quam Oribaſ. Cap. xxviii. diſpeſcit in vehementem, placidam & erectam. Inſtituebatur autem luctatio vel in arena vel in cœno. Luctatores enim nudi prius radebantur, vel ſe mutuo radebant, ac oleo alter alterum inungebat. Deinde alter cum altero congreſſus omnifariam luctabatur, ut alterum deorſum in cœnum adigeret. De quo luctamine plura apud Lucianum, id pugnæ genus falſe perſtringentem, in Dialog. de Gymnaſ. & apud Galenum ſanit tuend. libr. ii. Cap. vii. Pancratium tandem huc etiam referendum eſt, in quo, teſte *Luciano*, homines pulvere conſperſi, erecto ſtabant corpore, ac ſemet verberibus mutuis onerabant, & calcitrabant in tantum, ut aliquando ſanguis profluueret. Supereſt geſtatio, quam Antillus apud Oribaſium Cap. xxiii. dicit mediam exercitationem inter motum & ſitum partium corporis quieſcentium. Celſus libr. ii. Cap. xv. varia genera geſtationum recenſet. Geſtationum etenim leviſſimam, eſſe navi vel in portu vel in flumine: vehementiorem in alto mari navi, vel lectica aut ſcamno: acriorem vehiculo. Atque hæc ipſa & intendi & leniri poſſe. Si nihil horum eſt, ſuſpendi lectum debere, & moveri: ſi ne id quidem eſt, at certe uni pedi lecti funiculum ſubjiciendum eſſe, atque ita lectum huc & illuc manu impellendum. Si quis memoratarum exercitationum utilitatem in Medicina ſcire aveat, is citata loca Galeni & Oribaſii pervolvat. Nimiopere enim, ſi ego ſingula recenſere vellem, hujus libri excreſceret moles.

[61] lib. i. Cap. ii.

[62] De ſanit tuend. paſſim, cumprimis vero lib. ii. Cap. xxiii. & *Æginet.* lib. i. Cap. xvi. & xvii. & *Oribaſius* libr. citato. Exercitationi tamdiu inſiſtendum, dum & corpus intumeſcit & color floridus apparet, & motus prompte, æquabiliter & concinne eduntur, & ſudor

cum

ſi ea nondum mutata, ſignum hoc erat exercitii imperfecti. Antequam autem aliquis ſe exercitationibus accingeret, opus erat ipſi frictio, quam præparatoriam appellitabant, eademque calefaciendi corporis cauſſa inſtituebatur, fiebatque primum mollis: mox vero exercitationem aggreſſuro, dura: [63] exantlatis autem exercitationibus iterum oportebat frictionem ſubire, quam apotherapeuticam vocabant, atque hæc plu-

cum calido vapore miſtus cernatur. Inhibendam vero exercitationem, quamprimum aliquid horum fuerit mutatum. Gymnaſtis enim, & non pædotribæ, (qui modo, quicquid motuum in palæſtra perficiebatur, noverat) erat, callere omnis generis exercitationum qualitates, & quid quiſque motus tum in valetudine ſecunda tuenda, tum in adverſa redintegranda, in omnis generis ætatum & conditionis hominibus, efficere valeat, vid. Cap. XXI. & XXII. dicti libri. Cæterum veteres, qui de arte Gymnaſtica ſcripſerunt, plurimum ratiocinati ſunt de laſſitudinibus, ex exercitiis contractis. Commemorat namque Galenus Cap. VII. lib. III. tres ſimplices, & quatuor compoſitas: capite XIV. autem laſſitudines quatuor ſimplices; & undecim compoſitas. Primam ex ſimplicibus vocat ulceroſam, quam ex recrementorum tenuium ſimul & acrium copia fieri: ſecundam *tenſivam*, affectionem hanc contingere circa muſculos & nervos, in quibus tenſionem cujuſdammodi exercitatos perſentire: tertiam *inflammativam*, in qua velut contuſas aut inflammatas eos ſentire partes, & hanc accidere, excalefactis muſculis, aliquid de circumfuſis ſibi ſuperfluis recrementis, attrahentibus: quartam denique gracilitatis; generari hanc, muſculis ultra modum ſiccatis, adeo ut denudatum corpus appareat ſqualidum ac contractum, & ad motum pigrum. Reliquarum undecim nominationes a Galeno non traduntur. Traditur vero non modo ab eo in libr. IIII. ſed etiam ſuccincte ab Ægineta. lib. I. Cap. XX. quarumcunque ſimplicium laſſitudinum curatio.

[63] Vel ita juxta *Æginetam* lib. I. Cap. XV. frictio præparatoria inſtituebatur. Ante exercitia corpus moderata frictione linteis facta, oportebat calefacere. Deinde oleo fricabatur nudis manibus, donec probe caleſceret, & mollitum eſſet corpus, & florido rubore ruberet, & ad tumorem perductum eſſet. Eadem fere habet *Oribaſius* Coll. medic. libr. VI. Cap. XVII. & XV. item Ætius. tetr. I. ſerm. III. Cap. I.

[64]

pluſculo oleo, cum ſpiritus omnimoda retentione, peragebatur. [64]

Dic quæſo, interfabatur *Anonymus*, an medici tunc temporis fricationis munere functi?

Quantum ad me pertinet, inquit *Hotton*, fricatus munia, puto, ſervos obiiſſe: ab initio autem frictum non tanto artificio inſtitutum, quanto poſtmodum Prodico Selymbriæ nato, Iatralepticen inſtituente,

[64] *Galenus* de ſanit. tuend. lib. III. Cap. II. monumentis prodidit. Omnis exercitationis, probe peractæ partem poſtremam dici apotherapiam. Eamque duplici conſilio ſuſcipi, & ut excrementa expurget, & ut corpus de laſſitudine tutum reddat. Priorem cauſſam etiam exercitationi communem eſſe, quoniam ſolidas animalis partes firmet & excrementa expurget. Proprium tamen apotherapiæ ſcopum eſſe, ut laſſitudinem, quæ ſuccedere immodico exercitio ſolet, ſummoveat atque prohibeat. Cujus ſcopi ut exercitati compotes fierent, oportebat frictiones, quæ per alios cum celeritate adminiſtrantur, adhiberi: imo plurimum manibus fricandum, quo nulla corporis pars nuda relinqueretur, & cum his una, tum ipſarum, quæ fricantur, partium tenſionem, tum etiam ſpiritus cohibitionem. Oleum quoque fricando corpori largiter erat circumfundendum: huic quippe potentiam eſſe, tenſa remittendi, & actione vehementiore fatigata, emolliendi. Media igitur fricatio erat mollis duraque, quam etiam mediocrem appellabant. Perficiebatur autem fricantis manibus valenter injectis, ita ut earum compreſſio proxime ad duram frictionem accederet: cæterum pinguedinis copia & velocitate movendi eatenus remiſſis, ut plane mediocris evaderet. Ut autem, quicquid excrementorum inter cutem & ſubjectam carnem reſidet, per cutim expellatur, haud exiguam apotherapiæ portionem eſſe ſpiritus detentionem, rebantur gymnaſtæ: quam quidem effici tenſis omnibus thoracis muſculis: iis vero, qui ſub ſepto ſub abdomine ſunt, remiſſis. Secundo loco habebant eam ſpiritus cohibitionem, quæ mediocriter eos muſculos, qui in abdomine ſunt, tendit. Hujus intenſionis ergo faſciarum circumactus fiebant, tendente ſe ad ſingulas eo, qui fricabatur, non tamen cum omnibus pariter ſe vertente, quum neque continuos motus neque vehementes ei contingere ex apotherapia conveniret. Itaque tum ſæpe revolvere, tum ſæpe hoc ipſo tempore progymnaſtem mutare oportebat, ſæpe ipſe a tergo gymnaſtæ incumbens, atque utrumque crus per vices ei circumplectens, idque cum tenſione aliqua non urgente, ab aliis,

reunctoribus quoque medicorum ac mediaſtinis vectigal inveniente, cœptum eſt. [65] Tanta deinceps hominum ſubtilitas fuit, ut ungue fricari, quia cum ratione fiebat, ſingulare artificium putaretur.

Ain' artificium, inquit *Anonymus*, quaſi vero quilibet homo, licet hebes ingenio, ſi modo unguibus fuerit præditus, fricare non poſſet.

Tum *Hotton*. Aſſentirer utique tibi, inquit, ſi perinde eſſet quoquo modo fictus ſit peractus; ſed longe aliter, quam tu putas, experientiſſimis quibuſque antiquorum medicorum fuit viſum. Cous noſter, cujus auctoritas etiamnunc viget, imo apud poſteros perennabit, contra te dicit teſtimonium, cum quadripertitam fricationum differentiam ſtatuit. Atque ſuam quibuſque virtutem adſcripſerit: Ait enim hic vetuſtiſſimus auctor Medicinæ [66] frictione, ſi vehemens ſit, durari corpus: ſi lenis, molliri: ſi multa, minui: ſi modica, impleri. Hippocratis ſententiam fuſius ab Aſclepiade, in eo volumine, quod communium auxiliorum ſcripſit explicatam, Celſus [67] auctor eſt. Theon Gymnaſtes ſex, & Galenus novem, frictionum qua qualitate qua quantitate differentias, tradit. Ille qualitates bipartitus eſt, ut in duram inque mollem: harum unamquamque vero iterum diviſit tripartito, ut in paucam, multam & mediocrem: Hiſce igitur multiplicatis oriuntur antememoratæ ſex frictionum differentiæ. Galenus autem dictis duabus qualitatibus adjunxit inſuper tertiam, quam mediocrem vocavit, eandemque tripartitam, ratio-

qui commode contrectarent, fricabatur. Uſum hujus aphotherapiæ vide apud Galenum d. libro & Oribaſium Cap. xvi. d. libri.

[65] Ut *Plinius* H. N. lib. xxix. Cap. i. & lib. xxviii. Cap. iv. habet.

[66] In libro μετ' ἰητρείαμ, a Galeno. Cap. v. Lib. ii. de San. tuenda, citato.

[67] de Re Medica lib. ii. Cap. xiv.

[68]

ratione quantitatis ſtatuit, paucam ſcilicet, multam, & mediocrem: quæ tres, dictis ſex quantitatum differentiis, ſi additæ fuerint, efficient novenas fricationum juxta Galenum differentias. Equidem fuerunt aliqui veterum, qui ſtatuerunt differentias in frictibus eſſe, ſi quis ſub dio, vel ſub tecto; vel in frigido, vel calido perflabili, vel tranquillo loco: vel in balneo, vel ante balneum, &c. in locis, frictus fuerit, Adhæc fricationes inter ſe differre reſpectu materiæ, qua peractæ fuerint: aliuſmodi enim frictionem eſſe, quæ plurimo, vel modico vel plane nullo, oleo: atque quæ manu tantum, vel etiam pulvere intermixto; & rurſus, quæ aſpero vel molli linteo, perficiatur. Verum enim vero Galenus tot enarratas fricatuum differentias ſuſque deque habet, exceptis iis, quæ ad paulo ante dictum novenarium redigi queunt. [68]

Tum *Anonymus*. Et nunc demum, inquit, animo comprehendo, quod fricatio dextre perficienda, ſit opus artificioſum.

Non omnia audiſti, inquit *Hotton*, ſane magis perſuadebere opinione non ſolum, ſed & ad veritatem, ſi dictis addideris, quod fricatio quoque inſtitui aſſoluit juxta variam poſituram vel ſitum corporis. Interdum namque ex uſu eſſe autumarunt, ſi tranſverſum: aliquando, ſi *ſubtranſverſum*: ſubinde, ſi obliquum, rectum vel *ſubrectum*, manu ductum, in fricando obſervarent. [69] Deinde erant etiam: qui

[68] De his fuſe *Galenus* in. d. l. a Cap. VI. uſque ad XII. & eadem habent *Oribaſius* fere coll. med. lib. VI. Cap. XVII. & *Ægineta*. lib. I. Cap. XVIII. Libet judicium Celſi noſtri d. l. de tot frictionum ſpeciebus prolatum in medium afferre. *Quas tamen ſpecies*, literis prodidit, *ſi quis curioſius æſtimet, quod jam ad Medicum non pertinet, facile intelliget, omnes ex una cauſſa pendere, quæ demit. Nam adſtringitur aliquod eo dempto, quod interpoſitum, ut id laxeretur, effecerat: & mollitur eo de-*

numero finiebant, quoties aliquis perfricandus eſſet; ſed non audiendos eos eſſe, Celſus [70] auctor eſt; id enim ex viribus hominis potius colligendum eſſe. Etenim ſi is perinfirmus fuerit, ſatis eſſe ſi quinquagies: ſi robuſtior ducenties eſſe faciendum: inter utrumque deinde, prout vires ſint. Quo fieri, ut etiam minus ſæpe in muliere, quam in viro: minus ſæpe, in puero vel ſene, quam in juvene, manus dimovendæ ſint. Iatrolepticorum munus erat, hæc & ſimilia, quæ vel ad frictum vel ad unctionem neceſſaria, curare, ut artificioſe perficerentur.

Liceat interfari, inquit *Anonymus*, mihi videtur, te frictionem & unctionem tanquam operationes diſtinctas atque inter ſe diſſimiles poſuiſſe; cum mihi ex

detracto, quod duritiem creabat & impletur non ipſa frictione, ſed eo cibo, qui poſtea uſque ad cutem digeſtione quadam relaxatam penetrat.

[69] En Exemplar, ut plu-



rifariam frictio juxta manuum ductum perficiebatur, delineare id curavi e *Galeni* Cap. v. lib. VI.

de Tuend. valet.

[70] Cap. XIV. Lib. II.

ex adverſo unius modi habentur, quia ſi quis, ut antea memoraſti, oleo fricetur, atque id manu tantum, puto eundem tunc ungi.

Tum *Hotton*, Erras, inquit, ſi id credis. Nam veteres ipſi alteram ab altera operatione diſtinguebant, putabantque inter unctionem & frictionem multum intereſſe. In unctura enim, corpus vel ejus pars, unguento delibuta, leviter pertractabatur. [71] Cæterum, mirum eſt, quod & unctiones & frictiones, quas tamen ſani æque ac ægri quondam magni faciebant, hoc tempore perraro uſu veniant, & oblivioni, hominibus ſe paulatim iis deſueſcentibus, fere tradantur. Sed, inſtabilitas mentis humanæ cauſſa eſt, ut, quod firmum ſtabileque in actionibus hominum eſſet, nihil reperiatur, verum omne, quale quale fuerit, viciſſitudinem tandem ſubeat.

Hoc loco *Albinus*. Mihi tecum convenit, inquit. Quis noſtrum crederet? balnea, quibus veteres tam ſuperba ſumptuoſaque ædificia deſtinabant, [72] ex parte maxima exulare. Equidem apud Mohammodanos potiſſimum hoc ævo, quia lege ſancitum eſt, ut munditiei ſtudeant, balneæ in uſu ſunt, at non tan-

[71] *Celſus* Capite jamjam citato. *Præterea, ungi etiam in acutis & recentibus morbis oportet, in remiſſione tamen, & ante cibum: longa vero frictione uti, neque in acutis morbis, neque in creſcentibus convenit, præterquam, quum phreneticis ſomnus eu quæritur.*

[72] Quorum rudera etiam nunc vanriis in locis conſpiciuntur. Structuram, quæ apud Romanos ſolennis erat, vide apud *Vitruvium* de Architect. lib. v. Cap. x. Agrippa, ut autor eſt Dion. *Caſſius*. Lib. 111. Sudatorium fecit Laconicum. Id genus balnei ita vocari, quoniam hic tum nudari corpora & inungi oleo præcipue videbantur. Idem, teſte *Plinio* H. N. Lib. xxxvi. Cap. xxv. in thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encauſto pinxit: in reliquis albaria adornavit: non dubie vitreas facturus cameras, ſi prius inventum id fuiſſet. Si quis plura, quæ ad magnificentiam, quam Romani in adornandis balneis adhibebant, attinent, deſiderat,

tantum apparatum balnearium, quantum apud veteres erat in more poſitum, habent. Præter munditiei ſeu lavandi ſtudium vix Mohammodanis alius eſt ſcopus, ut balnearia frequentent: cum veteres inſuper ea adirent ſudandi, fricandi, inungendique cauſſa. Quid? quod & ægrotantes, non paralytici, claudicantes, ſcabioſi, &c. vitio nervorum vel cutis externæ laborantes tantum, ut hac ætate tales ad Thermas præcipue ablegare ſolemus; ſed febricitantes, &c. ſolebant ſibi auxilium a balneis petere. Antiqui timidius iis utebantur, Aſclepiades audacius: tamen Celſo [73] monitore, hic quoque habenda virium ratio eſt: neque committendum ut per æſtum anima deficiat, ſed maturius æger auferendus, curioſeque in veſtimentis involvendus eſt, ut neque ad eum frigus aſpiret, & ibi quoque, antequam aliquid aſſumat, inſudet.

Tum *Anonymus*. Jam audivi, inquit, calidam aquam creberrimo in uſu apud veteres fuiſſe, mirum

rat, is legat *Senecæ* Epiſtolam LXXXVI. & Cælii *Plinii*, Epiſtolam VI. ad Apollinarem. Lib. V *Galenus* lib. X. Cap. X. Meth. Med. auctor eſt, Balneum ex partibus varia facultate præditis compoſitum. Quippe ingredientes in aere verſari calido, poſtea in aquam calidam deſcendere, mox ab hac egreſſos in frigidam, poſtremo ſudorem detergere. Poſſe autem primam ejus partem materias per totum corpus tum calefacere, tum vero liquare; præterea, quæ inæqualia ſunt æquare, &c. Secundam Balnei partem, ſi quis in ſicco corporis affectu ea utatur, poſſe madorem utilem ſolidis partibus immittere. Tertiam poſſe, ubi quis frigida utatur, totum corpus refrigerare, & cutem denſare, & vires firmare Quartam vero, corpus per ſudores citra refrigerationis noxam vacuare. *Langius* lib. I. Epiſt. L. arbitratur, Balnea publica, excepto apodyterio, quatuor caſulis compoſita, quarum unamquamque peculiarem aquæ ſeu aeris calefacti aut refrigerati gradum nactam. Apud Romanos erant etiam Balneæ penſiles, quas, ut *Plinius*. H N. Lib. IX. Cap. LIV. narrat, Sergium Oratam primum inveniſſe.

[73] Lib. II. Cap. XVI.

rum quapropter non etiam frigida uſi ſint?

Ad quod *Albinus*. Non putabam, inquit, adeone te ignarum Hiſtoriæ eſſe Medicinæ? Quotus enim quiſque ignorat Antonium Muſam cum fratre Euphorbio ſæpenumero ægris auctores fuiſſe, ut frigidam uſurparent, & hanc quidem ſubinde a balineis. [74]

Prior fratrum Cæſarem Auguſtum, gravi morbo affectum, fruſtraque Medicorum opem diu implorantem, tandem lavacris frigidis, frigidiſque potionibus ſanitati reſtituit. Marcello autem ægrotanti, Muſa parili modo Medicinam faciente, mori neceſſe erat. [75] Aboleſcebat poſtea aliquandiu dicta lavatio frigida, donec civitatem Romanam Charmis Maſſilienſis invaſit, damnatis non ſolum prioribus Medicis, verum & balneis: frigidaque etiam hybernis algoribus lavari perſuaſit. Merſit ægros in lacus, videbantur ſenes conſulares uſque in oſtentationem, rigentes. [76] Damnabant tamen inſequentes medici talem lavationis frigidæ abuſum; verum, quia experimentis confirmatum erat, lavacrum frigidum ſubinde ex uſu fuiſſe, ideoque Galenus, [77] Agathinus [78] aliique veterum medicorum præcepta monitaque poſteris dediderunt, qui lavatio frigida rite inſtituenda ſit, atque perficiunda. Plura in præſentia non afferam, quia mihi, ob veſperaſcentem diem, domum eſt eundum. Et ita ſurreximus.

DIA-

[74] Ita *Plinius* H. N. Libr. XXV. Cap. VII.

[75] Ut monumentis prodidit *Dion Caſſius* lib. LIII. & ex hoc Xiphilinus.

[76] Hoc pacto ſcribit *Plinius*. H. N. Lib. XXIX. Cap. I.

[77] Cap. VI libr. III. de tuend. valetud.

[78] Cujus fragmentum extat apud *Oribaſium* Med. Coll. lib. X. Cap. VIII. Cæterum veteribus etiam in uſu erat ſiccatio per arenam: Quo pacto autem ea, & quibus in affectibus ſecundum Herodotum ſit inſtituenda, vide *Oribaſii*. d. l. cap. IIX. Idem Herodotus, ut e Cap. IX. X. & XI. apparet, adhibebat ſubinde in curandis omnis generis affectibus vel inſolationem, aliquando fomentum ex prunis, ſeu carbonibus ignitis, inſtitutum

DIALOGUS. VII.

De Secta Empiricorum.

REverſo mihi Ultrajectum ſe obviam dedit Solinus. Is, peracta utrimque ſalutatione, impenſe flagitabat, ad Huberi, cognati ſui, ædes ut venirem, pergratum etiam hoc fore cognato ſuo nullum ſibi dubium eſſe, ajebat; adeſſe inſuper Virum conſularem Sypeſteinium, narrare pergebat, non ægre hunc, quia ejus humanitatem luculenter perſpectam haberet, laturum, quod me adduxiſſet. Vereor, inquam, ne utriſque moleſti ſimus. Non enim ignoras cognatum valetudine impeditum fari debiliter: Virum autem conſularem, onerum mole diſtractiſſimum, ægre forſitan laturum, ſi quando nos, de arte Medica diſſerentes, audiverit.

Tum *Solinus*. Licet cognatus, inquit, ob diuturnam corporis ægritudinem debilitatus, ſubmiſſa nunc voce loquatur; moleſte tamen non fert aliorum ſermones, ſed iis delectatur potius. Quod autem putas, Sypeſteinium, Medicum, ut ſcis, conſummatum, ægre confabulationes noſtras laturum, erras ſane, ſi id credis. Profecto te iis aſſimilem, neceſſe eſt, qui ſermonibus ejuſmodi nolunt perſonas tam graves illigari: quaſi vero clarorum virorum, aut tacitos congreſſus eſſe oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerum colloqui leviorum. Sed miſſa faciamus hujuſmodi urbanitatis officia. En fores Huberi apertas. I modo intro, ſalva intus res eſt. Introibamus cubiculum, cui eſt proſpectus horti pulcherrimus, inibique memoratos ſenes, alterum cum altero ſermocinantem, inveniebamus. Veniam interrumpendæ ſermocinationis petebam. Et, ne inquam, & inquit

ſæpius

ſæpius interponeretur, ipſos quaſi loquentes introducam: atque id eo faciam, ut tanquam præſentibus coram haberi ſermo videatur.

HUBERUS. Non eſt, ut veniam petas. Spero enim vos non auctores fore, ut ſermo, qui mihi cum Viro Ampliſſimo erat, interrumpatur; ſed potius ut continuatur: ſiquidem in utramque partem paulo ante, quam huc veniſtis, diſputatum eſt, utrum Dogmaticorum potius, quam Empiricorum more medicinam facere præſtet?

SOLINUS. Communicate nobiſcum, præterquam vos repetendæ diſputationis tæderet, quicquid inter vos erat diſſertum: nullus dubito, quin opportunitatem idoneam aliquid addiſcendi jam ſimus nacturi.

HUBER. Principio moneam, neceſſe eſt, Medicos Empiricos olim bene, verum nunc temporismale, audire. Peccant autem pleriqui nunc temporis viventes ignorantia vocabuli, cum eos, qui olim circumforanei, circulatores, &c. nominabantur, etiam appellatione Empiricorum dignos cenſeant: quum e diverſo magnis potius intervallis diſtinguuntur.

SOLIN. Da igitur, ſi modo non moleſtiam tibi exhibemus, Empiricæ veteris initia, decreta, & alia, quæ ad hujus ſectæ explicationem pertinent.

HUB. Empirica, quæ etiam Græce vocabatur Teretice & Mnemoneutice, [1] propter obſervationes & memoriam pariter, quibus ſectatores potiſſimum operam dabant, occupata erat in experientia, unde & nomen ſortita eſt, Inter conditores hiſtoriæ Medicæ non conſtat, quiſnam primus ſectæ hujus auctor, aliis Philinum Coum, Herophili diſcipulum; aliis Acronem Agrigentinum, Empedoclis æqualem, ut Empirica Rationali ſecta antiquoir eſſet: aliis

[1] *Galenus* de ſectis cap. 1.

[2] Vide

aliis Serapionem, tanquam ſectæ auctores, memorantibus. [2] Utut ſit, mihi tamen videtur, eos, qui primum medicinam morbo faciebant, in uſu tantum & experimentis diſciplinam poſuiſſe.

SOLIN. Verum enim vero, complures contendunt, Pythagoram, Thaletem, alioſque Philoſophos Medicinæ inſimul rationali operam navantes, Acrone antiquiores; concludunt ideoque Dogmaticam vetuſtiorem, quam Empiricam, eſſe.

SYPEST. Mihi convenit cum Hubero de antiquitate Empiricæ. Medicinam enim, quanta ab initio fuit, exiſtimo, totam experimentis deductam ortamque, ſubinde aliorum ſalute, ſubinde aliorum interitu, pernicioſa diſcernentem a ſalutaribus. Quod etiam Empirici tempore Celſi [3] profeſſi ſunt, repertis videlicet Medicinæ remediis, homines deinde cœpiſſe de rationibus eorum diſſerere: nec poſt rationem Medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam Medicinam, rationem eſſe quæſitam. Namque ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu fieri.

SOLIN. Miror, quod empiricorum antiquorum ſcripta prorſus extincta deperditave ſint, cum tamen iſta ſecta habuit auctores longe clariſſimos. Præter ante memoratos, celebres fuere Apollonii duo, pater & filius, uterque Antiochia oriundus; deinde Menodotus, Sextus, [4] Theutas, Bachius, Heraclides, Zeuxis, &c. [5]

HUBER. Idem, quod te, me quoque ſæpenumero

[2] Vide *Celſum* in præfat. lib. 1. *Plinium.* H. N. Cap. 1. lib. xxix & Galenum de Sectis. Cap. 1. & in introductione Cap. xv.

[3] In modo memorata Præf.

[4] Hos memorat *Galenus* in introd. Cap. III

[5] Quorum mentio fit apud *Galenum* in libr. VII. aphoriſm. LXV. Hippocratis. Libr. II. Cap. VII. Meth. Med. Claris in Empirica

mero ad admirationem traduxit: Cauſſam autem hujus jacturæ, reor, fuiſſe, quod ultimi Empiriæ aſſeclæ ambirent famam rationalium medicorum, conarenturque rationes tam cauſſarum morborum, quam curationum ægrorum, tradere. Factum inde eſt, poſteaquam ſimili modo, ut Dogmatici, Medicinam profiterentur, ut, coalita utraque tandem ſecta, Empiria plane obſoleſceret. Qua inveterata, facile inde liquet, poſterioris ævi medicos, contempta tum temporis Empirica, præclarorum quamvis virorum ſcripta, non magni tamen feciſſe. Et, cum præter hæc apud poſteritatem, uſque ad ſeculum quintum & decimum, in ſtudio Sapientiæ Ariſtoteles, inque Medicina Galenus, primas tenerent duntaxat; non admiratione nunc afficior, ſpretis poſthabitiſve uſque adeo reliquorum multo clariſſimorum doctrina juxta & ſcriptis, quod nemo poſterorum ferme id ſibi negotium dederit, ut inveteraſcentia aliarum ſectarum ſcripta, iterum deſcribenda curaſſet, ſicque ab interitu ea vindicaſſet.

Solin. Quandoquidem Empirici experientiam ſemper crepabant, ſcirem ideo libenter, quo pacto eam definivere.

Huber. Ain' tu definivere. Ignoras tu, quod Empiricorum in more erat poſitum, breviſſimas rerum declarationes, non definitiones; ſed deſcriptiones, nominare. [6] Igitur, quamquam hæc modo verborum controverſia fuerit, Empiricorum deſcriptionem Experientiæ ſuppeditabo. Scilicet Experientiam eſſe ejus, quod ſæpenumero & eodem modo viſum

pirica auctoribus adnumerat etiam Theodam, Glauciam, Caliclem, Diodorum, Heraclidem & Lycum.

[6] Vel Illuſtrationes vel delineationes. Ita *Galenus* lib. IV. Cap. I. & II. de differ. Pulſ. & de ſubfig. Emp. Cap. VII.

[7]

ſum eſt, obſervationem atque memoriam. [7] Theutas, celeber Empiricæ auctor, breviter quidem Experientiam deſcripſit, eandemque utpote eſſe rei evidentis obſervationem; verum tamen ejuſmodi deſcriptionem docet Galenus [8] eſſe vitioſam: mavult autem paulo ante a me dictam ſubſtituendam, quæ eſt deſcriptio Experientiæ generalis: ſingularem autem Experientiam vocabant, quod aliquis αὐτοψία, i. e. proprio intuitu, deprehenderit. Et, quemadmodum ex complurium hominum experientia ſingula experimenta originem duxere, ita ipſam artem Medicam, a plurimis experimentis ortam, Empiriciprofitebantur. De cætero ſtatuebant nos ſenſus ducere ad experientiam, fieri eandemque proprio contuitu, vel obſervatione: dein hiſtoria, ac congruo de re ſimili ad ſimilem tranſitu. Autopſiam Empirici rei evidentis cognitionem non tantum, verum etiam Experientiam vocabant. Alii ſtatuebant autopſiam eſſe memoriam quandam eorum, quæ ſæpe ac eodem modo viſa fuerunt: [9] Hiſtoriam autem deſcribebant, quod ea ſit rerum circa eadem ſæpius probatarum narratio. [10] Tranſitio porro de re ſimili ad ſimilem, ſit iter ad experimentum. [11] Differentiam tamen & Dogmaticus, & Empiricus in vocabulis agnovere:

[7] *Galenus* de optima ſecta. Cap. IX.

[8] De ſubfig. Empir. Cap. VII.

[9] De Sectis Cap. II.

[10] de optim. ſect. Cap. XI. & de ſubfig. Empir. Cap. VIII. Hiſtoriam alii, eſſe voluerunt enunciationem eorum, quæ viſu percepta ſunt: alii enunciationem eorum, quæ evidenter appareant: alii enunciationem propriæ intuitionis.

[11] De ſubfig. Empir. Cap. X. Canſſabantur autem Empirici ſe tranſitu ad ſimile indigere, quoniam plurima & pene infinita eſſent, in quibus obſervationes erant faciendæ, & opem ferentia eſſent quoque infinita, ac nemo poſſet, in omnibus aut plurimus obſervare. Præterea dixerunt ſe tranſitu ad ſimile uti, nonnunquam ab auxiliis, ad auxilia: nonnunquam a locis ad loca: nonnun-

vere: ille ſtatuebat tranſitum a rei indicantis natura innoteſcere: hic vero, ea potius immitanda, cenſebat, quæ ſenſu præcognita fuerint, non quidem quod probabile videatur, ſimile a ſimili generari, aut agere, aut pati; ſed quod experimento compertum ſit, ita ſe invicem habere, quæ ſibi ſimilia ſint. [12] Cognitionem præterea, quæ autopſia comparatur, vel fortuitam eſſe, vel conſulto factam. Fortuitam iterum ſine humano conſilio vel caſu evenire, vel natura: caſu, ut, ſi quis occipitis dolore ægrotans in ambulando titubaverit, atque adeo involuntarie ad frontem alliſerit, indeque propter aliquantum ſanguinis, e vena frontis manantis, ſtillicidium, juvetur; Natura autem accidere, ſi febrim habens, ob hæmorrhagiam narium, confeſtim a morbo liberetur. [13] Juvantia itaque & lædentia vocarunt Naturalia. [14] Conſultam denique ab intuitu cognitionem eſſe, quando aliquis, aut inſomniis ſuadentibus, aut aliunde arbitrio ducto, volens ad experimentum venerit, v. g. ſi febricitans ſitim explendi gratia coactus, ſive aquam biberit, ſive mala granata comederit, a febri ita liberatus fuerit. Dictis duobus experientiam comparandi modis, reſtat tertius,

nunquam ab affectibus ad affectus. Ab auxiliis quidem ad auxilia, quando meſpilum vice Cotonei dyſenterieis exhibuerint: a locis ad locos, quando ea, quæ in muſculoſis aut nervoſis membris obſervarunt, talibus etiam applicuerint: ab affectibus autem ad affectus ita tranſiverunt, veluti cum remedia, ad ſanguinis effluvium probata ad hæmorrhoi morſum accipiantur. Ita *Galenus* de optim. ſecta ad Thraſ. Cap. XIII. Idem de Sectis. Cap. 1. §. 111. Erat quoque Empiricæ artis quandoque non incongrue de oppoſito tranſire ad oppoſitum, ubi ſcilicet ſimilia univerſa incaſſum fuerint tentata: quod quidem a Dogmatico omnino alienum erat. Idem *Galenus* hæc habet in libro de ſubfiguratione Empirica. Cap. x.

[12] *Galenus. ibid.* Cap. x.

[13] Ibidem Cap. 11.

[14] *Galenus* de ſectis. Cap. 1. §. 2.

qui imitatione acquiritur, dicendus. Imitamine igitur comparari Experientiam ponebant, ubi aliquiſpiam id, quod ſemel atque iterum ac ſæpe effectum conſpexerit, imitatus fuerit, idemque in iiſdem morbis plurimum conducibile invenerit. [15] Hujuſmodi repetita effecta autem dijudicabant præcepta appellari: a multis vero in unum faſciculum collectis præceptis Medicinam, cum antea vaga inſtabiliſque eſſet, artis formam tractu temporis indeptam. [16] Adhæc eſſe Τριβικήν, quo vocabulo ſignificari, tritam Experientiam, quam a diſciplina, experimentis inſiſtente, ortam, artifices ſolum uſu exercere: Diſciplinam vero, quæ in experimentis verſatur, vocari, habitum eorum, quæ adeo frequenter evenere, ut Theoremata jam inde ſint conſtructa. Theorema iterum nominabant, habitum rei, quam viderunt, cum eventus oppoſiti diſtinctione. E. g. Id, quod ſemper eodem modo contingit, oppoſitum ejus nunquam accidere: Et iterum, quod plerumque contingit, ejus contrarium, aliquando quidem, ſed raro, evenire. Ejus autem, quod utrovis modo fit æqualem eſſe oppoſiti eventum: ſicut illius, quod raro accidit, contrarum frequenter apparere. Quibus fundamenti loco poſitis, quadruplicis generis Theorematum differentias ſtatuebant. Primi generis verſari in iis, quæ nunquam: ſecundi, quæ plerumque: tertii, quæ utrovis modo: quarti tandem, quæ raro contingere ſoleant. [17]

Soi in. Quotuſquiſque non obſtupeſcit, & indignatur de pudenda aliquorum recentiorum medicorum inſcitia? qui, dum alii medico, vel ob altercationes

[15] Non ita frequenter tamen, ut jam ſemper ex alio conſequatur. Sufficire enim, prætendebant Empirici, ut vel plerumque vel utrovis modo vel raro contingat. Galenus de ſubfig. Empir. Cap. 11.

[16] *Galenus*. de Sectis. Cap. 1. §. 2.

[17] Idem de ſubfig. Empir. Cap. 11.

‡ *Nam*

tiones inter ſe habitas, vel ob invidentiam majoris felicioriſque praxis Medicæ, ignominiam vel maculam inurere conantur, aſſolent eundem appellitare Empiricum: quaſi vero hoc maximum convicium Medici eſſet. Contrarium Hercule, Chariſſime Cognate, ex dictis tuis claret ſatis: Nempe Empiricos priſcos non rerum omnium rudes fuiſſe; verum potius eos bene audiviſſe.

HUBER. Empirici in Medendi arte utique inclaruere, ſiquidem, cum animum modo ad praxin applicarent, omiſſa animalium ſive vivorum ſive mortuorum ſectione, inſpectioneque: ‡ omiſſis etiam obſcuris, ratione tantum inveſtigandis, morborum

‡ *Nam colorem*, ajebant, *lævorem, mollitiem, duritiem, ſimiliaque omnia non eſſe talia inciſo corpore, qualia integro fuerint: quia, quum corporibus inviolatis, hæc tamen metu, dolore, inedia, cruditate, laſſitudine, mille aliis mediocribus affectibus ſæpe mutentur: multo magis veriſimile eſt, interiora, quibus major mollities, lux ipſa nova ſit, ſub graviſſimis vulneribus & ipſa trucidatione mutari; neque quicquam eſſe ſtultius, quam quale quidque vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jam mortuo.* Exempli gratia in medium proferebant uterum, quem ſpirante homine poſſe diduci, prætexebant: minus autem mortuo. *Si quid tamen ſit, quod adhuc ſpirante homine conſpectui ſubjiciatur. id ſæpe caſum offerre curantibus. Interdum enim gladiatorem in arena, vel militem in acie, vel viatorem a latronibus exceptum, ſic vulnerari, ut ejus interior aliqua pars operiatur, & in alio alia ſita. Ita ſedem, poſitum, ordinem, figuram ſimiliaque cognoſcere prudentem medicum, non eadem,* velut Herophilus & Eraſiſtratus perpetrarunt; *ſed ſanitatem molientem, idque per miſericordiam diſcere, quod memorati dira crudelitate cognoverint. Ob hæc ne mortuorum quidem lacerationem neceſſariam eſſe: quæ etſi non crudelis, tamen fœda ſit, quum aliter pleraque in mortuis ſe habeant: quantum vero in viris cognoſci poteſt, ipſa curatio oſtendat.* Hæc *Celſus* in Præf. lib. 1. His adde quæ *Galenus* de ſectis. Cap. 111. §. XI. habet *Empirici neque inueniri quicquam membrorum diſſectione concedunt, neque ſi fieret, id arti neceſſarium eſſe: ac ne omnino quidem indicationem eſſe, neque aliud ex alio poſſe cognoſci, quia omnia poſtulent ex ſemet ipſis agnitionem: neque id, quod ſuapte natura abditum ſit, ullo ſigno indicari, ac ne ulli quidem arti opus eſſe Dialectica.*

* Ga-

cauſſis, non potuerunt non, quin tandem in Medicina facienda evaderent longe clariſſimi. Poſthæc non illotis, ut ajunt, manibus, juxta ac noſtrates circumforanei temere, & nullo conſilio, Medicinam adminiſtrabant; verum ad præſentium accidentium concurſum reſpiciebant, convenientemque accidentibus curationem, quamqam & morbum & cauſſam ejus ignorarent, animadvertebant. * Ejuſmodi enim latentium rerum conjecturas, ſtatuebant, ad rem non pertinere: quia non interſit, cujus generis morbus ſit, vel quid morbum faciat, ſed quid tollat.

SOLIN. Quid? poterant illi mederi morbo, quem ignorabant? Quæ inſcitia eſt hæc? Noſſe morbum, ejuſdemque cauſſam dimidium curationis noſtri credunt.

HUBER. Non ita res ſe habet, Chariſſime Cognate: ad ſententiam ferendam jam præceps fuiſti. Dicam itaque quod ſentio. Objectabant Dogmatici Empiricis, ſæpe etiam nova incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit: ideoque ne-

* *Galenus* in Introd. Cap. 11. De cætero periti Empirici non quamcunque ſymptomatum congregationem morbum nominabant, ſed concurſum tantum eorum, quæ ex longa obſervatione ita convenire comperti ſunt, ut pariter incipiant, augeſcant, declinent & recedant. Hujuſcemodi ſyndromen compendii gratia uno nomine, originem ab affecto loco, ducente, nominabant, ut Pleuritidem: ſubinde ab aliqua ſimilitudine, ut cancrum: interdum ab aliquo ſymptomate, ut inflammationem, &c. Symptomatum enim congregationem appellabant Syndromen. v. g. Si quando Empiricus in aliquo advertebat diſtentionem vaſorum, & ruborem & corporis univerſi gravitatem & pigritiam & tenſionem membrorum; concludebat tunc ex hoc accidentium concurſu, ſanguinis miſſionem eſſe inſtituendam. Vide *Galenum* de Subfig. Empir. Cap. v. & de multitud. Cap. 1. Iſtiuſmodi concurſus obſervatione invenerunt. Obſervatio deinde memoriam peperit, memoria experientiam, a qua tandem ars originem duxit. *Idem* de ſubſ. Emp. Cap. VI.

neceſſarium eſſe animadvertere, unde ea cœperint, ſine quo nemo mortalium reperire poſſit, cur hoc, quam illo potius utatur. Reſpondebant Empirici, remedia jam explorata eſſe, neque ulla aut nova genera morborum reperiri. Quod ſi incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obſcuris; ſed eum protinus viſurum, cui morbo id proximum ſit, tentaturumque remedia ſimilia illis, quæ vicino malo ſæpe occurrerint, & per ejus ſimilitudinem opem reperturum. [18] Et quantum ad inveſtigationem cauſſarum pertinet, ſcias, velim, plurimos Empiricorum eam ab initio flocci feciſſe; Serapionem deinde, nec non Menedotum, cauſſas, puta evidentes, ſcrutatos: quos poſtmodum reliqui ſectatores inſecuti ſunt. [19] Indagabant namque fatigatio morbum, an ſitis, an fames, an frigus, an calor, an vigilia fecerit: an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis, vel ſimilis in ſenſus incurrens cauſſa. [20] Quid? quod & ratiocinabantur de viribus medicamentorum. Exempli loco ſit Heraclides Tarentinus, qui pernicioſum judicabat, cataplaſma in phrenitide capiti ſine clyſtere anteceſſo adhiberi, & id quidem pleno corpore: ſiquidem ad caput rapta materia in ſalutis periculum præcipitat ægrum. Ratiocinium quomodocunque fuerit, non dubito tamen Cæl. Aur. orationi aſſentiri, Heraclidem utpote in hoc non ſuæ ſectæ morem ſervaſſe, quæ nunquam vaſculorum corporis materias attendit: ſiquidem non ſolum occultæ ſunt: verum etiam plerorumque judicio Empiricorum falſiſſimæ. [21] Hi enim nullas agnoſcebant cauſſas, niſi quæ in ſenſus in-

[18] *Celſus* in Præf. lib. 1.

[19] *Galenus* de ſubfig. Empir. Cap. XII. & VII.

[20] Ita *Celſus* in dict. Præf.

[21] Cæl. *Aurelianus* celer. paſſion. lib. 1. Cap. XVII.

currerent: atque hoc cavebant cummaxime, ut ne aliquid propter rationalem conſequentiam; ſed propter memoriam obſervationiſque evidentiam affirmarent tantum. Igitur rationem Dogmaticam ab Empirica diſcernere licet, quod illa ſit occultarum, at hæc manifeſtarum cauſſarum indagatio: [22] illa vocabatur Analogiſmus, quem quoque Dogmatici deſcribebant, quod is ſit comparatio & perceptio cauſſarum juvantium per ſimilitudines. [23] Hæc autem appellabatur Epilogiſmus, quem Menedotus, ſenſui rerum evidentium & memoriæ, adjunxit. [24] Epilogiſmum Empirici deſcribebant, quod is ſit ratio, quæ id, quod ab intelligentia divertit, in firmam certamque notitiam adducat. [25] Eundem idcirco rationem evidentem eſſe, arbitrabantur, utilem ad ſenſibilia, nondum manifeſta, invenienda: utilem ad arguendum eos, qui evidentiam rerum impugnent: utilem ad oſtendendum, quodnam inter evidentia præteritur: utilem denique ad diluenda ſophiſmata. [26]

SOLIN. Supervacanea ergo Empirici habebant, quæ

[22] *Galenus* de ſubfig Empir. Cap. VII.

[23] Idem de optim. ſect. ad Thraſ Cap. IX. In prognoſt. Hipp. Comm. 1. §. 9. *Analogiſmus eſt ratio, quæ ab evidenti auſpicatur, rei obſcuræ faciens cognitionem.*

[24] *Idem* de ſubfig. Empir. Cap. XIV.

[25] Ejuſmodi deſcriptio habetur in finition. Med. Cap 1. Verum *Galenus* comm. 1. §. 9. in prognoſt. Hipp. dicit *Epilogiſmus eſt ratio communis, & omnium aſſenſu conſpecta.*

[26] Hæc namque ab evidentibus nunquam abeſſe, ſed cum iis ſemper verſari: longe ſecus, ac dixi, conditionem ratiocinationis eſſe. Hanc quidem ab evidentibus initium trahere; verum eandem in ea, quæ perpetuo abdita ſunt, deſinere. Ideoque varios ejus eſſe modos, cum ab evidentibus aliquid, quod abditum eſt, ad aliud accedat: indeque diſcordiam, quæ dijudicari nequit, oboriri. Hanc indicium incomprehenſibilitatis eſſe dicebant. Comprehenſionem vero vocebant, quæ vere ac perſpicue cognoſcuntur. Præterhæc ſtatuebant, quod incomprehenſibile, eſſe cauſſam diſſinſionis, ſiquidem de eo, non

quæ e contemplatione rerum Naturæ in Medicinam ſuſcepta fuerunt?

SYPEST. Enimvero illa, quæ vel conjectura, vel ratione; & non, quæ ſenſuum adminiculo, indaganda veniunt. Et ego, latentium rerum conjecturas ad Medicinam practicam non pertinere, exiſtimo. Etenim animo cum veſtro reputate, an id ad aliquem Praxeos fructum redundet, ſiquis ſtatuerit, ſive hac de cauſſa concoctionem ciborum in ventriculo intercidere, ſive de illa; ſive concoctionem eſſe illam, ſive digeſtionem, ſive putrefactionem, ſive fermentationem, ſive tantum alimentorum attritum. Dicite ſodes, quid Practici? quid ægrotantis, intereſt? ſiquando calluerit quomodo digeſtio fit, niſi inſimul ſciverit, quis cibus optime ſit digerendus. Hoc ſcire utriuſque eorum magni intereſt. Neque ad rem pertinere, puto, quo pacto reſpiratio fiat, cujus quoque aliæ atque aliæ complurium phyſicorum ſententiæ extant; ſed quid gravem tardumque ſpiritum expediat. Eadem reliquarum eſto abditarum rerum conditio. [27] Equidem quid ſuccus Scammonei ad purgandum, quid Ariſtolochiæ radix ad morſus ſerpentum poſſit, video; verum cur poſſit, neſcio. Sic ventorum, &c. rationem, quam habeant, non ſatis perſpicio: vim & eventum agnoſco, ſcio, approbo: Quapropter hoc ſum contentus, quod, etiamſi, quomodo quidque fiat, ignorem, quid fiat, intelligo. [28]

SOLIN. Attamen plerique recentiores Medici

non valemus recte judicare: & rurſus diſſenſionem inter aliquos obortam rei alicujus incomprehenſibilis eſſe indicium; ſiquidem quæ de rebus obſcuris contentio eſt, eam poſſe judicari negabant: poſſe autem eam, quæ perſpicuis eſt. In his enim cum ſingula, qualia ſint, appareant, ſi vera loquimur, atque adeo nos veritatis convincant: ita ex adverſo nos coargutura, ſi mentiti fuerimus. *Idem* de ſectis. Cap. III. §. 12.

[27] Ita Empirici argumentabantur teſte *Celſo* in Præf. lib. I.

[28] Hæc *Cicero* de Divinat. lib. I.

præſertim vero qui ſe Mathematicos profitentur, opinione non ſolum, ſed & ad veritatem ſibi perſuadent, ſtatum corporis humani tam ſanum quam morbidum ſe habere penitus perſpectum: & vix aliquid occurrere, quod ad naturam morbi, vel ad uſum Medicamenti, ſpectat, cujus rationem argumentationibus, ut credunt, firmiſſimis ſe demonſtrare non poſſe.

SYPEST. Vaniloquium hoc, quinimo incœptum eſt vanum: quippe pleræque corporis humani actiones, ejuſdemque utcunque mutabilitas, partim ab ejus multiformibus partibus ſolidis, partim vero ab ejus multigeneribus humoribus, natæ, & ad inveſtigandum certe arduæ ſunt, & ad explicandum difficiles. Nolim tamen, ut Ratio e Medicina exulet, ſed eam velim ab evidentibus, minime autem ab obſcuris, cauſſis inſtrui. Utinam poſſet Mathematice nobis cujuſcunque morbi cauſſa, ut & conveniens medicamenti, morbo medentis, doſis, ſeu quantitas demonſtrari: certam profecto ægris tunc opem ſpondere, vel morbum curationi inhabilem pronunciare, poſſemus. Utinam tantum Medicinæ faſtigium imponeretur! gratularemur tunc nobis de artis perfectione, quam tam longa annorum ſerie, cujuſvis ordinis & ſectæ Medici, fruſtra hunc in diem quæſiverunt.

DIALOGUS. VIII.

De Secta Methodicorum.

VALLANUS, LUCIUS, BARCHUSEN.

VALL. Peropportune tu te nobis das obvius. Mihi enim & Lucio nunc est animus te invisendi, quia id nos facturi jamdudum promisimus. Si igitur nullam tibi molestiam exhibemus, tuas ad ædes, quas jam hic conspicio, tendamus.

BARC. Quorsus istuc? Missa facite ejusmodi urbanitatis officia: Pergite modo, quod cœpistis iter: illic statim aderimus. En ostium, quod actutum aperiam. Ite intro: gratulor mihi de adventu vestro in domum meam: recipite vos, obsecro, in hoc conclave: sedete in sellis; non ambigo enim vos lassos de via.

LUC. Oho quam negotiosus es tu: quiesce paululum; nos nobis ipsi prospiciemus. Sed, dic, amabo, ecquasnam chartarum plagulas conspicio lucubratoria in lecticula tua? Nunquid ad Medicinam spectat?

BARC. Scilicet. Oratio est inauguralis D. de MOOR, recitata cum Medicinæ Professionem capesseret.

LUC. Quænam est Orationis Hypothesis, vel Thema.

BAR. Ea est de hypothesibus Medicinæ. In qua se mirum in modum gloriatur. Vestra cum venia recitabo propria Oratoris verba. *Si novitas argumenti*, inquit, *aliquem delectat, est hæc materia, quod ego quidem sciam, tractata hactenus a nemine. Si varietas, deducet nos hoc filum ad varias errorum ambages, & Labyrinthos detegendos. Si jucunditas, videbimus grato spectaculo, figmenta, licet affabre concinnata, veritatis trutinam non*

ferre

ferre, ſed inſtar ſcoriarum a vero auro ſeparari.

Luc. Quid dignum tanta tulit hic promiſſor jactantia?

Barc. Parturivit montes; natus eſt ridiculus mus. Namque Oratoris noſtri materies non nunc demum, ut ſibi perſuadet, tractari cœpit; ſed ejus jampridem eſt mentio facta. Hippocartes, Celſus, Galenus, aliique memoriæ mandarunt omnigenas in Medicinam tunc temporis ſuſceptas hypotheſes: quæ autem poſterioribus hiſce temporibus increbuere, eorum meminerunt complures, vel inſtitutiones, vel Hiſtoriam medicam, ſcribentes. Quod ſupereſt, non ſtetit promiſſo glorioſus Orator noſter, dum præter pauca, quæ de Galenicorum hypothefibus protulit, nihil aliud egit, quam, ut in Chemiam debacharetur, eandemque fronte caperata vociſque, libertate perſtringeret. Et Hercule! ſiquis ſine præjudicata opinione hanc orationem perlegerit, tunc nullum mihi dubium eſt, quin is ultro ſit confeſſurus, eam meram rerum confuſionem, atque hyſteron proteron, ut ajunt, ſapere. Comprehendet adhæc, Oratori noſtro, nihil aliud animo propoſuiſſe, quam, ut qualem qualem occaſionem captaret Chemiam maledico dente carpendi: &, ut eam faceret odioſam, arripuit, veterum quorundam Chimicorum commenta opinionum; nec non vocabula aliqua ab Helmontio aliiſque ficta, & hæc tanquam abſurda, irriſioneque digna, protulit: ceu vero ſinguli recentes Chemici parilia complexi eſſent; quod tamen, ut noſtis, quam falſiſſimum eſt.

Luc. Verum, diſſeruitne primo de veterum hypotheſibus? quas cujuſcunque ſectæ principes tradiderunt.

Barc. Licet Orator noſter pollicitus fuerit, ſe diſſerturum de hypotheſibus, quæ ante & poſt inventum ſanguinis circuitum ab auctoribus Medicinæ memoran-

rantur: verum tamen mihi, orationem perlegenti, non licuit eas invenire.

LUC. Ergo ſiluit de veterum Empiricorum, juxta & Methodicorum, hypotheſibus.

BARC. Enimvero altum eſt de his ſilentium. Quid? quod alibi conqueſtus eſt, [1] vix aliquos auctores ſuperſtites, unde quiſquam poſſit Methodicorum placita addiſcere: cum tamen, ut vos horum non ignari eſtis, aliqui ſint reliqui, ut Aurelianus, Moſchion, &c. qui a nonnullis honorifice vel hoc ævo tractantur.

LUC. Quandoquidem nobis in mentem incidit antiquata propemodum Methodicorum ſecta: quorum hypotheſes Orator tuus ne labris primoribus quidem, ut ais, attigit; operæ pretium itaque nos facturos, autumo, ſi origo, ac dogmata ſectæ paucis verbis inter nos diſſerantur. Equidem & ego & vos non eſtis neſcii D. CLERICUM, Virum conſummatæ eruditionis, (alios haud commemorabo) prolixe initia & progreſſus ſectæ deſcripſiſſe: ita ut eis inſuper vix aliquid adjungi poſſe videatur: attamen nullus dubito, quin etiam nos quædam allaturi ſimus, quæ forſitan ab aliis præterita; atque id inprimis, ſi quando Clariſſ. VALLANUS ea, quæ ex aſſidua librorum lectione dudum ſibi comparavit, nobiſcum communicaverit. Incipias igitur, Vir eruditiſſime, pandaſque, obſecro, primordium atque caſus ſectæ.

VALL. Honorificentior fit mei mentio, quam mereor. Verum enimvero, ne horas urbanitatis officiis

[1] Libr. III. Cogitat. de inſtaurat. Medic. p. 186. poſtquam auctores aliquos Sectæ Methodicæ, quorum in introduct. Gal. Cap. III. mentio fit, enumerarit, hæc ſubjungit. *Verum cum horum lucubrationes temporis injuria perierint, incertum eſt de hac ſecta judicium.* Et p. 192. facta trium ſectæ communitatum recenſione, hæc ſcribit. *Quod ſi ad nos eorum perveniſſent ſcripta, facile foret eorum mentem perſpicere, atque ita judicium ferre.*

ciis fallamus, dabo, quæ in memoria habeo. Aſclepiade a vita recedente auditor ejus Themiſon præceptoris placita mutavit. [2] Qui, cum finiverit Medicinam eſſe methodum quandam, eorumque, quæ in morbis ſunt communia, contemplatricem, [3] auctor exſtitit peculiaris ſectæ, ob dictam medendi methodum, Methodicæ poſtea appellatæ. Conditor ſectæ, ut dixi, erat Themiſon Laodiceus: at perfector erat Theſſalus Trallianus, [4] delens, Plinio auctore, [5] cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorans. Hunc gloriabundum faſtoſiſſimumque hominum ſuo ævo fuiſſe, liquido ex fragmento epiſtolæ ad Neronem diſcimus: in qua jactanter blaterat, medicos, qui ante ſe fuerunt, nihil utile ſive ad ſanitatem tuendam, ſive ad morbos propulſandos, ſpectet, memoriæ prodidiſſe; ſe autem novam ſectam, quæ ſola vera ſit, condidiſſe. Quid? quod eo uſque veſanivit, ut tribunal fingeret, Græcis, veluti judicibus, aſſidentibus; coram quo ſingulos Medicinæ antiſtites accuſavit; ſed ſe ipſo ſimul litigatore, ſimul Agonotheta, ſimul judice, victoriam ſibi tribuente. [6] Ad ſummam, in tantum ſe in fortuna ſuperbum atque arrogantem præbuit, ut non dubitarit in monumento ſuo, quod erat Appia via, ſe Iatronicen, i. e. medicorum victorem appellare. [7] Præter hæc non veritus eſt præter omnium medicorum ſententiam, artem Medicam, quæ ſemper longa difficiliſque

[2] *Plinius.* H. nat. libr. xxix. Cap. 1.

[3] *Celſus* in Præf. lib. 1. Et in finition. Medic. Cap. 1. *Methodica, eſt ratio, quæ ab apparente progreditur, & incomperti comprehenſionem facit, ut ſi ſunt ſudores, ſunt exigui meatus cutis; apparens res enim eſt ſudor: meatus autem eſſe, incompertum eſt.*

[4] *Galenus* introduct. Cap. 111.

[5] Libro & Cap. modo citat.

[6] *Galenus* Meth. med. lib. 1. Cap. 11.

[7] *Plinius* loco citato,

* Ga-

que ad discendam habebatur, brevem facilemque pronunciare, * pollicerique se eam sex mensibus traditurum. Quomodocunque sit, id saltem de ejus doctrina constat, eundem sibi summam discipulorum frequentiam, quia plurimi opificum ac imi subsellii homines se disciplinæ ejus committebant, comparasse. [8] Post hunc celeberrimi in Secta fuerunt Mnaseas, Dionysius, Olympiacus, Mnemachus, Soranus, Julianus, [9] Cæl. Aurel. Moschus & alii, quorum memoriam scriptores varii venerantur.

BARC. Quamquam plerique disciplinæ Methodicæ scriptores injuria temporum interierint: tamen non diffido e reliquis nos decreta, hypotheseſque sectæ, petere posse?

VALL. Quinimo possumus quasdam proferre, sed an omnes, id asserere non ausim: quoniam auctores superstites, ut Cæl. Aurelianus, Moschion, Theodorus Priscianus, &c. potissimum eorum mentionem faciunt, quæ ad Praxin Medicam bene exercendam pertinent, omissis maxima ex parte iis, quæ ad Physiologiam, vel Pathologiam, spectant. Verum tamen non difficile factu, autumo, e fragmentis, passim penes diversos auctores prostantibus, synopsin placitorum sectæ petere; atque id cumprimis, si quando ea in uno libello colligarentur.

LUC. Quid vetat? si modo tibi volupe fuerit, quin tu in præsentia nobis aliquod compendium des sectæ Methodicæ, ac insimul tradas theoremata, quæ ab assectis rata fuerunt habita.

VALL. Ideoque, ut dicto tuo sim audiens, proferam

* *Galenus* de sectis Cap. IV. §. 14.

[8] *Galenus*. d. libro. Cap. I.

[9] His adde Proclum, Rheginum, Antipatrum, Eudæmum, Philonem, Apollonidam, quos memorat *Galenus*. d. l. Cap. VII. & in Introd. Cap. III.

feram ea, quæ quondam memoriæ mandavi. Sed ad rem. Quandoquidem Methodici ſtatuebant animantium corpora ex corpuſculis inſecabilibus, ſeu minimis individuiſque, ac ſimilaribus orta, ea itaque nominabant ſyncrimata: [10] Dictorum autem corpuſculorum alia eſſe ſolida, alia vero fluida: atque ex horum conjunctione, vel coalitu oriri animantium corporum duplicis generis ſtatum, quem conſiſtere aut contractione aut diffuſione: quarum in moderato ſtatu, Julianus exiſtimavit, ſanitatem eſſe poſitam; contra ſi fuerit, morbum. [11] Methodicorum quidem alii aliter ſanitatem perinde & morbum finiverunt: [12] verum enim ego his, ne fando prolixus ſim, ſuperſedebo. Attamen moneam, neceſſe eſt, mihi videri vocabulum morbi ut & pathos, methodicis uſu veniſſe ut ſynonymum. Ex. cauſſa Olympicus, quum dixerit morbum eſſe mutationem a naturali in id, quod præter naturam ſit, ſtabilem: ſive Pathos eſſe converſionem corporis a naturali habitu in eum, qui præter naturam

[10] Idem. de ſimpl. med. fac. lib. v. Cap. xxiv. *Sextus Empiricus.* Pyrrhoniar. hypoth. lib. iii. videtur Methodicorum ſententiam reprehendere; ſcribit enim, verum quomodo fieri dicunt ſyncrimata ex primis elementis, ſi nec θιξις exiſtat nec ἀφη, id eſt tactus ſeu tactionis ſenſus, nec temperatio aut commiſtio ullo modo. Apparet ex hoc Methodicos temperationem elementorum, quam Hippocrates primus invenit, negaſſe: e diverſo Empedoclis, elementa fruſtulatim in corporibus compoſitis inter ſe compacta exiſtere, ſentientis, opinionem, fuiſſe amplexos.

[11] Galenus in libro, quem adverſus Julianum compoſuit. Cap. iv. hæc Juliani verba allegat. *Contractionis diffuſionisque moderatum ſtatum, commenſuratumque ſtatuentes in humanis coagmentis, ſanitatis illum nomine appellamus: iſti porro mediocritati, cum inſidiæ a morbis tenduntur, neceſſario fit, ut patiantur corpora contracta ac dura, ſicciorave aut diffuſa, molliaque facta, atque humida.*

[12] Ut, ſanitatem eſſe naturalium actionum firmitatem & robur; morbum vero nequaquam actionis læſionem & infirmitatem, ſed, alii corporis quendam affectum, alii corpus certo

ram eſt, permanentem: nonne idem pronunciaverit. Differentiam tamen poſuit eſſe paſſionem inter & ſymptoma. Scilicet ſymptoma eſſe, quod paſſioni accidat, quodque in iis, quæ præter naturam ſunt, ſpecialem ac magis etiam ſingularem habeat figurationem. [13] Cæterum Themiſon, Theſſalus, &c. methodici duos poſuerunt modo in victus ratione morbos, & eos quidem ſimplices, ac primos & veluti elementares eſſe; quorum alterum a ſtricto, alterum a laxo, oriri. Præter hos & tertium morborum genus ſtatuerunt, quod vocarunt mixtum, ex ambobus modo memoratis ſimplicibus compoſitum. [14] Et quia hæc in ſingulis affectibus occurrere, vel in pluribus eadem eſſe, obſervarunt, vocarunt idcirco ea morborum communia, vel communitates: [15] quas etiam evidentes nominarunt. Diviſerunt porro eaſdem ratione affectus & curationis bifariam: illius generis appellarunt paſſivas, ut ſtrictum atque laxum: hujus vero medicamentoſas, vel vi ſanandi prædditas, ut laxare & ſiſtere. [16] Præter hæc decreverunt, quod adſtrictio ſit denſitas, & neceſſariorum excrementorum ſuppreſſio: fluxus autem corporis immo-

certe modo affectum. Olympicus dixit ſanitatem eſſe affectum, qui abſentia ſit morbi: & morbum mutationem a naturali in id, quod præter naturam eſt, ſtabilem: alii ſanitatem eſſe dixerunt, conſtantiam ſecundum naturam ſe habentium actionum. Ita *Galenus* meth. med. lib. I. Cap. VII.

[13] Ibid. Cap. IX.

[14] Ibid. Cap. III. & lib. II. M. M. Cap 6. & de Sectis Cap. IV. §. 13. & *Celſus* in præf. Themiſonis ſectatores contendunt nullius cauſſæ notitiæ quicquam ad curationes pertinere, ſatiſque eſſe quædam communia morborum intueri: ſiquidem horum tria genera eſſe, unum ad ſtrictum, alterum fluens, tertium mixtum. Nam modo parum excernere ægros, modo nimium, modo alia parte parum, alia nimium.

[15] Comunitas enim eſt res in pluribus eadem. Galenus de opt. ſect. Cap. XVI. §. 23. item de ſectis. Cap. IV. §. 13.

[16] *Galenus* in Introductione. Cap. II.

dica rarefactio, & eorum, quæ manere debuerant, excretio. [17] Methodicis inſuper uſu veniebant communitates ad Chirurgiam ſpectantes: conſiſtere has, ſtatuebant, in ejus, quod alienum eſt, ablatione. Alienum autem aliquid bifariam eſſe, videlicet vel extrinſecus, vel intrinſecus: illud ſimplex eſſe, hujus vero tres dari ſpecies: ergo in univerſum quaternas, ad Chirurgiam pertinentes, communitates eſſe: & binas, ut paulo ante dixi, ad victus rationem ſpectantes. [18] Quibus poſitis ſuum cuique communitati tribuebant methodici uſum indicandi, quo pacto nempe medicina cuique affectui ſit facienda. Et primo aſſerebant ſtrictam affectionem laxandi neceſſitatem indicare: fluentem vero affectionem, ſupprimendi neceſſitatem: ſin vero mixtum fuerit vitium, occurrendum ſubinde vehementiori malo. [19] Hæc de communitatum, victus rationi propriarum, indicationibus: ſuperſunt Chirurgicæ dicendæ, quarum prima indicat, quod extrinſecus alienum eſt, ut telum, ut ſpina, &c. ut id perfectæ educatur. Secunda indicat, ut id, quod loco alienum eſt, ut ſuffuſio, luxatio, &c. tranſponendo in proprium locum reſtituatur. Tertia verſatur in iis, quæ magnitudine aliena: cujuſmodi ſunt abſceſſus, tumores, condylomata, &c. quorum alia diviſionem, alia ſuperflui abſciſſionem, indicant. Quarta tandem inhæret iis, quæ defectu aliena, cujuſmodi non ut ſupervacanea, verum quaſi deficerent, conſideranda: hujus generis eſſe, ajunt, mutila curtaque cuncta: nec non ulcera, fiſtulas, &c. quæ ſingula ex defectu repletionem ſui indicare. [20] Quantum vero

[17] Idem de optim. ſect. ad Thraſyb. Cap. XVIII. §. 27-28.

[18] Idem in Introduct. Cap. II.

[19] *Celſus* in Præfat. lib. I.

[20] *Galenus* in introd. Cap. II.

[21]

ro ad ſymptomata pertinet, arbitrabantur, non operæ pretium eſſe, ut in curationis conſiderationem veniant: ſublatis quippe affectibus, ajebant, tolli inſimul ſymptomata: poſitis vero illis, durare etiam hæc ipſa: ideoque hæc nihil indicare, quid in curatione ægri medico incumbat. [21] Verum tamen & Empirici & Methodici & Dogmatici differebant inter ſe indicationibus: illi negabant ab indicatione remedia inveniri poſſe: iſti putabant ab evidentibus, ſenſui utilia indicari: at hi ab occultis potiſſimum; cauſſas enim morborum in obſcuro præcipue eſſe poſitas. [22] Cæterum, quamvis Methodici ſolerent plerumque per dictas communitates quælibet morborum genera explicare, nihilominus tamen ſtatuebant quoque cauſſarum differentias, quarum aliquas affirmabant eſſe evidentes, quas, poſteaquam auctores adverſæ valetudinis fuerint, ſeparari vel evaneſcere. In harum numero collocabant frigus, æſtum, laborem, &c. Aliquas nominabant continentes, & has, poſtquam morbum excitarint, permanere. Scilicet his præſentibus effectum adeſſe: his increſcentibus affectum augeri: hic decreſcentibus, minui; & tandem his deſinentibus, affectum finiri. [23] Præterea cenſebant quatuor pleriſque morbis eſſe tempora, ut initium, incrementum, ſummum impetum, & decrementum: Morborum autem nec non auxilio-

rum

[21] Idem de optim. ſect. Cap. xv. §. 21. Affectus namque cauſſarum loco habebant, quoniam illa ſymptomata efficiunt, ſed non qua cauſſæ ſunt, ſed qua communitates, quas coenotetas vocabant, vim habent indicandi: nihilque vetare, idem & pro cauſſa, & pro communitate & pro alio quopiam accipi. ibid. Cap. xvi. §. 23. & Cap. xix. §. 32.

[22] Ibid. & Cap. vi. §. 8. ejuſd. libri.

[23] Dioſcorides lib. vi. Cap. xxxv. Quomodocunque hæc ſint a Dioſcoride prolata, videtur tamen mihi Methodicos non fuiſſe magnopere de his cauſſis evidentibus ſollicitos. Galenus enim de

rum tempora non re ipſa, ſed cogitatione differre tantum: morbi enim atque auxilii tempus ſimul incidere: neque vero auxilii tempus abſque morbi tempore deprehendi poſſe. Tempora autem indicare hoc argumento perſuaſum habebant, quia ſæpenumero obſervarunt non omni tempore vel cibum vel medicamentum dare, ex uſu ægris fuiſſe, qua de cauſſa dijudicarunt, hæc propter temporum diſcrimina accidere. [24]

LUC.

de ſectis. Cap. v. §. 15. eos ita inducit diſputantes contra rationales. *An omiſſis iis affectibus, inquiebant, qui in corpore ſunt, hæc ſc. frigus, æſtus, &c. illa ſunt, quibus vos mederi debetis, quorum ne ullum quidem eſt, quod adhuc ſit, ſed ipſa quidem recedunt: quod autem ab iiſdem genitum eſt, in corpore manet, eique mederi oportet. Id enim affectio eſt. Hoc ipſum igitur conſiderandum eſt, qualenam ſit. Si enim adſtrictum eſt, relaxandum: ſi fluens continendum, quæcunque ea cauſſa ſit a qua alterutrum eſt genitum.* Neutrum horum contrarium unquam ſtatuebant indicare. Habebant itidem ſupervacuam cauſſarum obſcurarum inveſtigationem, cum ab affectu propria indicetur curatio, ejus etiam cauſſa, a qua is ortus ſit, cognitione remota. Eandem præterea ſtatuebant conditionem eſſe temporum anni, ætatum, locorumque, & maximopere ſe admirari ajebant, cur a majoribus res adeo evidens non ſit intellecta. Namque inflammationem, v. g. quæ adſtricta affectio eſt, tam hyeme quam æſtate laxantia poſtulare præſidia. Eandem ajebant eſſe rationem & ætatis & locorum. Quippe memoratam affectionem oportet æque in pueris ac in ſenibus: æque in Ægypto ac Athenis, una eademque methodo tractare. Reliquorum eandem conditionem eſſe. Quæ cum ita ſint, apparere ex his, illorum indagationem ad nullam Medicinæ utilitatem redundare, ſed ea univerſim vana curioſitate tractari. Adhæc diſputabant, *quid partium corporis conſideratio? an non inanes hæ ſunt ad indicandam curationem. Quotuſquiſque eſt, qui dicere audeat, inflammationem in parte nervoſa eſſe relaxandam? eandem vero in arterioſa venoſave aut carnoſa comprimendam?* Similiter, ac de adſtricto dicebant, habere ſe laxum. Quæ cum ita ſe habeant, quod partis natura nihil rationem curandi variet, ſed pro genere affectus remedii inventio ſit; confici hac ratione, putabant, partis alicujus conſiderationem eſſe inutilem.

[24] *Galenus* de optima ſecta. Cap. XX. XXI. §. 36. XXIII. §. 39.

[25]

Luc. Erant tamen quædam decreta, in quibus omnes cujuſcunque ſectæ inter ſe conſentiebant; & erant quædam, velut tu etiam jamjam memoraſti, de quibus alius ab alio opinionum diſſenſione diſcrepabat.

Vall. Imo omnium cujuſque Medicinæ ſectæ profeſſorum in hoc conſenſio erat, quod evidentia autumarent utilia: utiles itidem Medico analogiſmum, obſervationem, hiſtoriam, atque ad ſimile tranſitum; cujuſmodi quatuor erant fulcra doctrinæ Empiricæ præcipua, quibus univerſam artem ſuperſtruendam putarunt. Porro conveniebat inter cujus ſectæ ſectatores, hiſtoriam ſine judicio non admittendam; alia ex aliis deprehendi; iiſdem malis præſentibus eadem eſſe facienda; additione & ſubtractione ſervari ſanitatem, morbum autem fugari: pro valetudine tuenda, proque morbo ſanando, opus eſſe fugere noxia; uſu denique atque experientia omnia, ſive pernicioſa hominibus fuerint, ſive ſalubria, fuiſſe inventa. Hæc generalis ſectarum conſenſio: ſingularis autem & Empirici & Dogmatici in hoc erat, quod uterque ſtatueret a nulla re, in ſenſus incurrente, provenire indicationem: attamen ambo nolebant idcirco obſervationem rerum utibilium, in ſenſus clare incurrentium, ſuſque deque habendam. Singularis etiam conſenſus erat Empiricos inter & Methodicos: adſtruebant enim utrimque, occultum ex evidentibus cognoſci non poſſe: igitur ergo conducibilium indicationem inde haudquaquam oriri. Singularem porro doctrinæ conſenſum habebant & dogmatici & Methodici: ſtatuebant etenim ex ſenſu cognitis & ex indicatione, quid utile ſit, percipi poſſe. Et, ut breviter unius cujuſque ſectæ characterem proloquar, ſciatis, velim, Empiricis hoc peculiare fuiſſe, quod arbitrarentur, cuncta in Medicina utilia in ob-

ſervando deprehendi: Methodici ex adverſo cenſebant indicationi illa peculiariter tribui debere: Dogmatici vero ſtatuebant aliqua obſervationis, aliqua indicationis adminiculo, inventa: indicationem autem e cauſſis potiſſimum abditis erui poſſe. [25] Tandem conveniebat Methodicis cum ſcepticis de quibuſdam placitis: illi enim de incertis non temere judicabant, multo minus arrogabant ſibi, ut comprehenſibilia, ſive ſint, ſive non ſint, pronunciarent; ſed apparentia

[25] Ibid. Cap. VI. & VII. & in Introduct. Cap. II. Hujuſmodi Methodicæ ſectæ characteres habentur. *Methodicam ſectam primum notat ſimilis in evidentibus conſideratio, ſed non in latentibus ſeu obſcuris, quemadmodum in rationali Secta. Hoc unum intercedit diſcriminis, quod in illa quoque ſimilium inſpectio, ſed in obſcuris conſiſtit: ſecundum, quod ex ſimili in evidentibus, affectus, auxilia, tempora, particularia omnia ad generalia reducit: attamen non evidentia tantum Empiricorum more animadvertunt, ſed particularibus, nullo generali cognito, inſiſtunt. Tertium eſt ex communitatum indicatione curationem accipere, nec cauſſas, ut rationalibus in uſu eſt, exponere, neque facta in concurſibus obſervatione eorum, quæ per experientiam conveniunt, ut Empirici faciunt, contentos eſſe.* Præter hæc Methodici inficiabantur, humorum ſeu plenitudinem, ſeu corruptionem morborum quorumlibet cauſſam eſſe. Hoc pacto Julianus Dogmaticorum ſententiam conatur confutare. Qui vacuationibus juvari ægros ajunt, neceſſe eſt, hos exiſtimare continentem morborum cauſſam eſſe plenitudinem. §. 9. &c. Is quidem perhibet hanc rationalium ſententiam eſſe, Galenus tamen eam haud parum limitat, §. 12. aliam propoſitionem, Dogmaticos confutandi cauſſa, ſubjungit. Si humores, quomodo cunque fuerint, ſunt in cauſſa, ut morbi in corpore exoriantur, neceſſe eſt, ut facta illorum evacuatione, morbi protinus tollantur: atqui complures ſunt morbi, in quibus fruſtra talis evacuatio inſtituitur. Igitur conficitur ex hoc, ut Julianus concludit, humores quoquo pacto conſtitutos nullius morbi cauſſam eſſe. Namque morbum, qui a multitudine ſanguinis oritur, debere extemplo profligari, ratiocinatur, quamprimum ſanguinis miſſio fuerit inſtituta; eum, qui e bile, vel pituita originem duxerit, debere quoque illico extirpari, peracta cum Cholagogo vel phlegmagogo purgatione. Sin vero aliquis prætendere velit morbos etiam oriri ab humorum in præpoſteram qualitatem transmutatione, tunc cauſſatur hujuſmodi

rentia ſequentes, ex iis, quod utile modo fuerit viſum, accipiebant. Pari modo procedebat ſcepticus. Iterum ſcepticus autumabat ex coactu paſſionum ſe a ſiti ad potum, a fame ad cibum, &c. deduci. Similiter methodicus opinabatur ſe a paſſionibus ad conſentanea dirigi: ſcilicet a conſpiſſatione & condenſatione ad laxationem; & e diverſo a laxatione & effluvio ad ejus compreſſionem. Omnia enim, quæ a Methodicis dicuntur, referri queunt, ut auctor eſt Sextus Empiricus, [26] ad coactum & vim, quam nobis paſſiones afferunt; & ad ea, quæ ſecundum naturam, & ad ea, quæ præter naturam, ſunt. Conſentiebant ultimo inter ſe Scepticus & Methodicus, quod uterque omnem a ſe removeret opinationem: ut & verbis uteretur indifferenter. Quemadmodum enim ſcepticis uſu veniebat hæc formula loquendi. Nihil definio, nihil comprehendo; ſimili modo Methodicis κοινοτητα & δίηκειν & ἔνδειξις, & ſimil. indifferenter uſu veniebant.

Luc. Reliquerunt ne veteres exempla, ex quibus documenta capere licet, quinam affectus ab alterutra orti communitate?

Vall. Enimvero adſunt paſſim. Habemus enim documenta variorum auctorum, ut Cælii Aureliani, Methodicæ ſectæ profeſſoris, ſtatuentis Lethargiæ, [27] peripneumoniæ, [28] ſynanchis, [29] ſpaſmi,

modi tranſmutationem nec intelligi poſſe, nec veritati ſimilem eſſe. Idem *Julianus*. §. 7. flocci pendit vocabulum Naturæ. Ita ſcribit, *Non Hercule nobis, hi Dogmatici videlicet, perſuaſerint, neque vero ſibi ipſis, modo verum fateantur, non ignorare ſe quid natura ſit, quam in omnem partem vexant, magnifica ubicunque verba ſonantes, an ea ſit, aut ſimplex calidum, aut temperatum mixtumve, aut frigidi ſpirituſque ſubſtantia.*

[26] Pyrrhon. Quæſt. lib. 1. Cap. XXXIV.

[27] *Aurelianus*. Acut paſſ. lib. II. Cap. IX. *Lethargica paſſio nullo alio magis, quam ſtrictura cognoſcitur. Lux enim ſolis*

mi, [30] hydrophobiæ, [31] Epilepſiæ, [32] inſaniæque [33] cauſſas eſſe ſtricturam. Phreniſim aliam ex ſolutione: aliam ex complexione ſtricturæ atque ſolutionis, eſſe. [34] Melancholiam eſſe communiter ſtricturæ paſſionem magnam: aliquando etiam complexam, ob plurimas egeſtiones. [35] Ejuſdem naturæ exiſtimat eſſe catarrhum vel Rheumatiſmum. Namque inſtar pronuntiati (ſic mihi, Ciceronis in veſtigio inſiſtenti, liceat appellare axioma)

lis atque tepor relaxat: e contrario ſomnum adſtringit. Attamen Themiſon jubebat lethargicos obſcuro in loco haberi. Etenim, inquiebat, lux apta non eſt, ſiquidem movet ac turbat corpora, & non ſufficiunt ſpiramenta turbationi commotæ congruam exhalationem præbere.

[28] Idem lib. II. Cap XXVII. Peripneumoniam dicit eſſe paſſionem generaliter acutam atque ſtrictura excitatam, adjuncto levi humorum fluore, quem Rheumatiſmum vocant.

[29] Idem lib. III. Cap. I. Quamvis dixerit ex opinione Themiſonis, ſynanchis antecedentes cauſſas aliquas eſſe occultas, aliquas manifeſtas atque cæteris quoque communes paſſionibus: tamen Cap. II. hanc ita definit. *Eſt autem paſſio ſtrictura acuta, atque celeris & vehemens & ſæpiſſime continua, aliquando intercapedinata.*

[30] Idem. lib. III. Cap. VI. *Eſt autem juxta definitionis formam conductio, quam ſpaſmon græci appellant, involuntaria tenſio, & conductio partium cum vehementia & acuto dolore, ob ſtrictura nimietatem.*

[31] Idem lib. III. Cap. XI. Hydrophobiam, ait, communiter eſſe paſſionem ſtricturæ atque vehementem & acutam vel celerem.

[32] *Idem* tardar. paſſ. lib. I. Cap. IV. *Epilepſia eſt paſſio ſtrictura atque vehemens, & cum maxima moleſtia frequenter revertens, tarda ſuperpoſitionibus atque lenimentis variata.*

[33] Ibid. Cap. V. Inſania eſt paſſio magna atque tardiſſima, ſuperpoſitionibus, ac lenimentis variata. Eſt poſt paulo ſubjungit. Nam quod omnis furens ſtrictura afficiatur manifeſtum atque probabile eſt, ex oculis ſanguinolentis, qui capite inlato conſtitutam ſtricturam denunciant: item quod ipſos oculos, atque venas in vultu extantiores æger habeat, totius corporis atteſtante duritie, cum fortitudine propter naturam adveniente, ob ſtricturæ conſenſum.

[34] Idem Celer. paſſ. lib. I. Cap. VIII.

[35] Idem tard. paſſ. lib. I. Cap. VI.

[36]

ma) Methodicis erat, conſtrictionem atque dolorem ſtricturæ eſſe accidentia: multorum vero liquidorum egeſtionem, ſolutionis eſſe ſignum. [36] Inflammationes ſubinde ab aſtrictione ortas: interdum vitium mixtum eſſe. Ponebant enim, Galeno narratore, [37] foraminorum alia rara eſſe facta, & alia clauſa, quas ob res aliquem utroque vitio affici. Quid? quod aliqui aſſerere minime dubitabant, in uno eodemque foramine & profluvium & aſtrictionem ſimul conſiſtere. Qui de mulierum morbis ſcripſerunt, [38] ſtatuebant quoque alios ſtrictura, alios fluxura fieri: illius generis eſſe menſtrua retenta, matricis fervorem, tenſionem, inflammationem, tumorem, duritiem & ſuffocationem; hujus autem menſium lochiorumque fluxum nimium, gonorrhœam, &c. Hæc & ſimilia morborum genera, modo acuta eſſe, modo longa: & modo increſcere, modo conſiſtere, modo minui. Cognito igitur eo, quod ex his eſt, morbo, putabant, medicinam ſe nullo negotio facturos. Namque, Celſo [39] ſcribente, hæc pronuntiata habebant. Si corpus adſtrictum eſt, digerendum eſſe: ſi profluvio laborat, continendum: ſi mixtum vitium habet, occurrendum ſubinde vehementiori malo. Præter hæc aliter acu-

[36] De hoc affectu non conſentiebant inter ſe Methodici. Etenim veterum Methodicorum alii ſtricturam hanc paſſionem vocarunt, velut expreſſis humoribus atque coactis, in alia venientibus loca eam fieri aſſerentes: alii ſolutionem, ut Theſſalus manifeſtat atque ejus deceſſores, ut Themiſon. Mnaſeas vero & Soranus, cujus ſententiam Aurelianus amplectitur, complexam inquiunt eſſe paſſionem, nunc ſtrictura ſuperante, nunc ſolutione. *Idem* tard. paſſ. lib. II. Cap. VII.

[37] De Sectis. Cap. IIX. §. 19.

[38] Ut *Moſchion* Cap. CXXIV. CXXV. & CXXIX. Ut Cleopatra prior, & *Priſcianus* Gynæcior. Cap. II.

[39] In Præf. lib. I.

tis morbis medendum, aliter vetuſtis, aliter increſcentibus, aliter ſubſiſtentibus, aliter jam ad ſanitatem inclinantibus.

LUC. Mihi, communitates Methodicorum mecum reputanti, videtur debuiſſe eos de curatione earum ſigillatim potius, quam univerſe, ut fecerunt, concludere. Concedo equidem aliquando conducibile, ut fluxus coërceatur, & adſtrictum laxetur; ſed non ſemper hoc pacto procedendum, arbitror. Exempli cauſſa. Si quis Gonorrhoea virulenta laboranti, velit medicamentis, fluxum cohibentibus, ab initio mederi, neglecta prius vitiati humoris correctione; nonne is, judicate, præcipitanter ægro facturus ſit perniciem mortiferam? Itidem, ſi cuipiam in variolis ægrotantibus alvum obſtructam laxandi animus eſſet, nonne & idem perpetraret auſum, morte ſine dubio ægri luendum? [40]

VALL. Et tuum & meum judicium utique concordant. Excuſatione autem Methodicus adverſus ejuſmodi objectiones uti poteſt, videlicet tunc temporis, quum a conditoribus ſectæ dicta pronunciata pro-

[40] Convenit nobis cum Celſo de doctrina Methodicorum. Is in Præfat. *Ac ne iſti quidem, ſc. Methodici, intra ſuam profeſſionem conſiſtere ullo modo poſſunt. Siquidem & compreſſorum & fluentium morborum genera diverſa ſunt, faciliuſque id in iis, quæ fluunt, inſpici poteſt. Aliud enim eſt ſanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere: aliud dejectionibus, aliud torminibus laborare: aliud ſudore digeri, aliud tabe conſumi. Atque in partes quoque humor erumpit, ut in oculos aureſque, quo periculo nullum humanum membrum vacat. Nihil autem horum ſic, ut aliud curatur: ita protinus in his a communis fluentis morbi contemplatione, ad propriam Medicina deſcendit. Atque in hac quoque rurſus alia proprietatis notitia ſæpe neceſſaria eſt, quia non eadem omnibus etiam in ſimilibus caſibus opitulantur: ſiquidem certæ quædam res ſunt, quæ in pluribus ventrem aut adſtringunt, aut reſolvunt; inveniuntur tamen in quibus aliter, atque in cæteris, idem eveniat. In his ergo communium inſpectio contraria eſt, propriorum tantum ſalutaris.*

[41]

proferrentur, tales morbos medicis incognitos fuiſſe. Quid? quod redigi queunt ad tertiam morborum claſſem; ad morbos compoſitos nempe, in quibus utrumque & ſtrictum & laxum ponebant inſimul morbum efficere. Sequebantur itaque heic memoratum paulo ante decretum: vehementiori utpote malo occurrendum eſſe. Præterea, ſi quando morbus ſanari contumax extiterit, auxilio metaſyncriticam curationem invocabant. Metaſyncriſeos autem vocabulum, quod Cæl. Aurelianus [41] Latine tranſtulit recorporationem, idem ſignificare, Galenus [42] ſtatuit, ut nomen μεταποροποιήσεως, i. e. exiguorum meatuum ſtatus mutationem. Inter Metaſyncritica, hoc eſt, quæ immutant pororum alienam a natura confuſionem, numerabant napum, ſinapi, thapſiam, pyrethrum, &c. acria, quorum eſum voce drimyphigiæ indicabant. [43] Et, quemadmodum Methodici, de natura morborum diſſerturi, mire vocabula abſtruſa, ut dyſpathias, atonias, firmitudines, [44] φθοροποιὸς, &c. [45] affectabant: ita etiam

[41] Tardar. paſſ. lib. II. Cap. III.

[42] De Meth. med. libr. IV. Cap. IV. & de ſimpl. med. facult. lib. V. Cap. XXIV. deſcribitur facultas metaſyncritica, quod ea valeat vitiatum meatuum ſtatum tranſmutare. Eadem *Ætius* tetr. I. ſerm. III. Cap. CLXXXV. & *Oribaſius*. Synopſ. lib. I. Cap. XXXIV.

[43] Ita *Scapula* & *Bruno* in Lexicis. *Cæl. Aurelianus* vero vocem tard. paſſ. libr. I. Cap. I. Salſamentum latine reddit: & Cap. V. habet drimyphagiam eſſe acriorem cibum ex aqua & cap-paribus confectum & aceto & ſale & cepe.

[44] *Galenus* Meth. med. lib. IV. Cap. IV.

[45] *Dioſcorides* lib. VI. Cap. XXXV. ubi is Methodicos, vim lethiferam rerum quarundam negantes, his verbis perſtringit. *Sed Methodicos demirari licet, qui mortiferam vim, corporibus illapſam, negotiorum, quæ ipſa faceſſit, eſſe cauſſam diffiteantur, verum rudiuſcule nomini attendunt. Nam apud ipſos palam immiſſa vis φθοροποὸς id eſt mortifera, nominatur: φθοροποὸς autem nullius officii alius eſſe poteſt,*

etiam affectabant diligentiam in ſupervacuis vocabulis, quibus curationem morborum ſignificare omnibus nervis contendebant. Huc pertinent Encolpiſmus, [46] Enchymatiſmus, [47] Encathiſma, [48] Epipaſma, ſalſa dropax, peſſaria, &, neſcio, quæ amplius, metaſyncriticorum remediorum in numero collocata. [49] Statuebant inſuper ſtalticas, hoc eſt ſiſtentes ſeu ſupprimentes, & conſtringentes, & contrahentes, & repellentes, & alias hujus generis, facultates. [50] Hinc apud Moſchum fit mentio ſtalticarum cucurbitarum. [51] Localia adjutoria appellabant, quæ extrinſecus parti affectæ applicatur, ut cucurbitæ cum multa flamma applicatio,

teſt, quam cauſſa. Ajunt hæc nomina, μάρσιππος, & ἀναχαλύπτειν, eſſe reliquis omnibus ſimilia, in quibus partes quædam dictionum non pro virtute, ſed nuda enunciatione comprehenduntur. Enimvero quemadmodum in his vocibus μάρσιππον & ἀναχαλύπτειν, partes neque certos, neque principis retinent ſignificatus: ſic in hoc verbo φθοροποιειν, partis productionis gratia, non pro virtute coaluerunt. Etenim vocabula ejuſmodi in ſe non habere, partes rerum ſignificatrices, ſed nuda & ſimplici pronunciatione eſſe ficta.

[46] Quandoquidem Cleopatra 1 jubet Encolpiſmum confici e ſeminibus, lini, fœnugr. & ſimilibus emollientibus, videtur mihi tale remedium fortaſſis de eodem genere eſſe, quod hoc tempore a Medicis aut cataplaſma aut fomentum appellatur. Theod. Priſcianus habet Cap. 11. Encolpiſmum fieri ex ſucco aut ptiſanæ, aut fœnugræci aut oleis.

[47] Fiebat etiam ex oleo *Moſchion*. Cap. 129.

[48] Erat medicamentum malagmati ſimile e plantis odoriferis coctione paratum Moſchion Cap. 131. Cap. 136. habet Encathiſma ex adſtringentibus aqua coctis.

[49] *Moſchion*, quem Trallianus. lib. 1. Cap. xv. nomine Theodori cognominat. Cap. cxxv1. ita ſcribit. *Poſtea vero & metaſyncritica ſubjungimus, quæ conſtant ex ſalſa dropace, & metaſyncriticis cucurbitis, parapteſi, fricatione partium, epipaſmatis acerrimis, encathiſmate, & ſinapiſmo.*

[50] *Galenus* harum mentionem facit libr. v. Cap. xx1v. de med. ſimpl. facult. quas tamen idem haud improbat.

[51] Cap. cxxxv1. Quin etiam memorat cibos ſtalticos, ſub quo genere ei ſunt Oriza, lenti-

tio, Dropax, &c. [52] Verumtamen, antequam hæc metaſyncritica curatio, quæ plerumque diuturnorum in morborum medicatione ſolebat uſu venire, inſtitueretur, præcedebat ordinario circulus reſumptivus, quo ægros, morbo, & dolore debilitatos, reficere conabantur. Interdum etiam eundem, finito circulo metaſyncritico, de novo occipiebant. [53] Cæterum decernebant, initio morborum ſemper utendum eſſe adſtringentibus, non ut cauſſæ repri-

lenticula, polenta in aceto decocta, & oleo Hiſpano condita.

[52] *Cælius Aurelianus* tard. paſſ. lib. 1. Cap. 1. N. Dictis adde raſionem capitis, curcubitas recorporativas, ſternutamentum, dropacem communem & compoſitum. *Moſchion*. Cap. 136, cucurbitas, quæ cum abundante igne partibus externis apponuntur, vocat ſtalticas.

[53] Ut *Circulus reſumptivus*, quem Moſchion *analepticum* vocat, quemque Methodici in curatione chronicarum paſſionum crebro uſurpabant, penitus noſcatur, deſcribenda ea duxi, quæ habet Cæl. *Aurelianus* tard. paſſ. l. 1. Cap. 1. ubi de Cephalæa agit. Ita Scribit. „Eſt autem *reſumptivi cycli* or„dinatio formanda hoc modo. „Prima die parvo cibo atque „aqua nutritus ægrotans, vel ſi „ferre valuerit, ab omni nutri„mento abſtentus: alia die levi „motu erit exercendus atque oleo „perungendus; tunc & cibo nu„triendus, i. e. ut tertiam panis „accipiat partem ſolitæ quantita„tis, quam facile percipere at„que digerere ſolebat, ſed pa„nem dabimus limpidum, fer„mentatum: pulmentum autem „ova vel holerum betas, aut „cucurbitas vel malvas, aut la„pathos aut bulbos, &c. in hac „perſeverantes qualitate atque „quantitate duobus vel tribus die„bus juxta virium poſſibilitatem, „quo neque parva dando debili„tentur, neque actionibus tur„bati opprimantur. Tum de„tracti panis partem tertiam ad„jicientes pulmentum damus, „turdorum, ficedularum, aut ex „pullis columbarum vel gallina„rum. Tum rurſus poſt tres vel „quatuor dies aliam tertiam par„tem panis adjiciemus & agre„ſtia dabimus pulmenta, ut le„poris, aut capreæ, atque ita „æquali numero dierum peracto, „ultimam partem panis adde„mus. Pulmentum dabimus „porcinum, tenerum ex aqua, „vel non curioſe conditum ex „anetho, & ſale. Præterea ſi„mili modo erit etiam vini fa„cienda partitio, atque per ſin„gulas pulmentorum mutationes „adjectio: ac ſi plus ægrotans „bibere, quam damus, volue„rit, aquam ſumat. Simili etiam

„modo

primantur, ſed ut corpora firmiora, minuſque paſſionibus obnoxia, reddantur. Compreſſionem namque corporum atque conſtrictionem, ajebant, corpora efficere ſolidiora, prohibereque ne eadem morbo tentarentur. Neque enim imminutione tantum morborum incremento reſiſti; ſed etiam ſe præſtare hoc poſſe, corporibus firmitatem ſoliditatemque con-

„modo geſtatio atque exerci-
„tium, ſive motus erit augendus
„aut minuendus, ad compara-
„tionem quantitatis ciborum.
Perfecto *reſumptivo cyclo* erit
„*meta ſyncriticus*, cujuſmodi cu-
rationem recorporativam lati-
ne vertit. lib. II. Cap. III.
„adhibendus, primo ex parte,
„de hinc perfectus: quandoqui-
„dem paſſio facile revertitur.
„Prima igitur die erit cibo abſti-
„nendus ægrotans: tum alia die
„parva adhibita geſtatione atque
„unctione corporis, vel ſi paſſio
„permiſerit, lavacro, rurſum
„panis dabimus tertiam partem
„ſolitæ quantitatis, quam ante
„initium curæ facile accipere at-
„que digerere ſolebat. Pulmen-
„tum dabimus ſalſum, aſſum,
„vel toſtum: dabimus etiam cap
„pares ſinapi madidatas, atque
„oliva ex viridi olivitate meſſas,
„quas colymbades vocant, præ-
„caventes ea, quæ facile caput
„implent atque gravant, ut eſt
„porrum, allium, cepe. Potum
„dabimus vinum, & ſi perferre
„voluerit æger, in iiſdem duo-
„bus vel tribus perſeverabimus
„diebus: ſin minus, ſecunda
„die ſalſamentis admiſcemus ce-
„rebrum vel piſcem. Tunc ſe-
„quenti die panis detracti par-
„tem tertiam addimus: pulmen-
„tum damus, holus, cerebrum,
„piſcem tenerum, hoc tribus
„vel quatuor ſervantes diebus.
„Tum rurſum aliam tertiam
„partem panis addentes tranſi-
„mus ex mediæ quantitatis mate-
„ria ad volentem qualitatem,
„atque in eadem ſimili dierum
„numero perſeverantes, ultimam
„partem panis addemus, pul-
„mentum dabimus porcinæ car-
„nis. Sed ſi multas mutationes
„facere voluerimus in quatuor
„partes, medietatem panis di-
„vidimus, ut ſingulas ſingulos
„murationum pulmentis adjicia-
„mus: hoc eſt, unam mediæ
„qualitatis materiæ applicantes,
„aliam volantum, aliam agre-
„ſtium, aliam porcinæ carnis.
„Sed ne quid odioſum e quanti-
„titate multorum dierum fiat
„ægrotanti, hoc eſt, pulmen-
„torum ſimilis oblatio, erit in
„communi qualitate ſpecierum
„diverſitas varianda, ut quibus
„diebus ſalſamentum damus,
„græci drimyphigiam appellant,
„ejuſdem ſpeciem variemus:
„nunc ex c. dantes piſcem, nunc
„ſcarum, nunc cordulam, atque
„ita in uſu mediæ materiæ, quam
„meſenhylen appellant, nunc
„turdos, nunc ficedulas, quas
„milia-

conciliando. [54] Et hæc erat ratio, quapropter haud crebro purgantia præſcriberent, quæ quamquam ſubinde ex uſu ægri judicaſſent, tamen negabant iis peculiarem eſſe virtutem privum corporis humorem abundantem educendi; compertum enim ſe habere, ajebant, humorem, qualis qualis potentia medicamenti excerneretur, non ita in corpore extitiſſe, verum a medicamento ita immutatum corruptumve fuiſſe. [55] Quid?

„ miliacas vocant, nunc columbarum pullos, ac gallinarum. „ Hoc denique etiam in aliis qualitatibus pulmentorum, ſive materiarum erit ſervandum. ut ejuſdem virtutis pulmenta ſpecierum mutatione varientur. „ Erit præterea pomorum quiddam adjungendum, quod inflare non valeat. Sed tempore, quo porcino utemur, erunt etiam olera offerenda, ſolumque id ſervandum, ne modum quantitatis excedamus, ſive qualitatem rerum datarum. „ Augetur enim oblatio non ſolum ſi plurima fuerint diverſarum ſpecierum, ſed etiam ſi plus nutrire valuerint. In omni igitur mutatione, hoc eſt tranſitu ex qualitate ad qualitatem, prima die oportet curandum aquam bibere, adhibita perunctione: in aliis vero diebus etiam vinum accipere, & lavacro corpus recurare; ſed non omnibus neceſſario diebus: ſiquidem facile caput jugi lavatione ad paſſionis veſtigia revocatur. Similiter autem oportet etiam motus corporis augeri, atque minui. Tunc iſto cyclo perfecto erit alius adhibendus, ſolo ex vomitu, detracta drimyphagia, in quo oportet prima die in parvo cibo & aquæ potu ægrotantem ſervare: Tum alia die levi deambulatione motum vomitum exagitari ex radicibus raphani vel ſimilibus ſpeciebus. Poſtquam ægrotans ſatis vomerit, & lavacro & pulmento mediæ qualitatis uſus fuerit, tum poſt duos vel tres dies cæteras cycli partes adhibemus. Et ſi æger ingraveſcentem vomitum & drimyphagiam perferre potuerit, audemus tunc integrum atque perfectum cyclum metaſyncriticum adhibere, ut initium a vomitu ſumentes drimyphagiam jungamus, ac deinde per cæteras cycli materias decurramus. Hiſce ſubnectit varia extrinſecus capiti applicanda, quæ localia adjutoria appellat, vide paulo ante no. 52.

[54] *Galenus* de optim. ſect. Cap. XXVII. §. 49.

[55] *Galenus* contra Julianum Cap. XIII. exhibet argumentum quo Theſſalus adverſus dogmaticos uſus eſt: „ Athletam, *ſcripſit*, quem volent capiamus „ bona præditum habitudine, naturaliterque ſe habentem. „ Huic bona cum inſit in corpo-

„ re

Quid? principes diſciplinæ inter ſe quandoque diſſidebant. Ita Themiſonem, lethargicis potionem ex aloe dare, jubentem vituperat Soranus; eamque noxiam eſſe ſtatuit. [56] Ita eidem Themiſoni, ablutionem frigidæ in lethargo, vitio vertit Aurelianus; quoniam ea non patentiores faciat, ut ille credebat, ſed denſet, vias. [57] De cætero, quantum ad ſanguinis miſſionem pertinet, non adeo ſcrupuloſi Methodici erant, velut Aſclepiadis æmuli, qui volebant climatum diverſitatis rationem eſſe habendam; ſed ſtatuebant contra, pleuriticorum, v. gr. venam, ſtrictura cogente, ſemper incidendam. [58] Solenne adhæc habebant

„re materia firmaque, medica-
„mentum exhibemus, quæque
„excernuntur ſumme corrupta
„oſtendimus. Unde colligimus
„nemine qui iis contradicere
„queat reperto, cum quæ nunc
„excernuntur acerrima ſimul ac
„corrupta, antequam medica-
„mentum exhiberetur, talia athle-
„tæ non adeſſent, bona enim
„is habitudine erat, nihil aliud
„nobis reſtare dicendum, quam
„utraque hæc a medicamento
„fieri: primum quidem mate
„riam ab eo in corruptelam ver
„ti, deinde etiam excerni, ſive
„per vomitum id ſive per alvum
„fiat.

[56] Cæl. *Aurelianus* celer. paſſ. lib. II. Cap. XXI. Quare autem Soranus ejuſmodi potionem noxiam habuerit, hanc affert Aurelianus rationem. „Forſitan
„inquit ob nimiam ſtricturam
„retinetur, & non ſolum nihil
„egerit, verum etiam ipſa re-
„manet. Credibile autem ad
„ejus medicamenti ſtomacho
„effectum ſenſum, accurrere
„materiam, ac deinde ad mem-
„branas & caput recurrere, quod
„per vias ſtomacho vicinum
„eſt, & ad rapienda, quæ ſunt
„ſumma facultate, aptiſſimum
„ob tumoris fervorem.

[57] *Ibid.* „Quid igitur pro-
„deſt frigidæ ablutio, quæ ſta-
„tionem atque torporem viarum
„excludere putatur, ſi neceſſa-
„rio denſitas magis acquiſita
„ægrotantem opprimere perſpi-
„citur. Ita corpuſcula, quorum
„ſtatione viarum obtruſionem
„factam exiſtimat, Themiſon
„ſc. facile utique tranſire vel re-
„ſilire poſſunt, ſi capacitas exi-
„tum dederit, in quam veniſſe,
„vel ex qua exiſſe videntur. Huic
„autem rei perficiendæ frigida
„repugnat: denſat enim atque
„conducit vias.

[58] Idem d. lib. Cap. XXII. Soranus hoc pacto argumentatur. „*Quærendum inquit, utrum Aſclepiades proprietate regionis noceri ſuſpicatur eos, qui fuerint*

in

bant ægrotantibus aliquibus tridui inediam, quam diatriton vocabant, inventum hoc erat Theſſali, injungere: quarto autem & ſequentibus diebus, modice alimenta miniſtrabant. [59] Generatim enim omnium paſſionum ſtrictura laborantes minus cibabant. Convenire quippe, ajebant, cibi parvitatem, parvitatem denſitati: ſiquidem corpora minus exhalare. E contrario ſolutioni uberiorem cibum largiuſve alimentum competere: quia id propter crebras excretiones, vel plurimas exhalationes, celerius inſumi. [60]

Luc. Subit cogitatio animum, qui fieri potuit, ut ſecta Methodicorum per pauca modo ſecula durarit, cum tamen adeo occupata fuerit in explicandis morborum cauſſis, juxta & in methodo medendi ſecundum rationem inſtituenda. Neque vero cauſari aliquis poteſt, Methodicos fuiſſe genus hominum rude, quia generalia tantum dediderunt docueruntque artis præcepta, brevitate temporis a tironibus addiſcenda. Namque, vos mihi aſſenſuros, perſuaſum habeo, non optima eſſe, quæ fuſe ac prolixe: ſed quæ breviter & perſpicue, docentur. Proinde concludendum ex dictis eſt, interitionem ſectæ adeo inclytæ, non ignorantiæ, non dogmatibus irrationalibus, quæ plena

 futi-

in ea phlebotomati pleuritici, an vero proprietate paſſionis: ex quibus ſi primum putat, hoc eſt regionum proprietate, vexari omnes oportuit, non ſolum pleuriticos, verum etiam ſynanchicos, & qui fuerint plebotomati in curatione, & epilepticos etiam, quos phlebotomandos imperat aptiſſime. At ſi ſecundum, i. e. proprietate paſſionis vexari putat, non apud Romam ſolum phlebotomatos pleuriticos, ſed in omni regione noceri debuit indicare.

[59] *Galenus* Meth med. lib. IV. Cap. IV. Celſus tamen. libr. III. Cap. IV. auctor eſt non Theſſalum ſe juniorem, quem fortaſſis non noverat, ſed Aſclepiadem, ubi ægrum triduo per omnia fatigaſſet, quarto die cibo deſtinaſſe primum; cum plerique ex antiquis tardius darent ſæpe quinto, ſæpe ſexto.

[60] Ita Cæl. *Aurelianus.* Celer. paſſ. lib. I. Cap. XI. vide etiam *Galenum* de optima ſecta. Cap. XXIV. §. 43. & 44.

futilitatis modo eſſent; ſed viciſſitudini temporum, adſcribendam eſſe duntaxat. Animus mihi præſagit, fore, ut etiam recentiſſimorum medicorum placita tandem aliquando inveteraſcant. Quid? inveteraſcent? Imo, quando penſito quot & quantas interpolationes, mutationeſque placitorum, memoria mea in Medicina factas, rapior Hercules admiratione, quod arte Apollinea vix ulla ars ſit inconſtantior, atque mutabilitati magis obnoxia: atque adeo pene ulla ab artis profeſſoribus ſit hypotheſis invenienda, quam perpetuare poſſent.

DIALOGUS. IX.

De Doctrina Hippocratis.

Vadenti mihi deliciarum mearum, VALLANI, ad ædes, peropportune obvios ſe dediderunt BURMANNUS atque RELANDUS. Fortaſſis, inquam, eo vos, quo ego, tenditis, ad domum ſcilicet hic nobis vicinam.

Belle conjectum, inquit RELANDUS. Nudius tertius enim collegæ noſtro, nos invitanti, polliciti ſumus, fore, ut eum hodie inviſamus. Eamus itaque intro, en fores opportune apertæ.

Introeuntibus nobis occurrebat VALLANUS. Salvebitis a me, inquit, in tempore veniſtis, jam vacat mihi eſſe confabulatori, triclinium hoc intrate, aſſidete apud carbones, incipit frigeſcere. Annuebamus, focoque aſſidebamus. Primum inter nos fari *Burmannus* occipiebat.

Mihi depræſentiarum, inquit, Petronii ſatyricon edenti, in mentem venit ridiculi Trimalchionis, Medicum inter & Numularium, ſupinioris inſulſæque comparationis: memoratorum utpote artificium ſecundum literas eſſe difficillimum. Medicum eo putat,

tat, quia ſcit, quid homunciones intra præcordia ſua habeant, & quando febris veniat: Nummularium autem, quia per argentum æs videt.

Licet ſtoliditatem Trimalchionis, inquit *Vallanus*, aſperner, imaginariam ejuſdemque eruditionem non magni faciam; confitear tamen, neceſſe eſt, eundem, in quantum ad Medicinam pertinet, ex ſententia medicorum dixiſſe. Quid? quod jampridem ante Trimalchionem deliciæ meæ, Hippocrates, artem longam, & haudquaquam cito addiſci poſſe, profeſſus eſt: cauſſatur autem inſtabilitatem corporum, ratione ſexus, ætatis, tempeſtatis, aëris, &c. alio atque alio modo ſe habentium. Quibus poſitis ſequitur, Medicinam, quæ quondam profuit, in eodem affectu obeſſe nunc poſſe, quod, utinam! qui medici id ætatis cluunt, obſervarent, non adeo præcipitanter, ut aſſolet quotidie, neque præpoſtere, ægrotanti Medicinam facerent.

Non rationales, inquit *Relandus*, ejuſmodi medici ſunt, ſed agyrtarum ac muliercularum noſtratium more agunt: imo ſimiles ſunt iis medicis, qui olim inclytum Heraclitum, aqua intercute laborantem, curare aggreſſi ſunt; de quibus Heraclitus in Epiſtola ſcribit, non eos, ſed fortunam, ægrotantes curaſſe. [1]

Tum ego. Quandoquidem, inquam, hic mentio fit medicorum rationalium, diſſeramus paululum, ſi vobis allubeſcit, de iis, deque eorum placitis.

[1] Lubinus aliquas veterum epiſtolas, in unum faſciculum collectas, edidit, in quarum una, Heraclitus narrat Amphidamanti ſe medicos de aqua intercuti, qua æger erat, interrogaſſe, quomodo ex humore ſiccitas fieret: *Illi vero*, ſcribendo pergit, *cum non intelligerent, quid quærerem, tacebant, de propria ſua ſcientia dubitantes. Ibi vero cognovi, quod alios etiam non ipſi, ſed fortuna curaſſet, impii illi, Amphidamas, qui*

Tu ſervas iterum, inquit *Relandus*, tuum ſolenne, tu non potes non, quin nos diſputationibus negotiiſve moleſtis implices.

Ioculare iſtud quidem, inquam, quaſivero idem reciprocare non valerem. Tu te amantiſſimus es diſputationum, & lætaris mire, ſi modo quiſpiam aliquid controverſioſum ad dirimendum protulerit.

Interfabatur *Vallanus*. Oportet, inquit, ut ego litem veſtram dirimam, quam me non melius poſſe, arbitror, quam ſi judicavero, vos natura non multum diverſos eſſe. Sed ad propoſitum reſpondebo. Rationales medici, interdum logici, ſubinde dogmatici nominati, proponebant hæc quatuor ſcitu neceſſaria, ut (1) abditarum & morbos continentium cauſſarum notitiam; (2) evidentium; poſthæc (3) etiam naturalium actionum, & (4) noviſſime partium interiorum. Diſconveniebat inter rationales & reliquarum ſectarum ſectatores, quod hi abditarum cauſſarum, actionumque inveſtigationem, nec non partium internarum cognitionem, contenderent ſupervacuas: illi contra neceſſarias ducerent. [2] Rationalis ſectæ & auctor & Princeps habetur Hippocrates Cous. Poſt hunc celebres fuere Diocles Caryſtius, Praxagoras, Herophilus, Eraſiſtratus & complures alii.

Nonne, inquit *Burmannus*, Dogmatici quoque appellabantur Tribonici? Memini, ni fallor, me hoc nomen in Galeno legere.

Recte mones, inquit *Vallanus*, ſed a Menodoto, Em-

qui artes, quas non habent, mentiuntur, & curant illos, quos non norunt, & homines ſub nomine artis interimunt, & naturam & artem injuria affi cientes. Turpe profecto eſt ignorantiam profiteri, turpius autem ſcientiam, quam quis non habet.

[2] De his vide *Celſum* in Præfat. lib. 1. *Galenum* in introd. Cap. 11. & 111.

Empiricæ ſectæ profeſſore, ſarcaſmo ita appellati ſunt, quaſi qui tribones nominari non mererentur: quia experientiæ non crederent, ſed potius rebus abditis ac ignotis ſtuderent. Tribonem enim antiqui vocarunt, qui in aliqua facultate longo ſe uſu exercuerit, ut in ea jam perfectus videri poſſit. [3]

At tu, inquit *Relandus*, modo memoraſti Hippocratem rationalis ſectæ conditorem, eundem itaque forſitan putas primo cauſſas morborum obſcuras inveſtigaſſe, cum mihi complurium, Hippocrate antiquiorum, Philoſophorum placita perlegenti contrarium videtur. Pythagoras, Empedocles & alii Sapientiæ Profeſſores, quique inſimul Medicinæ operam navabant, cauſſas morborum obſcuras, cum de Medicina ſcriberent, ſtatuerunt, deque iis plurifariam diſſeruerunt. Quid? Heraclitus, cujus paulo ante memini, quique tempore Darii Hyſtaſpis vixit, [4] quique Hippocrate auctor vetuſtior, cum Amphidamanti his verbis fere ſcriberet, laboramus morbo hydrope: adeo, ut quicquid in nobis ejus virtus morbus ſit. Exceſſus caloris, febris: exceſſus frigoris, paralyſis: exceſſus ſpiritus, ſuffocatio: meque jam morbus humore abundat, & poſt paulo, pergit: & in univerſo humida ſicca, calida frigida redduntur; nonne cauſſas obſcuras potulit, morbum, quo laborabat, explicandi ergo?

Tum *Vallanus*. Non inficior, inquit, priſcos Philoſophos abditas morborum cauſſas omnimodis indagaſſe. Imo Hipporates meus in libro de priſca Medicina, nec non alibi, [5] majorum ſuorum decre-

[3] Ita *Galenus* de ſubfigur. Empir. Cap. VIII.

[4] Ut habet *Diogenes* Laert. lib. IX. Cætera idem auctor tradit varia priſcorum philoſophorum ratiocinia de cauſſis tum ſecundæ tum adverſæ valetudinis.

[5] Ut libr. I. De Diæta, item de natura hominis, &c.

[6] Ita

ta ipſe confutans, memorat quaternarium elementorum, ut & eorundem qualitates primas, quæ a Medicis plerumque inter morborum cauſſas abſconditas haberi ſolent, injuſte a veteribus ab anteceſſoribus ſuis, morborum cauſſis annumeratas. Quam confutationem, concedo, non inſtituiſſet, niſi majores ejuſcemodi morborum explicationes memoriæ mandaſſent. Cæterum elicis conſequentiam ex dictis meis, eandemque mihi imputas: cum tamen mea ſententia longe alia, ac tu exiſtimas, eſt. Dixi equidem medicorum Diſciplinæ rationalis auctorem, vel principem fuiſſe Hippocratem, quod, velim, ita intelligas. Hippocratem Coum, primum ex omnibus memoria dignis Medicinam ab ſtudio Sapientiæ ſeparaſſe, & illam ad peculiarem diſciplinam redegiſſe: [6] Primum fuiſſe, qui medendi præcepta clariſſime, Plinio teſte, [7] condidit: cum antea nihil, niſi quod confuſum atque abſtruſum in Rationali Medicina, traditum eſſet. Sin vero tecum reputas Hippocrati epitheton auctoris Medicinæ Dogmaticæ non competere, tamen non inficias ibis eundem jure merito principem, qui Medicinam veterum inſtauravit interpolavitque, appellari.

Quandoquidem, inquit *Relandus*, vobis Medicis in uſu eſt Hippocratem miris laudibus celebrare, eidemque varia epitheta imponere: modo enim a vobis appellatur Cous noſter, modo ſenex noſter, modo divus Hippocrates, & neſcio, quæ plures hujus generis nomenclationes ſunt; ſciendi itaque percupidus, quænam ejus dogmata decretave ſint.

Liceat interpellare, ait *Burmannus*, quod longe celeberrimus in arte Medica fuerit Hippocrates, atque

[6] Ita *Celſus* in præfat. lib. I.

[7] Hiſt. nat. lib. XXVI. Cap. II.

[8] Pli-

que dignus, ut honorificentiſſime appelletur. Græcia illi pares, quos Herculi, decrevit honores, quoniam venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſit: [8] item, quia exacta ſcripta de arte Medica edidit, quibus perfecit, ut multi eſſent Medici, qui ægros ſervare poſſent. Poſthæc, quod recuſaſſet honores & munera Regis Perſarum, communis Græciæ inimici, quæ dare promiſit, ſi ejus exercitum, morbo peſtilenti immiſericorditer afflictum, curatum veniret. [9] Jure igitur merito poſteritas Hippocrati, obſervantia meritiſque ſuis Græciam ſibi univerſam devincienti, ejuſmodi præconium tribuit.

Hoc loco *Vallanus*. Et gaudeo, inquit, de Hippocrate, Medicinæ Principe, [10] vos bene ſentire. Quantum autem ſpectat ad doctrinam hujus viri, cujus paulo ante *Relandus* neminit, ſciatis velim, complures admodum fuiſſe, qui ejus doctrinam interpretati ſunt, atque commentarium de hac confecere. Verum, ſiquidem eorum ſcripta nimis prolixa, ut a vobis, aliis ſcientiis operam dantibus, poſſint perlegi, non ſupervacaneum duxi, ſi doctrinam Hippocratis compendifecero, ita, ut multa eorum, quæ ad Phyſiologiam & ad Pathologiam morborum pertinent, a vobis abſque ullo negotio memoriæ mandari poſſint. Cætera, ut ſigna, ut prædictiones, ut curationes morborum, quia multa, & prolixam requirunt dictionem, miſſa impræſentiarum faciam. Sed ad rem. Hippocrates Medicinam nihil aliud eſſe, dixit, quam appoſitionem & ablationem: appoſitio-

[8] Plinius. lib. VII. Cap. XXXVII.

[9] Vide Decretum Athenienſium, quod exſtat in calce operum Hipp.

[10] Quo titulo eum Plinius. H. n. libr. VII. Cap. LI. decoravit.

[11]

ſitionem, quæ deſunt: at ablationem, quæ exuperant. [11] Hanc artem, ſtatuit, jampridem extitiſſe: neceſſitatem autem homines coëgiſſe invenire & inquirere Medicinam, quoniam obſervarunt ea, quæ ſanis ex uſu fuerunt, ſubinde ægrotis male ceſſiſſe. Veterum tamen Medicinam, quamvis non ſit exploratæ rationis, ideo noluit eſſe rejiciendam, ſed, quia propinqua ſit recto, admirari oportet, quod ex abyſſo ignorantiæ complura ſint eruta, inventaque, quæ poſteri probe & recte, & non a fortuna aut caſu, adinventa, comprobarunt. [12] Inprimis vero obſervanda eſſe juvantia & lædentia & conſuetudines, & occaſiones. Etenim horum gnarum, cenſet, minime fortunam reſpicere, ſed eum & ſine fortuna auxiliante recte facturum. Quippe tota Medicina conſtans ac firma, & doctrinæ optimæ in ipſa compoſitæ: proinde eam haudquaquam fortuna indigere; Fortunam namque ſui juris eſſe, & optatis ad eam pervenire neminem poſſe. [13] Suadet præterea Medico, ut abſtineat a verborum controverſiis, juxta & ab inanibus quæſtionibus, quales tunc temporis circa præparationem, & exhibitionem Ptiſanæ uſu venerunt: ſiquidem majores hujuſmodi apinis ac tricis nunquam immoratos fuiſſe: & deinde, quamvis ab aliquo proponantur, difficulter explicari poſſe: &, quod maximum eſt, vulgo, auditis lectiſve ejuſcemodi ſubtilitatibus, occaſionem calumniandi deridendique artem ſuggeri uſque adeo, ut nullam omnino Medicinam putet. [14] Hippocrates inſuper floccifacit medicorum quorundam, ut & Sophiſtarum opinionem, ſtatuentium, Medicinam ad cogno-

[11] Libro de flatibus.
[12] Libro de priſca Medicina.
[13] Libr. de locis in homine.
[14] De victus ratione in morb. acutis.

[15]

cognoſcendum eſſe impoſſibilem, niſi prius aliquis noverit, quid ſit homo, quomodo primum factus, quomodo compactus: verum hoc ſcitu magis neceſſarium exiſtimat. Naturam videlicet, & quo pacto homo ad ea, quæ conmeduntur ac bibuntur, comparatus ſit, & quid mali cuique corpori ab unoquoque edulio vel potu importetur. Non ſufficit dixiſſe caſeus v. g. eſt malus cibus, quia affatim comeſtus dolorem corpori importet, ſcire hoc & vulgus; potius medico incumbere, ut inveſtiget, qualis generis dolorem, & quare hunc, & cuinam hominis parti interne afferat cummaxime? Boni præterhæc medici eſſe cognoſcere cujuſmodi affectus homini propter facultates ac potentias, & qui propter figuras accidant adveniantque. Plurima autem genera figurarum eſſe, quarum alias eſſe cavas: alias ex amplitudine in arctum coactas: alias expaſſas: alias ſolidas & rotundas: alias latas & penſiles; alias extentas: alias longas: alias denſas: alias raras & hiantes: alias *ſpongiæ inſtar* ac molles. Facultatem vero eſſe; humorum ſummas vires, ſummumque robur noſſe, quid ſinguli ipſorum in homine perficere queant, & quas cognationes inter ſe mutuo habeant. Nempe an dulcis humor in aliam ſpeciem mutetur, atque id non a temperamento, ſed ipſe deſciſcens & immutatus ab eo, qualis primum fuerat, amarus, aut ſalſus, aut acerbus, aut acidus. Sit Exempli gratia acidus. Humor igitur acidus, reliquos potentia præcellens, maxime erit incommodus. Reliquorum eadem conditio eſto, excepto dulci, quem omnium homini convenientiſſimum exiſtimat. [15]

At enim, interfabatur *Relandus*, Philoſophatus ne eſt Hippocrates, & ſtatuerit ne quædam rerum prin-

[15] Hæc hauſi hinc inde e libr. de veter. Medicin.

cipia, vel elementa, quem admodum id pleriſque veteribus Sapientiæ Profeſſoribus erat in more poſitum.

Enimvero, inquit *Vallanus*, poſuit, ſed non uno modo; an nunc hæc diſcrepantia auctoris inconſtantiæ, an incuriæ, qui librum deſcripſerunt, an ignorantiæ eorum, qui de ejus ſcriptis commentarium confecerunt; * an malignitati aliquorum, ſua ſcripta titulo Hippocratis edentium, tribuenda, incertum. Quantum ad me pertinet, quæ poſteriori loco dicta, ea potius credo. Sed, ut ad propoſitum veniam, ſciatis Hippocratem ſtatuiſſe ex igne & aqua oriri omnia, tam animalia, quam quæ e Tellure proveniunt, & ea ex dictis augmentum ſeu nutrimentum capere: quin etiam cum intereant, in hæc iterum ſecerni reſolvique. Igni adſcribit vim omnia per omnia movendi: Aquæ vero poteſtatem omnia per omnia nutriendi. Utraque hæc principia tum aliis omnibus, tum mutuo ſibi ipſis ſufficere: adeſſe inſuper igni calorem & ſiccitatem; aquæ vero frigus & humorem. Quibus plurifariam inter ſe mixtis temperatiſve oriri, ſepararique multas omnigenaſque formas atque ſpecies & ſeminum & animalium, nihil ſimile nec viſu nec facultate ſe inter habentium. [16] Alibi Hippocrates in hanc diſputat ſententiam. Id ſcili-

* De his conqueritur *Galenus*, in libr. Hippocr. qui quæ in Medicatrina fiunt. Comment. 1. in prologo: quod aliqui ſint, qui heri ac nudius tertius commentaria conſcribant, omniumque Hippocratis librorum peculiarem quandam editionem faciant, quos inter eſſe etiam Dioſcoridem, & Artemidorum, cognomine Capitonis. Hos, ait, circa veteres lectiones multa innovaſſe. E diverſo laudat diligentiam fidelitatemque quatuor veterum explanatorum, quorum duos, ut Zeuxin, ut Heraclidem, in omnes Hippocratis libros commentaria confeciſſe: de aliquibus modo, Bacchium & Aſclepiadem, fuiſſe commentatos.

[16] De Diæta libr. 1. & 11. *Ex igne & aqua omnia conſtituuntur & animalia & a terra naſcentia, & ex his augeſcunt, & in hæc ſecernuntur ac reſolvuntur.*

ſcilicet, quod calidum vocatur, immortale eſſe, cuncta intelligere, & videre, & audire, & omnia tum præſentia tum futura ſcire. Quadripartitum hoc eſſe: plurimum ejus, cum turbata eſſent omnia, in ſupernam ſeceſſiſſe circumferentiam; eſſeque id ipſum, quod veteres æthera vocarunt. Secundam partem infernam, appellari terram, frigidam hanc & ſiccam multiſque obnoxiam motionibus, cui quoque multum calidi ineſſe. Tertiam partem, aërem puta, medium occupaſſe locum, eſſe eundemque natura calidum & humidum. Quartam tandem partem proximum terræ locum cœpiſſe, humidamque hanc ac craſſiſſimam exiſtere. De cætero, inter qualitates primas, duas magni momenti arbitratur, calidum utpote & frigidum. Huic tribuit facultatem congelandi: illi autem primo diſſolvendi, ſin vero diu durarit, exſiccandi potentiam adſignat quoque. Præter hæc ſedem cuique peculiarem in homine eſſe; frigidi ac glutinoſi metropolim, arbitratur, cerebrum: calidi vero, pinguitudinem quamvis eſſe. [17] Verum enimvero, utcumque hæc ab Hippocrate poſita in libro tamen, cui titulus eſt de veteri Medicina, eos erraſſe, ait, qui principium cauſſæ tum morborum tum mortis vel unum, vel duo; vel & quatuor qualitates primas, ſtatuerunt. Affert autem Cous argumenta e praxi Medica petita, quibus delumbat illorum hypotheſin. Hoc pacto fere argumentatur. Si calidum eſt aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum, quod hominem lædit, oportet recte medentem auxiliari, dum calidum in frigidum, frigidum in calidum, & cætera in qualitatem ſibi contrariam, permutarit tantum; at quia id non evenire, ſiquidem unumquodque ſimplex exiſtens tali vi non

[17] Libr. de carnibus.

non prædítum ; in conſiderationem idcirco venire debere, quod in unoquoque forte & humana natura potentius ſit, quodque non potuerit ſubjugari. Hoc ipſum non modo Hippocrates, verum etiam anteceſſores ſui exiſtimarunt hominem lædere, atque id ipſum auferre vel corrigere adnixi fuere. In numero autem rerum fortium, hominem lædentium, collocarunt amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum, fluidum & ſimilia, hinc inde in homine demonſtranda. Hæc nunc, ſi recte invicem temperata, in cauſſa eſſe, ut homo ſit incolumis: ex adverſo, ſi quod ſuperarit, id auctorem inſtantis morbi eſſe. Quod ſupereſt, nec calidum nec frigidum aptum ut craſſeſcat aut putreſcat, qualia effecta in corpore humano fieri, ac ſæpe ſæpius nos contueri: neque eaſdem qualitates primas auctores febrium, ſed amarum, ſed ſalſum & cætera, quæ in numero qualitatum ſecundarum habentur, in culpa eſſe. Ejuſdem namque naturæ, ſive idem eſſe, amarum ac calidum, acidum ac calidum, ſalſum ac calidum, & ſexcenta alia. Frigidi porro, qualitatibus ſecundis juncti, eandem conditionem eſſe. [18] Si nunc ſcire aveatis, ubi locorum potentiæ memoratæ Hippocratis ſint? Habete eundem ſtatuiſſe, ineſſe in terra & acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum, omnigenum. [19] Quod reſtat de interitu corporum dicendum, anteſignanus Medicinæ Dogmaticæ putat, nullum omnino corpus perire, neque fieri, quod prius non fuerit. Allucinari eos, qui putant, quicquid ex Orco in lucem auctum, generari: quicquid vero ex luce in Orcum imminutum, perire atque corrumpi. [20] Generari enim & perire ſignificare idem ac commiſceri

[18] Hæc itidem excerpſi e lib. de vet. medic.

[19] Libr. de natura hominis.
[20] De Diæta lib. 1.

[21]

ſceri & ſecerni. In generatione enim fieri rerum primarum mixturam, congregationem, unionem: contra in interitu vel corruptione compoſitorum corporum ſecretionem, diſſolutionem, disjunctionem modo memoratarum evenire. Nempe ita animalia & pleraque omnia eſſe natura comparata, ut generentur, ut occidant jugiter. Enimvero, homine moriente verbi gratia, ſuum quodque rurſus in locum ſecedere disjungique: humidum utpote ſe iterum humido, ſiccum ſicco, calidum calido, & frigidum frigido aſſociare, conjungere, unire. [21]

Hoc loco interponebat *Relandus*. Generalibus, inquit, amabo, ſuperſede, ſingularia, quæ ad hominem ſpectant, declarare perge.

Varium, inquit *Valanus*, & mutabile, & abſtruſiorum diſputationum ſemper ferax fuit ingenium humanum, quod vel inde liquet, quod temporibus Hippocratis quoque fuerit magna quæſtio, quid eſſet homo. Meliſſus aliique ſtatuerunt unum eſſe hominem. i. e. ab uno elemento ortum, Alii putarunt ex igne, alii ex aëre, alii ex aqua, alii denique e terra eum conſtare tantum. Alii iterum cenſebant hominem nil niſi ſanguinem: alii bilem: alii pituitam tantummodo eſſe. Jam quomodocunque id unum aliquis perceperit, cogi tamen id ipſum a calido & frigido, ideoque id ſpeciem & vim primigeniam mutare, opinati ſunt, fierique & dulce, & amarum, & album, & nigrum, & ſimile quid. At Hippocrates tales opiniones contradixit damnavitque, & ſtatuit contra, hominem nunquam doliturum, ſi unico principio conſtaret: nihil quippe eſſe unde doleret; ſin vero doloribus torqueatur, neceſſe etiam eſſe, quod ipſi medeatur eſſe unum: atqui complura exiſtere, quæ medeantur: com-

[21] De natura hominis.

complura itidem, quæ vel calefaciendo vel refrigerando vel humectando vel ſiccando morbos pariant; concludit igitur, quia tot morborum totidemque remediorum diverſorum genera, hominem neutiquam ab uno Principio ortum; quod & inſuper generationem cujuſvis animalis indicare, quæ citra admixtionem alterius rei fieri non poſſe, niſi qualitates primæ debito modo temperatæ fuerint. [22] Cæterum, quæ ad generationem hominis pertinent, arbitratur Hippocrates, genituram a ſingulis corporis membris procedere, a ſanis ſanam, a morbidis vero morboſam, fierique inde ut ex calvis calvi, ex cæſiis cæſii, gignantur. Eadem reliquorum ratio eſto. Semen autem genitale putat utrique ſexui duplicis generis eſſe: alterum a quo maſculi, alterum a quo fœmellæ, gigni; illud forti, hoc vero debile, dotatum indole. In coeundo itaque, ſi ambo maſculum ſemen, hoc eſt validius, excreverint: ſeu, ſi hoc ſaltem illud debile vel quantitate vel potentia ſuperaverit, generari tunc puerulum: ſin vero contra, atque dixi, fuerit utriuſque genituræ mixtio, puellam. Hiſce hypotheſis loco poſitis perſuaſum inſuper habet, mulieres, ſi quando diæta humida & frigida uſæ fuerint, parituras tunc puellas: exadverſo, ſi calida & ſicca, puerulos. Ut autem parentes ſui voti compotes fiant, neceſſe eſſe, ut non modo fœmina, ſed etiam vir alterutram diætam obſervet. [23]

Vah egregium conſilium! interpellabat *Relandus*. Nunc

[22] Ibidem. vide etiam *Galeni* commentarium in hunc librum §. 3 & ſeq. Quod vero ad opinionem Meliſſi pertinet, putat Galenus hunc virum ſubſtantiam quandam communem fuiſſe commentatum, quaternis ſubjectam elementis, a generatione corruptione liberam, quam poſteris ὕλην ſeu materiam vocarunt.

[23] De aere aquis & locis. libr. 1. de diæta. & libr. de genitura.

Nunc demum intelligo, quam ob cauſſam mihi mea uxor duas peperit filias. In poſterum & ego & uxor, abjecta omni cunctatione, corpora noſtra curabimus diæta Hippocratica, ut nobis tandem filiolus ſiet.

Tum *Vallanus*. Quod felix, fauſtumque, inquit, tibi tuæque conjugi ſit! Tu non amplius joculabere, ſi ad captum experimentum ita, ut deſideraſtis, evenerit. Sed in viam. Prolixe Hippocrates philoſophatur, quomodo ſingulæ corporis partes ſint factæ. Eo diſquiſitio ejus eſt loci, ut credat, oſſa originem ſuam debere pinguedini terræ, & modico humori, a calore utrimque exſiccatis: nervos plurimo glutinoſo atque frigido pauco: membranas modicæ pinguitudini, & pluſculo glutinoſi. At vero renes hoc pacto productos, cenſet: nimirum parum glutinoſi, parum calidi, multum frigidi concluſum, & ab hoc congelatum fuiſſe, evaſiſſe inde duriſſimum viſcus. Eandem carnis cæterarumque partium, ait, rationem eſſe. [24] Quantum vero pertinet ad cujuſcunque corporis humani principium, negat ei ullum competere; ſed cuique idem principium eundemque finem eſſe, perinde ac circulo, cui etiam neutrum dictorum eſſe. [25] Ita comparatum natura etiam eſſe, ut venarum undiquaque per univerſum corpus diſperſarum, neque initium neque terminationem, pariter ac de circulo jamjam dictum, rimari potuerit. [26] Inter partes corporis tres numerat, quæ manifeſte trahant, quæque plenæ ſint attracti humoris. In hoc numero autem ſunt ipſi veſica, caput, & uterus. [27] Cæterum valetudinem corporis noſtri ſuſtentari, triplicis generis nutrimen-

[24] De carnibus. libr.
[25] Libr. de locis in homine.
[26] Libr. de oſſium natura.
[27] Libr. de veteri Medicina.

mento, cibo puta, potu, atque ſpiritu vel aëre. [28].

Liceat interfari, inquit *Relandus*, eſtne Hippocrati honeſta opinio de mente? Utrum copoream an in corpoream ſtatuit hanc?

Tum *Vallanus*. Equidem, inquit, Hippocrates alicubi [29] dicit, in hominem irrepere animam, ignis juxta & aquæ temperamentum habentem, eandemque eſſe partem corporis humani; Verum, ut ingenue fatear, non aſſeveraverim Coum heic loci mentem indicare, quod autem ſpectat ejus ad ſedem, tunc alio in loco [30] ſcribit, mentem hominis in ſiniſtro cordis ventriculo inſitam, & reliquæ animæ imperare. Eandem, judicat, non alimentis quibuſcunque a ventriculo mitigatis, ſed pura & illuſtri ſubſtantia, a ſanguine ſecreta, nutriri. Quibus poſitis, facili negotio liquet, mentis naturam, Hippocrate auctore, corporatam eſſe. De cætero opinatur Hippocrates, inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad bene intelligendum vel prudentiam conferre, quam ſanguinem: eo enim in eodem vigore tenoreve perſiſtente, conſiſtere & prudentiam: con-

[28] Spiritus enim qui in corporibus ſunt, flatus vocari, qui vero extra corpora exiſtunt, eos aërem. Hunc ſane maximum eſſe omnium, quæ corpori cuipiam accidunt, & auctorem & dominum. vid. libr. de flatibus.

[29] De Diæta libr. 1. & de in ſomniis. Anima vigilat, & quum corpori inſervit, in multas partes diſtributa, non ſui juris eſt, ſed ſuam cuique corporis parti, pro munibus ſuis fungendis portionem mittere. Quieſcente enim corpore, ait, animam in motu eſſe, perficere omnes corporis actiones. Equidem corpus dormiens non ſentire, ipſam vero animam, quoniam vigil corporis moderator, eadem fere in ſomnio audire, videre, tangere, animadvertere, perinde ac ſi corpus vitam inſomnem duxerit.

[30] Libr. de corde, adſumere autem alimentum ex proxima ſanguinis ciſterna, radios ſuos eo immittens & depaſcens.

(31)

contra, ſi aliter fuerit. [31] Delirare porro hominem, Bile intra Maſſam ſanguineam ingrediente, eidemque alienum motum ferosamque indolem, atque majorem calorem conciliante, & hanc eſſe cauſſam quapropter phrenitici, aliique febrem habentes, ſæpenumero delirent. In deſipientia vero melancholicorum vitioſum exiſtere ſanguinem ob admixtam bilem & pituitam: [32] & in temulentis per ebrietatem aucto repente ſanguine percelli animum, & in animo intelligentiam, quas ob res tunc ebrios præſentium malorum oblivisci, & nil niſi jucunda imaginari ſibi. [33] Poſthæc diverſitates plagarum telluris eſſe in cauſſa, ut homines aliis atque aliis præditi ſint moribus. Europæ videlicet incolas præ Aſiaticis iracundiores, audaciores, bellicoſiores. Rationem eſſe in promptu, quoniam quævis anni tempora propemodum ſibi æqualia, & non ingens diſcrimen qua calore qua frigore quotannis obſervari; quocirca accidere, ut mentes neque ſtupore percellantur, neque corpora validæ tranſmutationi obnoxia ſint. Etenim ab his, vero ſimile eſſe, iram exaſperari, cognitionemque & calorem multo magis excitari, quam ſi quis in eodem ſtatu ſemper permanſerit. [34]

Hoc loco ego. Diſceptant recentiorum plurimi, inquam, de ſanguinis cæterorumque corporis humo-

[31] Libro de flatibus. Aſſertum ſuum conatur exemplo ſomni probare. Etenim ſanguinem, ſcribit, corpore dormiente, frigeſcere: ſomno quippe frigefactandi vim eſſe. Frigeſcente autem ſanguine, ejus meatus fieri languidiores, quod hinc palam fieri, quod corpora adgravata reclinentur. Omnia enim gravia deferri natura ad fundum, & oculos ardere, & prudentiam permutari, opinioneſque peregrinas mentem occupare & exercere, quæ ſane inſomnia appellari. Quid autem ſomnia varia ſignificent, de iis agit peculiariter in libro de inſomnis.

[32] De morbis libr. 1.

[33] De flatibus. libr.

[34] Libr. de aëre, aquis & locis.

rum circuitu, an is innotuerit Hippocrati?

Tum *Vallanus*. Commemoravi paulo ante, inquit, Hippocratem venarum per corpus diſtributionem circulo cuipiam aſſimilaſſe: adde huic poſitioni, quæ Coo noſtro omnis generis ſomnia interpretanti ſunt, conjectat ſcilicet, ſi quis ſomniarit curſum, flumina, fontes, &c. ſignificare hæc ſanitatem, & corpus, valere, omneſque circuitus, & exhibitiones ciborum ac ſecretiones, integras eſſe. Et poſt paulo iterum literis prodidit, flumina non ſolito more fluentia, ſignificare ſanguinis circuitum: & auctiora quidem fluentia, exceſſum: imminuta vero, defectum. An vero Hippocrates naturam circuitus perſpexit, prout diligentiſſimi quique ſeculi noſtri anatomici factitarunt, atque argumentationibus firmiſſimis demonſtrarunt, hoc nolim aſſeverare.

Tum ego. Credo hercle, inquam, ita eſſe, tuæque rationi potiſſimum aſſentior, ſed redde, ſi volupe fuerit, cætera, quæ ad Pathologiam pertinent. Enimvero non dubito, quin cæteri hic præſentes dictiones tuas extemporales patientiſſimis auribus percepturi ſint.

Quidni percipiamus? inquit *Relandus*, etenim utriuſque noſtrum, quamvis non ſumus Medici, magni intereſt, ſcire morbos eorumque cauſſas, &c. non, ut iis Medicinam faciamus, quæ veſtra munia ſunt, ſed ut nobis ab illis caveamus, ne morbi noſtra corpora corripiant.

Tum *Vallanus*. Reddam itaque, inquit, quædam hujus generis ex Hippocrate, &, ſi potero, brevi. Commendat Hippocrates Medico, tanquam requiſitum, cognitionem non modo morborum, verum etiam cauſſarum. [35] Eum enim, qui morbos juxta

&

[35] De arte.

& cauſſas noverit, putat, facile allaturum inventurumve, quod corpori ſit commodum: hoc vero eſſe morbo contrarium. [36] Quandoquidem autem perplura ſunt, quæ corpus infeſtant, quæque oculorum aciem fugiunt, & quæ, exauditis aliorum narrationibus, comprehendi cognoſcive nequeunt; debere ideoque medicum talia mentis oculis, vel ratiocinatione perſequi duntaxat. [37] Neque enim Medicum tantopere in morbis vulgaribus curandis, qui ſubinde ſponte ſua evaneſcunt, inclareſcere; ſed ſi magnos, ſi fortes, ſi periculoſos morbos, quorum natura ſeu obſcura ſeu abſtruſior eſt, curaverit. [37] Ut autem ad ejuſmodi notionem perveniat, neceſſum eſſe, obſervare tempora anni, cujus generis utpote in quibuſvis eveniant rerum mutationes: deinde ventos tum calidos tum frigidos: nec non aquarum differentias; item poſitum urbis, an ea ad plagam ſeptentrionalem vel contra ad aliam ſita: itidem terram ipſam an ea fuerit nuda & ſicca: aut denſa, & aquoſa, &c. quin & incolarum diætam, an bibuli an lurcones, an otioſi &c. vel contrariis moribus præditi ſint. Eum igitur, qui hæc & ſimilia diligenter fuerit rimatus, animo identidem præſagiturum morbos quolibet tempore anni futuros, & quæcunque pericula unicuique ex diætæ ac victus immutatione ſint timenda. [39] Morbum autem Hippocrates generatim appellat, quicquid homini moleſtiam atque triſtiam affert: & quantum ſpectat ad modum, tunc ait omnium morborum unum eundemque eſſe, nec dari ullam morborum differentiam, niſi eam, quæ ratione loci contingat: ſpeciem omnibus unam, eandemque omnibus eſſe cauſſam; [40] locum, ut dixi,

[36] De flatibus.
[37] De arte.
[38] De veteri Medicina.
[39] De aëre, aquis & locis.
[40] de flatibus.

tantummodo ſuppeditare differentias morborum, ut in alimento, in ſpiritu, in calore, in ſanguine, in pituita, & reliquis in corporis humoribus, vel partibus ſolidis. [41] Præter hæc morborum genera Hippocrates memorat morbos hæreditarios, vernaculos, epidemicos, & privatos. [42] Auctor finitionum Medicarum, [43] ſtatuit Hippocratem novenas morborum differentias noviſſe, ut acutum, peracutum, malignum, diuturnum, medium, exitialem, *evaſorium*, periculoſum, & periculo carentem. Verum enim vero, utut hic morborum numerus ſit, Hippocrates reprehendit eos, Cnidios utpote, qui morbos ſecundum genera enumerare conanbantur. Ponebant etenim Cnidii Medici dari ſeptem morbos bilis: duodecim veſicæ: renum quatuor: ſtranguriæ quatuor: tetanos tres: aurigonis genera quatuor, & phthiſis tres ſpecies. Nempe corporum varietates, quæ ob multas rationes permutantur, conſiderarunt, neglecta morborum *identitate*; quam tamen Hippocrates advertebat, ut morbum a morbo diſtingueret, redigeretque ſuam quemque ad claſſem. † Cætera, quod ad morborum cauſſas pertinet, ſciatis, velim, Hippocratem eas non uno modo prodidiſſe. Fortaſſis hujus inſtabilitatis cauſſa eſt, quod iis, quæ Hippocratis titulo ſuperbiunt, multa ſuppoſititia ſint intermixta. Utut ſit, narrabo tamen eas quomodocunque in mentem venerint: alibi [44] ſtatuit omnes morbos a bile vel pituita oriri: alio loco dicit morborum acutorum auctorem eſſe bilem: [45] alibi flatum ſeu ſpiritum tantummodo omnium morborum cauſſam eſſe, inde febres,

[41] De Alimento.
[42] Libr. de humoribus.
[43] Cap. VII.
† Vide *Galenum* in libr. Hipp. de vict. rat. in morb. acut. comm. 1. §. 8.

[44] De morbis libr. 1. & libr. de affectionibus. N. Illo libro dicti humores habentur ut cauſſæ corporis internæ morbos quoſdam producentes. In externarum autem numero collocat, labo-

febres, dolores: [46] &c. Cibum & potum vero eundem in corpora noſtra inferre, exiſtimat. Alibi aërem vitæ & morbi ſolum, autumat, auctorem, & eo omnia plena: [47] alio loco, ait, morbos, dolores, &c. ab ingeſtis fortioribus oriri: [48] alibi poſuit quatuor humores, ut ſanguinem, pituitam & bilem duplicem, & hos eſſe in cauſſa, ut aliquis aut ſoſpes ſit aut morbidus. [49] Procreari autem augerique quemquem ſtato imprimis anni tempore: nimirum pituitam hyeme, vere ſanguinem, æſtate bilem, &c. autumno atram bilem adaugeſcere. [50] Quatuor porro loca eſſe generationi cujuscunque humoris dicata. Pituitæ ſcilicet caput, ſanguini cor, Melancholiæ ſplenem, &

labores, vulnera, cibus potus, &c. quatuor qualitates principes, &c.

[45] Si ea utpote in hepar influxerit, & ad caput conſtiterit. de *Dieb.* critic. In numero acutorum ab Hippocrate lib. *de aëre aquis & loc.* ponuntur pleuritis peripneumonia & febris ardens. & libr. de vict. rat. in acut. addit phrenitidem: Præter hos & alios eſſe, e memoratis qualemcunque ortum ducentibus, vel illis propinquitate conjunctos, quorum febres omnino continuas eſſe, atque lethiferas. Eadem fere habentur in libro de affectionib. in opere Hippocratis ſuppoſito.

[46] Libr. de flatibus in fine. ſpiritus autem omnes nobis ab aqua eſſe, quod fuſe Hippocrates annititur demonſtrare. lib. de natura Pueri.

[47] Ibid. ab initio fere, ubi ſpiritus & aëris vocabula ut ſynonyma occurrunt. Ex iſthoc loco arbitor, Celſum deprompſiſſe Hippocratem cujuſquemodi corporis valetudinem omnimodæ ſpiritus conſtitutioni tribuiſſe. in Præf. lib. 1.

[48] De veteri Medicina.

[49] De natura hominis. Sanum quidem putat, fore maxime hominem, quando memorata moderatum inter ſe habuerint temperamentum tum facultate tum copia & cum maxime fuerint permixta. Ægrotaturum autem eundem, quum dictorum aliquid minus aut amplius fuerit, aut ſeparatum in corpore, & reliquis omnibus non fuerit contemperatum. Libro de *Genitura*, & de morbis lib. IV. Hippocrates enumerat has quatuor, humidi ſpecies, ſanguinem Bilem, Aquam & pituitam. Tot enim ſpecies congenitas, ait, hominem in ſe ipſo habere, & ab his morbos fieri, aut etiam ex morbis diſcretiones. Atra bilis hoc loco omittitur, ſubſtituitur autem ejus in locum Aqua.

[50] Ibid. de Natura hominis.

bili jecur: totidemque etiam locos ſecretioni illorum deſtinatos: quorum in numero ipſi ſunt os, nares, anus, & urinæ meatus. Dictorum humorum autem vult, aliquid cibis & potibus ineſſe; ex quibus, in ventriculum procedentibus, trahere ad ſe corpus, ſecundum fontium diverſitatem, ſibi ſimilem humorem. [51] Et hæc de cauſſis morborum generatim: ſin vero mihi id negotium præſentibus vobis darem de unaquaque ſingulatim dicendi: quo pacto videlicet quilibet corporis affectus ſecundum Hippocratis mentem oriatur, multam in noctem tunc ſermo habendus eſſet.

Tum ego. Deliba narratione, inquam, ſi non moleſtum fuerit, unam atque alteram corporis ægrotationem.

Dicto tuo, inquit *Vallanus*, ut ſim audiens, dabo promiſcue, quæ modo in memoria habeo. Vitioſam alimentorum digeſtionem oriri, Hippocrates arbitratur, ſi quis non expectaverit juſtum tempus, ciborum, pridie ingeſtorum, concoctioni evacuationique deſtinatum; ſed in ventriculum, etiam nunc cibis oneratum, ferventem adhuc, & fermentatum cibos ſuper cibos ingeſſerit. [52] Febrem oriri, ait, ob denegatum humoris in carnoſa parte circuitum, unde totum corpus incaleſcere. Calefacto enim ſanguine, celerem facere ea circuitum, quæ in corpore ſunt:

[51] De morbis libr. IV. Quomodocunque dicta fuerint prolata, mihi probatur placitum, quod Hippocrates hoc libr. IV. memoriæ prodidit. Tria utpote principia eſſe, ex quibus morbos fieri. Primum ſitum eſſe in humoribus, ſi aut quantitatis, aut qualitatis ratione corpus afficiant: alterum in cœlo vel aëre, cujus vitium nos victus ratione non corrigi poſſe, velut alias, ſi nobis modo allubuerit, tali pacto humorum vitium, utut fuerit, valemus. Tertium denique ſitum eſſe in violentia quadam v. g. ſi aliquis caſu, vulnere, plaga, ictu morſu & ſimili modo, ſauciatus vel læſus fuerit.

[52] De veteri Medicina.

ſunt: quæ ſi fuerint attenuata, & ſub forma ſudoris calidi extruſa foras, ſanguinem nativam tum recuperare indolem; & quod conſequens eſt, hominem febri carituram. [53] Fluxus omnimodos partim fieri ob frigus, carne & venis extenſis, atque anguſtatis, quam ob cauſſam tunc eæ humorem exprimere: partim quoque propter calorem, carnes rarefacientem, & humores attenuantem; quocirca tunc carnes humoribus tranſitum præbere faciliorem, & humores attenuatos facilius illarum tubulos pertranſire. [54] Hydropem progigni plerumque, quum quis a diuturno morbo ſine purgatione diu permanſerit: corrumpi namque tunc carnem & liquari mutarique in aquam. Subinde etiam vitio lienis, & hepatis & pituitæ albæ: quin minus a dyſenteria ac lienteria aquam intercutem produci. [55] Calculum generari, quum veſica & alvus ultra modum fuerint calefacta, urinam tunc non debito modo excerni, ſed in ſe ipſa concoqui adurique, quapropter, quod in ipſa tenuiſſimum & puriſſimum eſt, mingi, ſuperſtite in veſica craſſiſſimo ac turbidiſſimo paulatim ſibi coagmentante, inque calculum vel tophum concreſcente. [56] Sufficiant

[53] De Diæta libr. II.

[54] Libro de locis in homine.

[55] De affectionibus.

[56] De aëre aquis & locis. Cæterum libr. IV. de morbis. Hippocrates ſenſit calculum impuro ex lacte, in veſica puerorum gigni, non diſſimili modo, quam ſi aliquis in aquam turbidam vaſi immiſſam & aliquantiſper ſedatam conſpexerit, obſervari tunc ejus in medio fæx quædam acervata. Eandem rationem eſſe urinæ impuræ, *ut quæ in cavo ſit loco & maxime ſe acervans, ora dolore per mictionem non pertranſeat, & a pituita cruda concreſcat.* Pituitam enim ad fecem admixtam fieri glutinum. Et primum parvam lanuginem ſuperſtare, deinde quod accedit, arenoſum fieri, glutine evadente pituita. Fecem autem indurari, ac quodammodo lapideſcere in duritiem, perinde ac ferrum ex lapidibus ac terra, dum cumburantur, efficitur. Plura qui deſiderat, is auctoris d. l. pervolvat.

[57]

ant hæc pro adumbratione Pathologiæ Hippocraticæ, in quantum ea cauſſis morborum proximis ſuperſtructa. De cætero, quæ ſpectant ad cauſſas remotas, tum ita argumentatur auctor. [57] Quando uniuſmodi morbus multos homines eodem tempore corripit, ejus cauſſam tunc aërem, quem inſpiramus, eſſe: ſiquidem omnibus in promptu eſſe, diætam non poſſe culpari, quia non vero proximum ad unum omnes tam ſenes, quam juvenes ſimili eademque victus ratione uſos fuiſſe; at enim, ſi omnigeni morbi eodem tempore exorti, manifeſto tunc apparere eorum cauſſam non aërem, ſed pravam victus rationem eſſe. Nihil igitur utilius, nihilque magis neceſſarium homini, quam recta victus ratio, hanc quippe incolumitatis cauſſam eſſe; hanc ideoque ab inventoribus ratiocinando inveſtigatam, ut poſteri ſcirent, quodnam ſecundam, quod adverſam corpori importet valetudinem? alterum aſſequendi uſurpandive; alterum abſtinendi ergo. [58] Utcunque hæc ſe habeant, veteres tamen, teſte Hippocrate, vix quicquam memorabile de victus ratione memoriæ mandaverunt: At e diverſo Hippocrates jure gloriatur ſe repertorem diætæ, ſeque hanc, in quantum poſſible fuerit, ad exploratam poſſibilium rerum rationem redegiſſe. [59] Nimis prolixa ſunt, quæ hujus gratia conſcripſit, quam, quod ego exinde ſummarium jam conficere poſſem. Quantum vero ad Therapeiam attinet, Hippocrates, ut enuntiata

[57] Cujus additamentum, legimus in fine libri de Natura humana. His tamen non diſſimilia habet ipſe Hippocrates, ſi modo inter ſe conferantur, quæ ei ſunt libro de victus ratione in acutis, de flatibus, &c. aqua aëre & locis, &c.

[58] De Priſca medicina.

[59] Libr. III. de Diæta. Et libr. I. de Diæta ſcribit ſe inveniſſe primum, quomodo corpus ab exceſſu ſuperetur, & ad morbum perveniat, ut ab exceſſu utrumcunque facto, prænotionem ejus ſcienter medius haberet.

† Fit

tiata profert, concocta † medicamentis aggredi oportet, & movere non cruda, neque in Principio, ſi non turgeant. Quæ ducere oportet, quo maxime vergunt per convenientes locos, eo ducere oportet. Quæ prodeunt non multitudine æſtimare oportet, ſed quamdiu prodeant, qualia oportet & facile æger ferat. * Sunt quidem Hippocrati plura ſalutaria monita atque præcepta, quæ ſane ex uſu Medici, praxim profitentis, ſunt. Verum quis ſingula narrabit? Quid? ſupervacuus etiam is labor eſſet, quia auctor inter pleroſque medicos verſatur, inprimis vero ejus aphoriſmi, qui a nemine non ut praxeos præcepta conſiderantur. Cætera Medicamentum appellat Hippocrates omne, quod præſentem ſtatum transmutare valet: omnibus autem fortioribus hoc ſolenne eſſe: interim tamen non negligendam victus rationem. Quicquid enim aptum omnia ex præſenti ſtatu ad amovendum vel tranſponendum, id ægrotanti opem allaturum. Namque niſi id, quod morbum fecerit, fuerit aliorſum amandatum, hunc minime tunc imminutum iri, ſed potius increbreſcere. ‡ Quod vero pertinet ad vires medicamentorum, ſtatuit Hippocrates dari medicamenta ſingularia, ſingularem corporis humorem evacuantia. Ea etenim, cum corpori fuerint ingeſta, trahere primum ad ſe quod Naturæ ſuæ maxime conveniens: deinde vero, quum utpote ejus Medicamenti nimium fuerit datum, ea trahere & reliquos corporis humores. v. g. Exhibito cuipiam Medicamento cholagogo, primum quidem bilem educi: at enimvero, ſi quantitas remedii fuerit juſto major, illam tum inſequuturam pituitam, poſtea bilem atram, ſan-

† Fit autem concoctio, ex permixtione & temperatura mutua, & quaſi coctura. Hoc pacto enim humorum acrimoniam & temperiem tolli. *Ibid.*

* Libro de humoribus.

‡ De locis in homine.

† Vide

guinem denique in ipſo mortis agone. † Tandem, ut ad finem orationis meæ veniam, paulis verbis commemorabo, Hippocratem Medico ſuadere, ut, indagata cauſſa manifeſta, nec non ea, quæ ratiocinatione tantum cognoſcitur, animadvertat inſimul numerum aut parem aut imparem: maxime autem metuendum eſſe numerum imparem: quo die ægros cummaxime conturbari: [60] imo, quod magis eſt, eos plerumque mori die impari, menſe & anno imparibus. In alterutrum diem Hippocrates totam morborum criſin, vel ad ſalutem, vel ad perniciem identidem verſare, decrevit. [61]

Non putaſſem, inquit *Relandus*, Hippocratem veſtrum placita Pythagoricorum amplexum: hi enim, ut noſtis, numerum numero potentiorem crediderunt.

Tum ego, aſſentior Aſclepiadi, inquam, qui talem dierum delectum, ut vanum repudiavit, neque in ullo die, quia par, imparve eſſet, his vel majus, vel minus periculum eſſe, dixit. [62]

Tu contortius concludis, inquit *Vallanus*, quam decet, quaſi vero ego, quod ad dierum delectum pertinet, Hippocratis ſententiam foverem. Hippocrates, qui mihi multo honorificentior, ac plurimis medicorum, videtur, homo fuit, errare potuit, potuit labi. Quotus quiſque eſt noſtrum ſine errore? ſine mendo? Felix iſte, qui minimis urgetur.

Hoc loco *Burmannus*. Et miſſa, inquit, fac hæc, chariſſime collega, aliorſum deflectamus confabulationem; ſatis verborum, de Medicina Hippocratica feciſti.

DIA-

† Vide librum de Natura hominis, de medicamentis purgantibus, & de affectionibus.

[60] de Diæta in morbis acutis.

[61] Libr. IV. de morbis. aphoriſm. ſect. II. §. 23. 24. libr. de humor.

[62] *Celſus* de Re Medica libr. III. Cap. IV.

DIALOGUS. X.

De quorundam veterum Dogmaticorum placitis.

LUCIO & ANGELO me a meridie convenientibus, cœptabatur ſermocinatio de Medicina rationali, quot ac quantis ea prematur difficultatibus, ſi ejus aſſeclæ omnium, in corpore humano obortorum, effectuum, conentur quoquo modo cauſſas reddere.

Derideo, inquit *Lucius*, Pelopis, Galeni præceptoris, imaginariam Sapientiam, quam ſibi glorioſe arrogavit, in dandis quorumcunque effectorum cauſſis. [1] Derideo & plurimos noſtri ſeculi medicos, itidem exiſtimantes, nullius eſſe effecti cauſſam occultam & involutam, ſed promptam ſed apertam eſſe omnem. Verum enimvero eos in hac parte delinquere, non opus eſt, ut fuſe argumenter, ſiquidem neminem noſtrum quemquam, puto, inficiaturum, perplura in univerſo, imo plurima in homine, ad quæ caligat genus humanum. Perpendamus modo morborum cauſſas obſcuras, quæ ratione inveſtigantur, quot diverſæ eas explicandi cauſſa excogitatæ ſint ſententiæ. Equidem non diffiteor nonnemimen mihi objectaturum Plutarchi decretum, morbum utpote nullum gigni ſine cauſſa poſſe, neque vim eſſe ullam, (divinam excipio) quæ ex nihilo aliquid contra leges naturæ poſſit producere: [2] Verum enim nullum quoque mihi dubium

[1] Ejus mentionem facit *Galenus* de ſimpl. medic. fac. lib. lib. XI. Cap. XXX.

[2] In Sympoſ. VIII. Quæſt. IX.

bium eſt, quin medicus, qui ingenuitatem præ ſe fert, aperte ingenueque ſit confeſſurus, nobis plurimum latere plerorumque cauſſam morborum proximam, deque hac nos tantummodo divinare.

Aſſentior orationi tuæ, inquit *Angelus*. Namque, ſi ejuſcemodi cauſſa haud laboraret ulla animi ſuſpenſione, non tot fictas hoc tempore haberemus in Medicina hypotheſes. Quid dicam de mira opinionum varietate? quæ & veteribus, & neotericis ſunt, de parte corporis affecta, quænam ſcilicet pars in morbis aliquibus internis cummaxime patiatur. Perſuaſum ſibi fortean quiſpiam habet, non arduum eſſe negotium, quia Anatomicus eam facili negotio detegere poteſt: quod verum eſt, concedo, ſi malum conſpicuum in una parte. At enimvero, ſi variæ partes ſimul affectæ, tum primam, ubi videlicet materia morbida, vel reſidit, vel generata fuit, poſſumus ægre indicare: vero quippe ſimillimum eſt, non omnes, quæ tranſacta Anatomica inſpectione communiter inveniuntur, ab initio affectas fuiſſe inſimul; ſed ſenſim ſenſimque tales ſolidas a fluidis vitiatas. Si vero cauſſa morbi ipſis fluidis, vel ſpiritibus infuerit tantum, tunc ea multo difficilior, quam ſecus, cognitu eſt: hinc mira variarum opinionum diverſitas, dum ſuam quiſque, tanquam omnium probatiſſimam, medullitus amet, opinionem.

Ain', inquam, & veteres diſſenſiſſe inter ſe in tradenda parte corporis affecta. Ergo noſtrum ſeculum non ſolum eſt omnis generis abſtruſarum opinionum ferax.

Quinimo; ait *Angelus*, ſicut nunc, ita & olim fuit, mira ſententiarum ſectatorumque concertatio, æmulatio, affectatio, quæ uſque adeo quorundam hominum animos faſcinaverunt, ut nil, niſi quod ipſorum ſectæ doctrinæque, qua primum eruditi ſunt, conforme,

forme, rectum putent. Indelebile, Mehercule! malum eſt, quod jampridem Galenus eſt conqueſtus, atque id elui non poteſt, iſta ſcilicet circa ſectas ambitio: Malum hoc, inquam, ſcabie quavis ad ſanandum rebellius. [3] Verum, ut ad propoſitum veniam, oſtendam aliquot exemplis diſcrepantiam opinionum reſpectu partis affectæ. Quæſitum eſt a veteribus, quis in pleuriticis locus patiatur. Pulmones pati dixit Herophilus: hypezocata, membranam latera & interiora cingentem Diocles, Eraſiſtratus, Aſclepiades, & eorum plurimi ſectatores. [4] In peripneumonia, ſtatuit Diocles, pati venas pulmonum: Eraſiſtratus arterias: Praxagoras eas pulmonis partes, quæ ſpinæ ſunt conjunctæ: Herophilus totum pulmonem: Aſclepiades eas pulmonis partes, quæ arteriis adhærent, quæque bronchia appellantur: Apollonius Herophilus venas & arterias pulmonis: Soranus autem totum corpus paſſione vexari, ſed pulmonem vehementius. [5] In cardiacis cor affici dixerunt Eraſiſtratus & Aſclepiades: alii pericardium: alii ſeptum tranſverſum: alii ſtomachum: alii pulmones, atque jecur. [6] In Hydrophobia Democritus dixit nervos affici, conjiciens hoc ex corporis ſpaſmo & veretri tentigine: aliqui ex aſſeclis Aſclepiadis membranam ajebant cerebri. Etenim Aſclepiades ſtatuit, omnem paſſionem, ut phrenitidem, lethargiam, epilepſiam, &c. quæ mentem turbaverit, in ipſa conſiſtere. Alii iterum ajebant Diaphragma pati, ſiquidem in ipſo ſit dolor conſtitutus. Artemidorus Eraſiſtrati, & Artorius Aſclepiadis ſectator, atque plurimi

[3] Libr. 1. Cap. XIII. de nat. fac. Vide etiam Cap. VI. de cujuſque animi peccatorum notitia atque medela, ut & comment. II. in libr. VI. Hippocr. de morb. vulgarib. §. 25.

[4] Cæl. *Aurelianus.* celer. paſſ. libr. II. Cap. XVI.

[5] Idem Cap. XXVIII.

[6] Idem cap. XXXII.

[7]

rimi ſectæ Methodicæ ſcriptores ajebant ſtomachum pati, quoniam ſingultus ſequatur, & vomitus fellis, & appetentia inſatiabilis bibendi. Alii ex ſectatoribus Aſclepiadis volebant utrumque tum ſtomachum tum ventriculum pati. Gajus Herophili ſectator, aſſerebat cerebrum & ejus membranam affici: nervos namque voluntario motui ſervientes atque ſtomachum colligantes, initium vel originem inde ſumſiſſe. Magnus Epheſus tandem voluit omnia, quæ difficultate motus in hac paſſione afficiuntur, pati: hæc autem eſſe cor, ſtomachum, diaphragma, caput, ilia. [7] Poſſem quidem plura e veteribus, plurima quoque hujus generis ex hodiernis auctoribus, petere: Verum ſufficere hæc, arbitror, tanquam documenta dubiæ Medicorum rationis in determinanda plurimorum morborum parte affecta.

Non mirum, inquam, noſtram mentis cæcitatem heic prodi: ſiquidem primarius locus, vel pars corporis inprimis affecta perſæpe noſtram ſcientiam fugit. Sunt enim, ut vos ipſi horum non ignari eſtis, multi morbi, ubi pars aliqua corporis, quia iiſdem nervis vel ſimili dotata membrana, in conſenſum trahitur, atque adeo longe alium, ac revera eſt, morbum mentitur. Exemplum habemus in calculo renum, ubi vomitus & retrorſus teſticulus, qui plurimum morbum comitantur, proveniunt propter conſenſum ejuſdem nervi, & ſtomacho & renibus & teſti, communis. Eadem conditio eſt ſuffocationis in mulierculis, quæ vitio locorum ceciderunt, ubi etiam nervus ab utero ad aſperam arteriam tendit, qui dum inferne vellicatur, ſuperiorem partem viciſſim in conſenſum trahit. Medicus igitur, niſi ſigna, cuique affectui priva, bene obſervaverit diſtinxeritque, facili negotio poteſt cæcari

[7] Idem. libr. III. XIV.

cari erroribus, ratione partis cumprimis affectæ. Quandoquidem vero non pauci hujus generis morbi sunt, in quibus Medici ejusmodi signa, affectum unice significantia, desiderant; planum inde fit, quare difficilis ad indagandum sit pars affecta, & quare hujus gratia tot dissensiones inter Medicos obortæ. Quis crederet respirationem, quæ est actio vel negotium, ut inter nos liquet, animantibus ad unum omnibus familiarissimum, aliqua esse ambiguitate refertam: & tamen non modo prisci, sed etiam multi recentiores se inter discrepant, quo pacto & quamobrem ea fiat. Empedocles, Anaxagoræ, Diogenis, Democriti, Platonisque opiniones de negotio respirandi refellit Aristoteles, [8] quam autem ipse profert non expers am-

[8] Empedocles statuit fieri respirationem & exspirationem, propterea quod venæ quædam sunt, in quibus est quidem sanguis, non tamen eas esse sanguine plenas: habere autem meatus in eum, qui extra est, aërem, partibus quidem corporis minores, iis vero, quæ aëris, majores. Quapropter sanguinem natum moveri sursum & deorsum: deorsum quidem cum aer influat, atque adeo inspiratio accidat: sursum autem, cum aer excidat foras, ac ita fieri expirationem vide Aristotelis libr. de respiratione. Cap. VII. ubi Empedoclis versus citantur. Anaxagoras sensit pisces, cum aquam per branchias emittant, & eum, qui in ore est, aerem trahant, tum respirare. Diogenes autem putat, cum emittant aquam per branchias ex circumstante circa os aqua, trahere tunc aerem, qui in ore vacuo est, & qui in aqua quasi inest. Impossibilia autem hæc factu judicat Aristoteles. d. l. Cap. II. Democritus statuit respiratione inhiberi, ne anima & calidum, quas figurarum sphæricarum primas, exeat. Vivere enim animalia inspiratione, quia aer dictis figuris, pro sustentatione vitæ necessariis, admodum dives sit: ex adverso animans quodvis exspiratione mori, esse enim mortem talium figurarum ex corpore exitum ob continentium expressionem. Ibid. Cap. IV. Plato in Timæo. ratum habet: exeunte per os calido, ambientem aërem pulsum, quem eundem in locum, per raram carnis texturam, ingredi. Et quia in universitate rerum nusquam vacuum reperiatur, proinde, cum pectus, pulmonesque spiritum efflaverint, protinus eosdem genere corpori circumfuso meatus corporis penetrante, repleri. Aristoteles. d. l. Cap. XXI.

ambigui eſt. Herophilus quatuor motus genera pulmonibus in reſpiratione tribuit, primum cenſet in cauſſa eſſe ut externus aër attrahatur; ſecundum ut attractus in pectus exprimatur; tertium, ut expreſſius denuo recipiatur; & quartum, ut receptus iterum foras ejiciatur. Aſclepiades autumat cauſſam reſpirationis eſſe attenuatum aërem in cavitate pectoris exiſtentem, inibi enim externum aërem, quia craſſior ſit, ferri, indidemque vero rejici, quoniam pectus ita comparatum, ut non copioſum aërem continere, neque eo prorſus carere poſſit. [9] Alii aliter opinati ſunt, pari modo ut etiam inter recentiores, licet ſuam quiſque mentem exquiſitiſſimis demonſtrationibus ac argumentis probare anniſus fuerit, non idem opinionum conſenſus eſt. Controverſabantur itidem veteres inter ſe de utilitate reſpirationis. Hippocrates ſtatuit nutritionis & refrigerationis ergo fieri reſpirationem. Philiſtion & Diocles innatum calorem ventilandi refrigerandive cauſſa. Praxagoras & Philotimus nutricatus ſpirituum animalium cauſſa. Nicarchi Praxagoras reſpirationem ajebat corroborationem quandam animæ eſſe: Aſclepiades autem ipſius animæ generationem. Eraſiſtratus putabat arteriarum expletionis gratia nos reſpirare, Galenus tandem immoderatum calorem refrigerandi & animales ſpiritus nutriendi gratia. [10] Recentiorum tam Medicorum quam Philoſophorum opinionibus, quia vobis

xxi. dicit, reſpirationem fieri, calido, in quo facultatis nutriendi principium, ſe augmentante. Etenim quemadmodum alio indigeant alimento, ita & illud, imo & aliis magis, quoniam id calidum aliis alimenti cauſſa eſt. Reſpirationis autem natura, ait, ita comparata, ut follis; cujus exemplo hoc negotium declarare ſatagit.

[9] Vide *Galeni* Hiſt. phil. Cap. cxiii. *Plutarchum* de placit. philoſ. libr. iv. Cap. xxii. Galeni opinionem vide in libro de cauſſ. reſpiration.

[10] Hæc e *Galeno* de utilitate reſpirationis. §. 1. 4. 12. Plato

vobis notiſſimæ, in præſentia ſuperſedebo, ſermocinatio alias noſtra nimiopere evagaretur, aliorſum itaque ea dirigenda eſt. Sed quorſum potius, quam ut occupata ſit in recenſendis Dogmaticorum antiquorum placitis, quæ de ſano deque morbido corporis humani ſtatu habuerunt. Principis rationalium Medicorum, Hippocratem volo, decreta, in conventu nupero eruditorum tradita ſunt; ideoque pervelim ut aliquis veſtrum, ſi modo volupe fuerit, animum applicet ad diſſerendum de aliquorum veterum dogmatibus.

Tum Lucius. Quandoquidem, inquit, mihi in mentem incidit dictum ſacerdotis Saiticæ præfecturæ Ægypti, Grajis nullam priſcam antiquarum rerum opinionem, nullamque canam eſſe ſcientiam, [11] ideo non ab re fore, duxi, ſi quid Ægyptii, corpora clyſteribus, & potionibus purgandi vi refertis, jejuniiſque & vomitu, medicantes decernebant, primum dixero. Statuebant enim in omnis nutrimenti digeſtione majorem partem eſſe ſuperfluam, & hinc morbos procreari: ideoque vel in dies ſingulos repetebant, vel triduum aut quatriduum interponebant, curationem jam memoratam, principia morbi tollendi cauſſa. Hæc ex Diodoro Siculo. [12] An vero hodierni priſcorum reſervarunt, an Galeni aliorumque decreta aſſumſerunt, non facile dixerim. Aſſerunt namque, teſte Proſpero Alpino, omnium morborum genera vel a calore vel frigore oriri: & contraria contrariis, curari. [13] Febres peſtilentes quidam eorum credunt procreari a ventis e proximo Urbi, Alexandriæ puta, lacu ſpirantibus: hos enim habere

Plato in Timæo dicit omne hoc opus in corpore fieri irrigatione quadam, & refrigerio ad vitam & nutrimentum.

[11] Idem Plato in Timæo.
[12] Libr. 1. Cap. LXXXII.
[13] De Medicina Ægyptiorum. lib. 1. Cap. 11.

bere vim putredines insignes gignendi: at alii a putridis venenosisque exhalationibus aëri sese permiscentibus. [14] Communissimum adversus morbos ipsis præsidium est sanguinis missio, cujus institutæ tres afferunt rationes. Prima est, quod putent quoslibet fere morbos istic locorum vel a calore tantum oriri, vel aliis quibusvis caussis insuper calorem esse adjunctum; quibus positis persuasum habent, peracta sanguinis missione corpora admodum refrigerari. Altera est, quod existiment corpora, ob copiosam aquæ Niloticæ, ut ibi mos est, potum, sanguine abundare. Hujusmodi aquam autem, superstitiose credunt, præ alia facilius in sanguinem mutari: quippe talem potentiam tum demum dictam aquam acquisivisse, postquam Moses virtute divina eam in sanguinem mutaverit. Tertia denique ratio est, quod negent ullam corporis Cacochymiam, sed potius abundantiam boni sanguinis complurium morborum caussam esse; Quo evacuato & morbum infringi. [15] In Diæta statuunt, nihil, quodcunque ægri ex instinctu Naturæ appetunt, posse nocere: siquidem ipsa Natura tutius ac prudentius cuncta in commodum inque emolumentum corporis movere, quam præstantissimus quisque medicorum. [16] Missa Ægypto tendo in Græciam, ubi primo occurrit Æsculapius, cujus in librum nuper incidi. Indignus hic liber antiquissimo Medicinæ parente, cujus titulo superbit, verum suppositus ab Idiota aliquo, Chronologiæ ignaro. Meminit enim Aristotelis, qui tamen, ut ad unum omnibus, nisi in Historia hospites fuerint, confessa res est, illo multis seculis junior fuit. Ejusdem inscitiæ, quin dicam malignitatis, accusandus est auctor Epistolæ

[14] Idem. Cap. XIV.
[15] Idem. libr. II. Cap. I.
[16] Idem libr. I. Cap. III.

ſtolæ Hippocratis Coi ad Moecenatem: cum tamen ille Artaxerxis, hic vero Auguſto ævo, inclaruit. Eandem oportet maculam auctori, qui Trotulæ, vel Erotis nomine, ſupinat, inurere. Perhibent quidem, Auguſto regnante, Libertum Erotim Juliæ Medicinam feciſſe; [17] quandoquidem vero hic auctor, qui librum de affectibus mulierum prodidit, paſſim Galeni mentionem facit, qui tamen illo duobus fere ſeculis junior, patet inde ſuppoſitio auctoris.

Non melioris notæ, interpellabam ego, ſunt ſcripta Mariæ prophetiſſæ, Moſis Sororis; Alexandri ad Ariſtotelem, &c. de Alchimia. Quod neminem puto, inficiaturum, niſi in hiſtoria inque ſcientiis prorſum plumbeus fuerit. Sed redeas, velim, in Græciam, & enarres nobis quorundam veterum, circa morborum cauſſas, opiniones.

Tum Lucius, Flagitas, inquit, a me negotium, ad quod exequendum quamquam ſim imparatus: obtemperabo tamen tibi, ac faciam, quomodocunque potero. Plato, cum de origine morborum percontaturus eſſet, ſtatuit corpus ex quaternario elementorum compactum. Quod, ſi aliquod eorum excedat, aut deficiat, aut ex loco proprio in alienum transferatur, ad morbos tum pronum. Ex ſecundis compoſitionibus non rite peractis itidem morbos progigni. Carnem enim, quoties eliquata fuerit, putat tabem rurſus tranſmittere in venas, unde ſanguinem vario colore, amaritudine, & acidis ſalſiſque infectum ſaporibus, bilem, cruorem pituitamque gignere quam plurimam. Quæ quidem omnia ſic genita & corrupta ſanguinem rurſus inprimis inficere: circumferri autem hæc per venas nullo prorſus naturalis circuitus ordine obſervato. Tertium morbo-

[17] De quo vide *Mr.* le P. 3. lib. 1. Cap. 1. *Clerq* Hiſtoire de la Medicine.

rum genus exoriri a ſpiritu, a pituita, vel a bile. Pituitam acidam, quin & ſalſam languorum omnium, qui deſtillatione fiunt, originem eſſe. Partes corporis tumeſcentes a bilis incendio & combuſtione vexari. Peſſimum eſſe malum, quando pus, ſanguine mixtum, & villorum ligaminumque fila ſuo ex ordine dimoveat. Cæterum ſtatuit, quod ſi corpus ignis potiſſimum exceſſu langueat, id tum continua febri laborare: aëris, quotidiana diſcreta: ſi aquæ, tertiana, quia aqua ſegnior ſit quam ignis & aër; ſin vero Terræ exceſſu, quartana. Siquidem Terra, cum omnium elementorum tardiſſima & quarto gradu ſit, fervere defervereque quarto temporis circuitu, hinc origo febrium quartanarum, vix ſeroque ſanari, neſciarum. [18] Ariſtoteles poſuit bilem calidam, contra pituitam eſſe frigidam. [19] Bilem ſtatuit cauſſam morborum acutorum: quin etiam a bili ſincera credit oriri febres acutas; ab abundantia vero atræ bilis, inſaniam. Et, ut brevis ſim, Ariſtoteles cum de cauſſis morborum diſputat, profert eas explanandi ergo vel bilem, vel pituitam: nec non qualitates primas, ut calidum, ut frigidum, &c. [20].

Hoc loco ego. Intermiſſionem, inquam, faciamus a percontatione dogmatum Philoſophorum, quos equidem non deſpicio, quia ſolebant olim Medicinæ quoque operam dare: ita etiam non inſcius ſum medicos complura ex illorum doctrina de elementis, de cauſſis, &c. in Medicinam transtuliſſe. Verum, quandoquidem ab exceſſu Hippocratis, diſciplina noſtra a ſtudio Sapientiæ ſeparata extitit, pertractemus ſectatorum Hippocratis placita.

Tum

[18] *Plato* hæc in Timæo.
[19] Problem. ſect. 1. Quæſt. XXIX.
[20] Ibid. Quæſt. VI. IX. XII. &c.

(21)

Tum *Angelus*. Non ignoratis, inquit, incertum eſſe de Theſſali, Draconis, Polybii, &c. Hippocratis vel filiorum, vel generis, vel diſcipulorum ſcriptis, quorum paſſim inter ſcripta Hippocratis, in lucem edita, mentio fit. Horum itaque narratione ſuperſedebo, verum perbreviter dicam rationalem Dioclis Caryſtii, omnium longe antiquiſſimi Dogmatici, Medicinam. Is namque poſt Hippocratem ſecundus ætate famaque extitit. Et perhibent nonnulli eundem Antigoni temporum fuiſſe æqualem. Quantum vero ad ejus doctrinam pertinet, ſciatis, velim, eum mire de conceptu, de formatione, deque partu fœtus ratiocinari: imo de ſingulis ætatum hominis viciſſitudinibus. Namque omnia, quæ homini unquam ſive in vivendo, ſive in moriendo contingunt, fieri, putat, ratione ſeptenarii: Hic numerus ſecundum ipſius mentem habet vires longe potentiſſimas. [21] In Epiſtola, ut volunt, ad Antigonum de tuenda valetudine, exarata, ſtatuit quaternarium humorum omnis generis morborum cauſſam eſſe, generarique illos intervallis, ſeu certis anni temporibus. v. g. ſolſtitium hybernum, ait, augere in hominibus defluxionem ac humorem, uſque ad æquinoctium vernum: quo tempore augeri in hominibus pituitam & dulces ſeroſoſque ſanguinis humores. Ple-

[21] De his vide *Macrobium* in ſomnium ſcipionis lib. 1. Cap. v. & *Gellium* noct. Attic. libr. III. Cap. x. qui varia, Septenarium ad numerum ſpectantia, e Varrone excerpſit Inter alia, quorum jam non faciam mentionem, ſcribit, Varronem affirmaſſe pericula vitæ, fortunarumque hominum, quæ Climacteras Chaldei appellant, graviſſima quæque fieri ſeptenariis. Et paulo poſt ſcribit. *Diſcrimina etiam periculorum in morbis majore vi putant fieri in diebus, qui conficiuntur, ex numero ſeptenarii. Eoſque dies omnium maxime, ita ut medici appellant κριτικὰς καὶ κρισιμὰς, cuiquam videri primam hebdomodam, & ſecundam & tertiam.*

jadum ortum augere bilem fulvam, & amaros ferosoſque humores uſque ad ſolſtitium æſtivum: quo adveniente adaugeſcere bilem atram uſque æquinoctium autumnale: atque ab hoc tempore uſque ad Plejadum occaſum augeri pituitam ac tenues fluxiones. Tandem ab dictarum occaſu uſque ad ſolſtitium hybernum in hominibus pituitam in primis generari. [22] Generatim autem oriri morbos, exiſtimat ex inæqualitate elementorum, quibus corpus compoſitum, ut & ex prava aëris conſtitutione. [23] Quomodo autem ſpeciatim de morborum cauſſis diſſeruerit, diſcere hoc poſſumus ex loco, qui de affectione hypochondriaca reliquus eſt, ubi ſtatuit in dicto affectu, plus caloris, quam decet, in his venis, quæ alimentum a ventriculo excipiunt, haberi; ſanguinemque præterea in his craſſeſcere. Sanguinem vero indictis venis contineri vel hoc argumento probari poſſe, quia alimentum in partes corporis, ut alias aſſolebat, haud diſtribuatur, ſed in ventriculo permaneat indigeſtum. Calorem vero in culpa eſſe, cum ab æſtu, qui ipſis accidat, tum ab his, quæ ingerantur, innoteſcere, ait; ſiquidem ſaluti ægrotantis conducere, ſi cibos refrigerantes, qui videlicet calorem refrigerare extinguereque ſolent, comederit. [24] Cæterum opinatus eſt, poſſe etiam a ſimilibus morbos produci: verum neminem non morbum ſanari a contrariis. [25] Febres oriri credit ob earundem

[22] Hæc Epiſtola, unde dicta excerpſi, inſerta eſt Æginetæ operibus, & eſt Caput. c. libri. 1. Huic Epiſtolæ, ut ovum ovo, ſimilis eſt epiſtola, quæ nomine Hippocratis Coi ad Regem Antiochum ſuperbit. Extat hæc inter opera Marcelli, poſt præfationem.

[23] Ita in Hiſtor. phil. *Galeni* operibus inſerta. Cap. cxxxv. Eadem fere Cap. xxx. Libr. v. *Plutarch.* de placit. philoſoph.

[24] *Galenus* de locis affectis. libr. III. Cap. VI.

[25] Idem in Aphor. Hipp. lib. II. §. 4.

(26)

dem cauſſam, ut in inflammationibus, abſceſſibus vulneribuſque nos contuemur eas oboriri. [26]. Lienteriam fieri magna ex parte propter inteſtinorum difficultatem, quam inſequi materiæ humidæ & ſpumoſæ, & crudæ, & multæ citam poſt cibum ac potum aſſumptum excretionem. [27] Tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἴλεον nominavit, cum poſtea tempore Celſi illum priorem εἰλεὸν, at hunc κωλικον nominarent. [28] De morſu, ictu, punctura quorundam venenatorum animalium ratiocinari annitens Diocles, ſtatuit ipſis vim quandam ineſſe mortiferam, quæ inſinuata corporibus, moleſtiarum, quæ exoriuntur, cauſſam eſſe. Etenim neminem quemquam putat inveniri uſque adeo contentionis ſtudio flagrantem, qui aliunde exoriri moleſtias aſſeret, quam a materia lethifera, partem corporis attingente. [29] Sudores eſſe præter naturam, quoniam omnibus, quæ ad corpus attinent, recte adminiſtratis, & alimento a natura ſubacto, nunquam ſenſibilis humor per cutem excernatur. Quæcunque enim in balneis, aut vehementibus exercitiis, vel propter æſtivum calorem exudent homines, ea ex cauſſis violentis originem habere. † Denique acie mentis diſpiciebat proprietates virtuteſque medicamentorum, ac eos inſimulabat inſcitiæ, qui arbitrabantur, cuncta, quæ ejuſdem generis ſapore, colore, odore, &c.

[26] Idem Hiſt. phil. Cap. CXXXIV. & *Plutarchus* de Plac. phil. lib. V. Cap. XXIX.

[27] *Galenus* in Aphor. Hippocrat. libr. VI. §. 1.

[28] *Celſus* libr. IV. Cap. XIII.

[29] Plura vide apud *Dioſcoridem* libr. VI. Cap. XXXV. Verum hujuſmodi ratiocinium non ſatisfecit Dioſcoridi, ſcribit, enim Dioclem oportuit dicere, *quænam res hoc opus efficiat, ut nihil prorſus, nos lædat, incomprehenſa communis cauſſæ, quæ propriis ineſt ratio: quandoquidem tum evidenter indicari poſſit, cum deprehenſa eſt.*

† Vide *Galenum* in Aphoriſm. Hipp. libr. I. §. 15.

prædita, prædita quoque eſſe iiſdem viribus. Nec enim, ſiquid alvum ſeu urinam movet, aut aliam quamvis facultatem habet, putandum, id idcirco tale eſſe, quia calidum, vel frigidum, vel ſalſum ſit; quippe non omnia dulcia, aut acria, aut ſalſa, &c. ſingillatim conſiderata, eaſdem habere facultates, ſed contra putat virtutem rei, qualis qualis fuerit, toti naturæ vel ſubſtantiæ tribuendam. i. e. toti concreto. [30] Oleo tandem dicit potentiam eſſe, poros corporis oblinendi, cohibendique ea, quæ effluere ſolent; item coria emoliendi. [31] Poſt Dioclem in Medicina Rationali longe omnium clariſſimus habebatur Praxagoras, cujus de doctrina tantum pauca deguſtabimus. Ariſtoteli Praxagoras aſtipulabatur, quod ad nervorum principium pertinet; id ſcilicet non cerebrum, ut ea plerorumque omnium tunc temporis opinio erat, ſed cor eſſe. Arterias vero e corde oriundas, dum findantur anguſtentur ac minuantur, perſuaſum habet, tandem in nervos deſinere. [32] In arteriis negat qualemcunque contineri humorem: [33] Sed ſpiritum quendam, quem craſſum & vapori cuipiam ſimilem eſſe. * Pulſum & palpitationem, convulſionem, ac tremorem, poſuit, arteriarum eſſe affectiones. Et pulſum quidem ſecundum naturam: verum palpitationem & tremorem ac convulſionem eſſe motus præter naturam, & magnitudine ſolum inter ſe differre. [34] Ex motu arteriarum deſumi poſſe, autumat, ſignum multitudinis ſanguinis. [35] Quod vero

[30] Ita *Galenus* de alim. facult. lib. 1. Cap. 1.

[31] *Galenus* de ſimpl. medic. facult. lib. 11. Cap. XIIX.

[32] *Idem* de Hippocr. & Platon. Dogmat. lib. 1. Cap. 111. & IV.

[33] *Idem* de dignoſc. pulſ. lib. 1111. Cap. 11.

* *Idem* an ſang. in arter. nat. cont. Cap. 11.

[34] *Idem* libr. de Tremor. palpit. &c. Cap. 1. IV. VI. IX.

[35] Idem libr. de multitud. Cap.

vero ad cujuſmodicunque corporis ſtatum attinet, ſolis humoribus omnifariam aut ſecundum, aut præter naturam, conſtitutis, eum adſcribit. [36] Galenus, aſſerit, Protagoram Nicarchi filium, (cujus loco D. Clericus ſcripſit Praxagoras, fortaſſis hoc mendum eſt typographi, qui Galeni opera in lucem edidit) decem humorum ſpecies enumeraſſe, ſanguine excepto, qui ipſi eſt undecimus. [37] Si nomina horum humorum, vel ſuccorum, exoptetis, pervolvatis, velim, *Ruffum* Epheſum: Non habilis enim ſum, vacillantem memoriam cauſſor, ſuo quoſque ordine & nominatione appellare. [38] Levitatem inteſtinorum, ait, provenire, quia lubricum ſit inteſtinum, præſertim vero jejunum, hinc inde citiorem ſolita fieri ciborum dejectionem. Neque enim cibos ideo cito, quia indigeſti permaneant, excerni; ſed quia cito egeruntur, idcirco eos nullam ſufferre

Cap. XVI. Et Praxagoras & Philotimus ſentiebant, arteriis, facultatem pulſandi eſſe inſitam. Argumentum, quo aſſertum conabantur planum facere erat tale. quod ſiquis carnem ab animalis corpore abſciſſam humi palpitantem depoſuerit, perſpicue inibi arteriarum motum obſervari poſſe. Idem de Hipp. & Plat. dogm. libr. VI. Cap. XII.

[36] Idem in Introd. Cap. IIX.

[37] Idem de nat. fac. libr. II. Cap. IX. in fine.

[38] Hoc modo dictus auctor de appel. Part. corp. hum. lib. I. Cap. XXXVI. *Praxagoras peculiari quodam modo χυμοὶ, ſuccos nominavit,* (1) γλυκὸν *dulcem,* (2) ἰσόκρατον *aequaliter temperatum,* (3) & ὑαλοειδῆ *vitreum:* (cujus etiam meminit *Galenus* de differ. febr. lib. II. Cap. VI.) *hos a pituitæ ſpecie ſic vocavit. Item* (4) ὀξὺ *acidum* (5) νιτρῶδη *nitroſum,* (6) ἁλυκὸν *ſalſum,* (7) & πικρὸν *amarum: hos ita, ut guſtus indicat, appellavit. Alios præterea* (8) πρασοειδη *quidem porraceum ex colore* (9) λεκιθώδη *vero vitellinum ex craſſitudine: alios quoque* (10) ξυστικον *quidem, raſorium aut vellicatorium, quia efficit roſionem, ſeu vellicationem:* (11) στάσιμον *vero ſtabilem ſeu fixum, quod in venis inhæreant, neque in carnem permanent, quod illi* στάσιμοι χυμοὶ *tenues venoſique ſint.*

concoctionem. [39] In vena cava initium esse febrium statuit. [40] Et Praxagoras, & ejus discipulus Herophilus, inter se quidem consentiebant, quod solis humoribus corporis, quicquid vel secundum, vel præter naturam in nobis contingit, tribui debeat. [41] Verum circa caussam tremoris non fuit utrisque eadem contentio, ille arteriarum affectum: hic autem propter nervorum genus malum semper consistere, asserebat. [42] Cæterum Herophilus, subtilioris sectæ conditor, teste Plinio, [43] non magnipendebat ire per solitudines, & quærere herbas alias aliis diebus anni, ut id majoribus in more erat positum, sed gratius erat in ejus schola sedere, & verborum inanium auditioni operam dare. Agebant enim ætatem in perquirendis morborum caussis, in describendo venarum pulsu per ætatum gradus in musicos pedes, & in cæteris hujus generis quæstionibus subtilibus. Haud diu ejus secta duravit, quoniam necesse erat in ea literas scire, [44] quarum plerique homines, velut & nunc assolet, fastidiosi. Placita ejus perpauca tempus, rerum edax, nobis reservavit; ea propter imperfectam solum ejus doctrinæ cognitionem habere possumus. v. g. omne vitium, quod adversam valetudinem creat, in humidis posuit. † Porro statuit quatuor facultates, quæ animalia moderantur: [45] an vero hæ sint eædem, quæ a nonnullis

[39] *Galenus* in Aphor. Hipp. lib. VI. §. 1.

[40] *Rufus* Ephes. de appel. part. corp. hom. lib. 1. Cap. XXX. *Galenus* de differ. febr. libr. II. Cap. XVIII. in fine: de caussa Synochæ differens, paulo post subjungit, Praxagoram existimasse febres oriri ab humorum in vena cava putrefactione.

[41] *Galenus* in Introd. Cap. IIX. Celsus in Præfat.

[42] Idem de palpitat Tremor., &c. Cap. IX.

[43] Hist. Nat. libr. XXVI. Cap. II.

[44] Idem libr. XXIX. Cap. I. † *Celsus* in Præf. lib. I.

[45] *Galenus* de dignosc. puls. libr. II. Cap. III.

nullis naturales vocantur? an aliæ? incertum. Equidem ſectatores ejus facultatem continendi, quæ corpora quælibetcunque coerceat, ne diſſolvant dilabanturve, Stoicorum more credebant: ignorabant tamen an aër, an ignis, an utrique in cauſſa ſint, ut omnigena corpora naturalem ſervent ſtatum. [46] Introduxit etiam Herophilus trium temporum notationem. *

Hoc loco ego. Quandoquidem pulſus fuit mentio facta, dic nobis, quæſo, quid veteres de eo ſenſerunt?

Poſtulas negotium, inquit *Angelus*, non unius horæ, imo ne diei quidem, a me perficiundum: adeo multa enim veteres de hoc diſputarunt. Quod autem non omnium in doctrina pulſus fuerit conſenſus, apparet ex tam variis variorum auctorum pulſus definitionibus, quarum apud Galenum mentio fit. Aliter enim eum deſcripſit Eraſiſtratus. [47] Aſclepiades, [48] Heraclitus Tarentinus [49] Alexander Philalethes, [50] Demoſthenes Philaletes, [51] Bachius,

[46] *Idem* de Multitud. Cap. IV.

* Ita latine reddunt vocabula græca τρίχρονον σημειωσιν. Quid autem hæc *tritemporaria* notatio ſit, puto nobis innoteſcere, ſi humorum multitudinem, tanquam exemplum, proponam. Ejus notatio e tempore deſumpta *præterito* eſt, otioſa vita, ut & excernendorum ultra modum retentio: e *præſenti*, id ipſum, quod eſt adimpleri, & ulceroſa diſpoſitio, pigritia, corporis univerſi gravitas, rubor, vaſorum diſtentio, &c. e *futuro* denique, quod Medicus iis, qui ejuſmodi corporis habitu præditi, evacuando humores ſit opem allaturus, vide *Galenum* de Multitud. Cap. XII.

[47] Is dixit *pulſum eſſe motum arteriarum per diſtentionem & contractionem, quem facultas efficit vitalis & animalis ad implendas arterias, ſpiritum continentes vitalem.* Galenus de diff. pulſ. libr. IV. Cap. II.

[48] Qui dixit *motum eſſe arteriarum per diſtentionem & contractionem, quæ ſpiritu implentur, cum extenuantur: cum conſidunt earum tunicæ, evacuantur. Galenus.* Ibid.

[49] *Pulſum* dixit *motum arteriarum eſſe & cordis.* Idem Cap. III.

[50] Is, pulſum bifariam definivit

Bachius, [52] Ariſtoxenus, [53] Zenon, [54] Chryſermus, [55] Heraclides Erythræus [56] Agathinus, [57] Archigenes, [58] Magnus, [59] Athenæus, [60] Moſchion corrector, [61] Galenus, [62] & alii iterum atque iterum aliter. [63]

finivit (1) ut in *ſubjectis* eſt, ait, eſſe *cordis & arteriarum contractionem atque dilationem citra voluntatem, quæ apparere poſſit:* (2) ut in *conſideratione*, dicit pulſum eſſe, ictum ex *arteriarum perpetuo citra voluntatem motu ad tactum, & intervallum, quod ictum excipit.* Idem Cap. IV.

[51] Is dixit fere eodem modo ut Alexander, ut pulſum ratione ſubjecti eſſe *cordis & arteriarum diſtentionem vel contractionem naturalem, quæ valeat apparere.* Idem Cap. V.

[52] Hic dixit pulſum eſſe diſtentionem & contractionem, quam ſimul fieri in omnibus arteriis. Idem. Cap. VI.

[53] Qui pulſum finivit, quod is ſit functio cordis & arteriarum peculiaris. Idem. Cap. VII.

[54] Hic pulſum dixit eſſe *partium arterioſarum mixtam ex contractione & dilatatione functionem, ex qua eandem omnibus in partibus ordinem conſonum eſſe, ſive æqualibus illa, ſive inæqualibus temporibus abſolvatur.* Idem Cap. IIX.

[55] Is hoc pacto. *Pulſus eſt dilatio & contractio arteriarum, exurgente undique tunica, & in ſe ipſam rurſus conſidente ab animali facultate atque vitali, comitans perpetuo tam ſanitatem quam morbum, ad ſenſum deprehendi potens.* Idem Cap. IX.

[56] Hic dixit *diſtentionem & contractionem arteriarum atque cordis eſſe pulſum, a vitali & animali facultate plurimum valente, effectum.* Idem Cap. X.

[57] Is, *cordis & arteriarum motum dicit pulſum eſſe: vel ſolam arteriarum diſtentionem nominari pulſum.* Idem Cap. XI.

[58] Secundum hunc, *Pulſus eſt cordis & arteriarum diſtentio atque contractio naturalis.* Idem Cap. XII.

[59] Hic dixit pulſum eſſe cordis, eorumque, quæ afficiuntur, in molem elevationem & concidentiam ſenſibilem. Idem Cap. XIII.

[60] Hic ita. *Pulſus eſt diſtentio & contractio cum perſpiratu cordis & arteriarum.* Idem Cap. XIV.

[61] *Is hoc modo.* Pulſus eſt motus peculiaris cordis, arteriarum, venarum, cerebri, ambientiſque hoc membranæ, quæ in una inſpiratione non ſemel, ſed identidem fit. *Idem Cap.* XVI.

[62] *Is dixit.* Pulſum eſſe actionem peculiarem præcipue cordis, deinde arteriarum, quæ diſtentione & contractione moventur a facultate vitali, quo caloris nativi mediocritas retineatur, generetur autem in cerebro ſpiritus animalis. *Cap.* II.

[63] Eadem ratio differentiarum pulſus eſt, quas plerique omnes non uno modo numerant. Herophilus quatuor genera ſtatuit: Magnitudinis utpote, celeritatis, vehementiæ, & rythmi. Totidem etiam Archigenes magnitudinis, vehementiæ, plenitudinis, &

[63] Ut ſectatores Aſclepiadis & Eraſiſtrati, quorum Galenus Cap. XV. & XVII. mentionem facit. Illi dixerunt. Pulſum eſſe diſtentionem & contractionem cordis & arteriarum, quæ non ſemel ſed identidem in una inſpiratione fit: *hi vero*, ut Appollonius Stratonis filius. Pulſus eſt dilatatio arteriæ, quæ ſuperimpletione fit ſpiritus a corde emiſſi: *vel* Pulſus eſt arteriæ dilatatio & contractio, a facultate, quæ illis adjuncta eſt, proportione: *vel* Pulſus eſt dilatatio, quæ facit, ut tactum arteria feriat. Empirici dixerunt pulſum eſſe memoriam affectuum tactus ex arteriarum motu. *Galenus* de dignoſc. pulſ. libr. I. Cap. II. Recentiorum pulſus definitiones, quarum etiam omnigenæ reperiuntur, nunc miſſas facio. Cæterum diſſentiebant quoque veteres inter ſe de modo, qui pulſus fiat. Eorum, qui de familia Eraſiſtrati, opinio erat, *cor primum præ omnibus arteriis diſtendi atque contrahi, inmiſſo autem ab illo in arterias ſpiritu, ſimulatque impleantur, diſtendi: primum ipſi cordi vicinas, deinde, quæ has conſequuntur, mox his proximas, atque ita continenter ad extremas omnium arterias motum penetrare, omni ipſis arteriis facultate vacantibus tum peculiari tum a corde ipſis ſuppeditata, cujus ſe ipſæ ope diſtendant ut cor, contrahantque. At Herophilo in Arterias placebat, quia ſunt cum corde continentes, per tunicas influere ab illo vim, cujus ope perinde atque cor, dum diſtenduntur, ex omnibus partibus, unde poſſint, attrahunt quod impleturum ſuam intercapedinem ſit: dum contrahuntur, reddunt. Itaque eas ſimul uno tempore omnes videri diſtendi & contrahi. Idemque conſtitutum ac cor utriuſque motus ſervare.* Hæc Galenus de differ. pulſ. libr. IV. Cap. VI. Pneumatici arbitrabantur pulſum conſtare ex diſtenſione atque contractione, ut partibus. *Idem* Cap. XII. Et in contractione materiam quandam ab arteriis allici: in diſtentione vero, excerni. Contrarium ſtatuit Galenus. Ibid. Cap. II. Quantum vero attinet ad cauſſam pulſus. v. g. vehementis, Herophilus affirmavit ejus cauſſam eſſe vitalis facultatis robur arteriæ: Athenæus vitalis vigoris vim: Aſclepiades utrumque deridiculo habet & vigores & facultates, eaque omnia dixit eſſe nomina inania: verum retulit cauſſam vehementiæ ad copiam & ſubtilitatem ſpiritus. Eraſiſtratus non vegetæ tunicarum, quæ arteris eſt, facultati, vehementiam pulſus aſſignavit,

& duritiei poſuit. [64] Galenus, recenſita priſcorum ſententia, ponit pulſum differre ratione motus trifariam: unum enim celerem, tardum alterum, & moderatum eſſe tertium, & has ſpecies iterum diſpertit primum in novem, & deinde in ternovenas ſpecies, ita ut in ſumma viginti ſeptem ſint pulſuum ratione motus differentiæ. Ratione diſtentionis novem ipſi ſunt diſtinctiones, tres ſcilicet in longitudine, totidem in latitudine, & totidem in profundo; quibus in ſummam collectis emergunt rurſus viginti ſeptem pulſus ſpecies. Ratione vigoris tres numerat ſpecies, vehementem imbecillem, & medium pulſum. Ratione corporis arteriarum tres, plenum, vacuum & medium, Ratione temporis denique tres, crebrum, rarum, & medium. [65] Superſunt & aliæ pulſus ſpecies, quæ ad aliquam inæqualitatem referuntur; cujuſmodi ab interpretibus ita latine redditæ ſunt, quin & ob defectum latinæ, aliquæ Græcam ſervarunt nomenclaturam, ut pulſus vibratus, [66] dicrotus, [67] caprizans,

vit, ſed a ſpiritus valenter e corde expreſſi per arterias tranſitu, ſenſit reniſum in ictu gigni. Archigenes, in vigore motus arteriarum vehementiam pulſus, ſtatuit. Vide plura. Cap. 11. Lib. 111. de diff. pulſ.

[64] Herophilus hæc pulſuum genera in alias ſpecies diſpertitus eſt, ut ordinis & perturbationis, ut æqualitatis & inæqualitatis: Archigenes vero magnitudini pulſus contra poſitam ſtatuit parvitatem, vehementiæ remiſſionem, plenitudini vacuitatem, & duritiei mollitudinem. Porro, celeritati tarditatem, crebritati raritatem oppoſuit. Idem de diff. pulſ. libr. 11. Cap. 111.

(65) De his vide de diff. pulſ. libr. 1. Cap. 1v. x1v. libr. 11. Cap. 111. Vide etiam *Philaretum* de pulſib. Cap. 1x. qui dictis quinque pulſuum generibus inſuper quinque alia adnumerat, ita ut in ſumma ſint, dena pulſuum genera. In quibus ſingulis vero obſervandam eſſe quantitatem, longitudinis, motionem virturem, qualitatem, ſpiſſitudinis motum, æqualitatem, ordinationem, plenitudinem, concordiam vel rhytmum, & calorem.

[66] In quo magna plerumque arteriarum eſt diſtentio, & partes arteriæ quædam ſuperiora petunt, quædam vero uno eodemque tempore demittuntur.

Gale-

zans, [68] undoſus, [69] decurtatus, [70] innuens, circumnuens, [71] myrmecizon, ſcolecizon, & neſcio quos amplius. [72]

Proh hominum fidem! interpellabat *Lucius*, quam late hominis evagatur ingenium, quot obſcura, & intricata inaniaque non excogitavit, quæ, ab ipſo inventore, vel expoſitore, non credo, unquam intellecta. Luculentum dicti mei nobis exemplum eſt in doctrina de pulſibus. Quis hominum, tametſi per totam vitam ſe ad ejus cognitionem applicuerit, gloriari audet? ſe capere atque diſtinguere poſſe, tot differentes, quotquot ab uno Galeno tantum enumeran-

Galenus de diff. pulſ. libr. 1. Cap. xxv. In pulſu convulſivo omnia mitiora, quam in vibrato, obſervari. Plura de cauſſi. pulſ. libr. 11. Cap. VI.

[67] Seu bis feriens, eſt cum receſſio, quæ creditur, arteriæ non perfecte exequitur, ſed cunctatur, idque pro ſubductionis, aut inhibiti ſpiritus quantitate, dein repititio perfecta debitæ fit contractionis. *Galenus* fin. Medic. Cap. XI.

[68] Græcæ δορκαδίζως, eſt pulſus, qui inſurgendo & extollendo, ſed aliquantum interciſus: deinde citatus differentes motus efficit, ceu caprea, *Philaretus* de pulſ. Cap. X.

[69] Hunc a vermiculante pulſu Galenus libr. 1. Cap. XXIII. de Diff. pulſ. ait magnitudine differre: in illo fluctuationi undarum; at in hoc greſſui vermium aliquid ſimile repertri. De cauſſi. pulſ. libr. 11. Cap. VIII.

[70] Græci hunc vocant μειωρίτον vel μειωρον hoc eſt mutilum vel decurtatum, quoniam in acutum terminatur: vel in hoc arteriarum vigor magis magiſque in partibus remotioribus diſſolvitur. Ibid. Cap. IX.

[71] Hujuſmodi pulſus fiunt ob inæqualitatem quantitatis diſtentionis in diverſis arteriæ partibus; atque hos non ortum ducere a morbo aliquo, vel ab ulla præter naturam cauſſa, ſed a conformatione nativa tantum. *Galenus* de præſag. ex pulſib. libr. 11. Cap. XI. & de diff. pulſ. lib. 1. Cap. XIIX.

[72] His adde Arachnoidem, cujuſmodi pulſus ratione inceſſus dictorum inſectorum ſunt nominationem ſortiti. Et quod ad eorum pulſum naturam ſpectat, hic parvus eſt, ac brevis auræ agitatur movetus: iſte inſtar vermium reptatus; at ille imprimit digitis, arteriæ incumbentibus, ſpeciem formicæ veluti ambulantis: quamobrem & parvus eſt, & obſcurus. Mentio paulo ante facta eſt Rhythmi, quo indicatur pro-

merantur, pulſum ſpecies. Quantum ad me pertinet, perplacet mihi cenſura Celſi, [73] *Venis enim, ait, maxime credimus fallaciſſimæ rei, quia ſæpe iſtæ leniores celerioreſve ſunt & ætate & ſexu & corporum natura, & plerumque ſatis ſano corpore, ſi ſtomachus infirmus eſt, nonnunquam etiam incipiente febre ſubeunt & quieſcunt, ut imbecillus is videri poſſit, cui facile laturo gravis inſtat acceſſio. Contra ſæpe eas concitat & reſolvit ſol & balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeo ut quum primum medicus venit, ſolicitudo ægri dubitantis quomodo ille ſe habere videatur, eas moveat.* Et poſt paulo. Quas venas autem conſpectus medici movet, quamfacile mille res turbant.

Aſſenſum eſt *Lucio*. Tum ego. Tranſacta, inquam, Praxagoræ & Herophili placitorum recenſione, aliquis veſtrum, ſi non moleſtum fuerit, occipiat Chryſippi & Eraſiſtrati, antiquorum longe clariſſimorum medicorum doctrinam tradere.

Idem, interloquebatur *Angelus*, mecum cogitabam, ordinem Hiſtoriæ poſtulare, ut utrorumque mentio fiat. Chryſippum, cognomento Cnidium, [74] Plinius auctor eſt, [75] anteceſſorum placita ingenti garrulitate mutaſſe, eundemque, ut ex Galeni ultro citroque citatis locis, plane aperte probari poteſt, inanibus ac quæſtionibus contentionibus valde fuiſſe deditum. Pluribus verbis enim diſputavit de origine nervo-

proportio partium temporis, quæ quendam ad pulſus inter ipſos habent reſpectum. Heterorhythmus vocatur, ſiquis alterius ætatis habet rhythmum. Pararhythmus vero, ſi quis pulſum habet non omnino, ſed quadantenus ætati conditionique corporis, conformem. Plura ſi libet vide Galenum. d. lib. ut & finition. Cap x.

[73] Cap. VI. lib. III.

[74] Quem Diog. *Laertius* libr. VII. ſcribit Medicum fuiſſe, a quo Eraſiſtratus profeſſus ſe multa didiciſſe.

[75] Hiſt. nat. libr. XXIX. Cap. I.

vorum, de ſede animæ & ejus perturbationibus, de virtutibus deque animæ facultatibus, & aliis hujus generis ſubtilitatibus. [76] Pauca admodum ſuperſunt, e quibus ejus opiniones circa rationalem Medicinam petere poſſumus, præterquam, quod Galenus meminit, eum ſtatuiſſe cordis ventriculum ſiniſtrum non ſanguine, ſed ſpiritu animali plenum. [77] In praxi Medica magni faciebat vinum frigida temperatum, quale eſſe præſentiſſimum adverſus choleram remedium. [78] Sanguinis miſſionem teruncii faciebat. [79] Et, quia is erat Eraſiſtrati, ab Ariſtotelis filia nati, Theophraſto æqualis, [80] præceptor, vero ſimile eſt, utriſque de placitis conveniſſe. Siquidem autem hujus Eraſiſtrati plura, quam illius,

[76] Quarum hinc inde mentio fit in locis, a Galeno in libris de Hippocr. & Platon Dogm., citatis. Verum aliquis mihi poteſt objicere, loca non e Medici, ſed e Philoſophi, ſcriptis Galenum deſumpiſſe: ſiquidem Diogene Laert. ſcriptore liquet inter eruditos, quatuor viros, nomine Chryſippi Orbi literato tunc temporis inclaruiſſe, unum Sapientiæ profeſſorem, duas Medicinæ operam dediſſe, & quartum Georgicorum ſcriptorem. Quid? quod & Philoſophus ſubtilioribus quæſtionibus plerumque immoratus fuit. Verum, qualiſcunque ejuſmodi objectio fuerit; tamen proximum vero habetur mihi Galenum refelliſſe Chryſippi Medici, Theophraſti æqualis, opiniones, quod, puto, apparere ex hoc inprimis, quia Galenus de Dogm. Hipp. & Plat. libr. VII. Cap. I. Citat tres libros rationalium Chryſippi, in quibus eum, atteſtarus, tractaſſe de perturbationibus animi: Citat præterea librum curationum: quos libros ſane video a Laërtio, pleraque, Philoſophi ſcripta enumerante, haud indicatos.

[77] *Galenus* de Hipp. & Platon Dogm. libr. I. Cap. III. Poſuit Chryſippus præterea cor fontem omnium animæ paſſionum eſſe. Cujus aſſerti ergo prolixe a Galeno verbis perſtringitur. libr. tertio de Hip., & Plat. Dogm.

[78] Vide *Galenum* de venæ Sectione adv. Eraſiſtratum. Cap. IX. ubi eundem vocat Eraſiſtratri præceptorem.

[79] *Idem* de ven. ſect. adv. Eraſiſtraticos Cap. V. ubi ſcribit non modo Chryſippum Cnidium, & Eraſiſtratum, ſed etiam Ariſtogenem: & Medium, ſanguinis miſſionem flocci feciſſe.

[80] *Idem* in libr. an ſang. in arter. natur. contin. Cap. VIII.

fragmenta hinc inde occurrunt, non difficile ideoque fore, exiſtimo, ex dicendis traditam utrorumque doctrinam colligere. Breviarium itaque decretorum Eraſiſtrati faciam. Corporis initia ſolidis tribuit, eaque, omiſſis ſpiritibus & humoribus, triplicis generis eſſe ut nervos, venas atque arterias; duplici autem materia regi corpus animale, ſanguine perinde ac alimento, dein ſpiritu, tanquam naturæ in functionibus obeundis adjutore. [81] Calorem, qui nobis eſt, non eſſe innatum, ſed acquiſitum aliunde. [82] Cibum non concoqui, ſed atteri in ventre contendit: [83] Sanguinem nec in arteriis nec in ſiniſtro cordis ventriculo contineri, ſed ſpiritum, & quidem vitalem. [84] Animalem autem ſpiritum ab inſpiratione nutriri; & eundem, non illico per nares ad cerebri ventriculos pervenire, velut Hippocratis ſectatoribus viſum, ſed e corde per arterias in cerebri membranas tranſportari. [85] Herophilus autumavit quidem & cor & arterias omnes inſimul diſtendi contrahique: at Eraſiſtratus contra putavit, cor utpote primum: idque mittere ſpiritum ad arterias, quæ quanto cordi viciniores propioreſve, tanto & ocyus ſpiritu adimpleri, hinc aut diſtendi aut contrahi illas citius. [86] Quo pacto omnis generis humores in corpore gignantur, an ita in ventriculo fiant, an mixti alimentis potius inſint, hoc indagare velle, ad nullum, ait, pertinere Medicinæ uſum; ſed horum per-

[81] *Idem* in Introd. Cap. IIX.

[82] *Idem* in lib. de Nat. Hum. Comm. 1. in Præf.

[83] Idem de nat. fac. libr. II. Cap. VIII. *Celſus* in Præf. libr. 1.

[84] *Idem*. libr. an ſang. in arter. nat. contin. fuſe confutat ſententiam Eraſiſtrati: & libr. de ven. ſect. adv. Eraſiſtratum. Cap. 11. De corde ſpiritu vitali pleno vide *Galenum* libr. 1. Cap. 11. de Hipp. & Plat. Dogm.

[85] *Idem* de utilit. reſpir. Cap. V. §. 10.

[86] *Idem* de differ. pulſ. libr. IV. Cap. VI

(87)

percontationem ſpectare magis ad Phyſicam. [87] Animalia, exiſtimat, proinde ac catenam vel calathum augeſcere grandeſcereve; cuilibetcunque enim ſimilia, & in principio, & in fine apponi ſeu applicari. [88] Nervos, quos conſiderat veluti catenam ſeu chordam, ex tribus diverſis natura loris, nervulo ſcilicet & vena & arteria, contextam, ali ſtatuit a lento tenacique humore, prope nervos reſidente; quam opinionem ſatis perſpectam putat, ſiquidem nervos, ſi elixentur ſi putrefiant, in iſtiuſmodi humorem abire, diſſolvi, converti. [89] Inter viſcera, duxit, ſplenem fruſtra formatum: attamen inter ejus ſectatores aliqui extiterunt, qui hanc principis ſuæ diſciplinæ ſententiam damnarunt, judicaruntque contra, lienem ſuccum ex cibis in uſum jocinoris præparare, ut bonus ſanguis inde generetur. [90] Quantum vero pertinet ad ſanitatem atque ad morbum, tunc ſciatis, velim, non uno modo opiniones Eraſiſtrati traditas, ac ab auctoribus prolatas. Namque memini me aliubi legere Eraſiſtratum exiſtimaſſe nos ægrotare, ſi alimentum nimium vel incoctum aut corruptum ſumamus; contra ſi fuerit factum,

[87] *Idem* de natur. facult. libr. II. Cap. VIII.

[88] *Idem* Cap. III. Quantum vero ad nutritionis modum pertinet, ſciendum eſt, Eraſiſtratum nutrimenti per venas tranſitum ἀνάδοσιν.. i. e. diſtributionem appellaſſe; tranſlationem autem, vel διάδοσιν, quæ in ſingula ſimplicium illorum & inviſibilium nervorum arteriarumque fit. Poſtea tranſitum, qui per venas agitur ſola ſucceſſione pro modo ejus, quod evacuatur. In ultimis autem & ſimplicibus, quæ tenuia juxta & anguſta eſſe, contingere appoſitionem ex vicinis vaſis: in vacuitates eorum, quæ abierunt, nutrimento a lateribus vaſorum attracto & tranſlato. *Ibid.* Cap VI.

[89] *Ibid.* d. c. & libr. de Atra bile. Cap. VII. Ut nervum, ita etiam arteriam ſtatuit trium vaſorum complicationem eſſe, conſtare eandemque e venis, arteriis & nervis. *Idem* an ſang. in arteria nat. contineatur. Cap. IV.

(90)

nos recte valere. [91] Alibi proditum eſt memoriæ, Eraſiſtratum ſolidis partibus corporis ſolum tribuiſſe, quod aliquis aut incolumis ſit, aut valetudinarius. [92] Iterum alibi ſcriptum eſt, arbitratum Eraſiſtratum, quod, quamdiu per venas ſanguis perque arterias ſpiritus vehatur, tamdiu ſanum fore hominem, quamprimum autem vena a cauſſa qualibetcunque violenta diſtenta, reſerata, rupta, ſanguinem tunc, propriis alioqui circumſeptum terminis, in vaſa ſpiritalia, i. e. in arterias incidere, & cauſſam variorum morborum eſſe. Sanguinem namque in arterias transfuſum, ſpiritum a corde delatum, perturbare, illiuſque motum alterare. Sanguine nunc extra receptacula debita in parte principe conſiſtente oriri febrim: in parte autem ignobiliori & in finibus arteriarum ſe condenſante, gigni omnimodas corporis inflammationes. [93] Alibi poſuit febrim a phlegmone, & hanc a plethora, quæ corrivationis auctor eſt, exoriri. [94] Plethoram vero pogigni a copia alimentorum: & ab hac iterum paremptoſim. i. e. caſus ad arteriam fieri. [95] Malam eduliorum digeſtionem exoriri, ſi venter ob imbecillitatem circa illa con-

[90] *Idem* de atr. bil. Cap. VII.

[91] *Idem* in Hiſt phil. CXXXV. Plutarchus de plac. phil. Lib. V. Cap. XXX.

[92] *Idem* in Introduct. Cap. VIII.

[93] Idem de v. s. adverſ. Eraſiſtratum. Cap. III.

[94] *Idem* de cauſſ. procathartic. in med. fere. In libr. de nat. comment. II. §. 22. de Multitud. Cap. IIX. *Celſus* in Præf. Aſt. Plutarchus de plac. phil. libr. V. Cap. XXIX. & Gal. Hiſt. phil. Cap. CXXXIV. memorant Eraſiſtratum febrim definiviſſe, quod ea ſit motio ſanguinis ſpiritus vaſa illapſi, non proficiſcens a noſtra voluntate. Sanguinem in corpore concitatum ſpiritus conceptacula. i. e. arterias, ſubire, inibique cum fuerit calefactus, totum poſtea corpus incendere.

[95] *Galenus* de cauſſ. procathartic. Cap. III. N. Celſus in Præfat. lib. I. Eraſiſtrati excogitatam παρεμπτοσιν circumſcribit hoc modo. Si ſanguis in eas venas, quæ ſpiritui accommodatæ ſunt transfunditur, &c.

(96)

contrahi, adeoque is illa atterere haud valet. [96] Aquam intercutem oboriri existimat ab Hepatis scirrho: anguſtiam quippe viarum inhibere ne sanguis amplius per jecur procedat, [97] at membrorum resolutionem, si quando humores in vasa, spiritui dicata, in nervis desita, quibus voluntarii motus perficiuntur, intercalentur: indolis autem eos, qui nutricationi alias destinati, esse lentæ tenacioriſque, propterea difficulter excerni hoc pacto vitiatos. [98] Suffocari homines in specubus graveolentibus, & ædibus recentiſſime calce oblitis, ut & ab exhalatione prunarum extinctarum, quoniam tenuis in ejuſmodi occaſionibus aër exiſtat, qui ab arteriis neque recipiatur neque contineatur: verum abſque ullo negotio evacuetur, hinc animal quodvis ob inopiam ſpiritus interitui proximum. [99] De cætero Eraſiſtratus maximopere ambiebat rationem, ac in Empiricis, quod eam contemnerent, cavillabatur pertinaciam; idcirco ſuam quibuſque affectibus, tametſi obſcuris, cauſſam aſſignabat: inficiabatur adhæc communem & ſupremam morborum cauſſam eſſe incomprehenſibilem. [100] Tandem Chryſippi, Præceptoris ſui, placita pertinaciter obſervabat: dictorum enim neuter vel ſanguinis miſſionem vel purgationem paulo fortiorem inſtituendam curabat: [101] in horum autem locum, uterque ſubſtituebat

[96] *Galenus* de Nat. fac. libr. II. Cap. IX. Siquis vero interrogaret aſſeclam Eraſiſtrati, quid cauſſæ ſit, quod ventriculus male munere ſuo perfungatur. Id reſponſum tunc ei dabatur. *Non curamus*, inquiebat, *nec curioſi ſumus in ejuſmodi cauſſis inveſtigandis: quoniam hæ non ad Medicum, ſed ad Phyſicum, ſpectant.*

[97] *Ibid.* Cap. VIII.

[98] Idem de atra bile Cap. VI.

[99] Idem de utilit. Reſpir. Cap. IV. §. 8.

[100] *Dioſcorides.* libr. VI. Cap. XXXV.

[101] *Galenus.* de V. S. adverſus Eraſiſtratæos. Cap. XV.

inediam, exercitia, lavacra, &c. [102]

Sed dic, inquam, quare aſpernatus eſt ſanguinis miſſionem Eraſiſtratus? ſiquidem poſitæ conceſſæque ſanguinis multitudinis, ſectione venæ vix præſtantius remedium reperitur.

Ipſe Galenus, inquit *Angelus*, fatetur ſe ex Eraſiſtrati ſcriptis rationem invenire non potuiſſe. Rationes vero eorum, qui erant de familia Eraſiſtratorum, quos memorat Galenus, plenæ ſunt futilitatis. Vos æquos ſermonis mei judices eſtote, numne argumenta, quæ in contemptum neglectionemve miſſionis ſanguinis proferre ſolebant, partim ridicula, partim futilia ſint? Antiqui, ut Apoemantes & Strato, cauſſabantur ſectionem venæ perdifficilem, quoniam vaſa ægre internoſci: vel errore poſſe arteriam incidi. Alii prætendebant quoſdam præ timore mortuos: alii, nos exactam ſanguinis mittendi menſuram ignorare, ſi parum fuerit, ad nullum ægrotantis emolumentum redundare tunc operationem: ſi nimia fuerit ſanguinis miſſio facta, differre tunc eam nihil quicquam a cæde. Alii paremptoſim. i. e. tranſitionem ſpirituum ex arteriis ad venas fieri; non poſſe enim non, quin ſanguinem evacuando per oſculorum aperturam ſpiritus

[102] Idem, de V. S. adv. Eraſiſtratum Cap. XIII. Chryſippus & Eraſiſtratus ideo non adhibebant ſanguinis miſſionem, ut æger, qui propter inflammationes neceſſario in inediis continendus, perdurare poſſit. Etenim eis, qui ex inflammatione ægri, non facile eſſe cibum offere, aſſerebant; ſi jam aliquis in talibus affectibus velit inſuper venam eſſe incidendam, cauſſabantur, periculum fore, ne æger viribus concidat. Et quamquam uterque repletionem ſeu multitudinem ſanguinis admitteret, neuter tamen nolebat idcirco miſſionem ſanguinis eſſe inſtitutendam; ſed diminui ſed exinaniri eundem poſſe, aucta ſudoris & lotii excretione. Ex uſu itidem eſſe cibos, & deambulationes in locis planis non celeriter peractas; interdum lavacra copioſa, ſubinde vomitiones; vide etiam Cap. XVI. de V. S. de Eraſiſtratæor. Qua de cauſſa vero uſum purgantium aſpernarentur, hoc

tus ipſe ſequatur. Alias alii rationes proponebant, quas jam miſſas faciam. [103]

Demiror, inquam, Eraſiſtratum cum ſectatoribus ſuis credidiſſe in arteriis non naturaliter ſanguinem, ſed ſpiritum modo, contineri, quæ argumenta, da nobis, placita ſua roborandi gratia, attulerunt?

Tum *Angelus*, priuſquam, inquit, ad propoſitum reſpondeam, neceſſe eſt, verba paucula de ſpiritu ad mentem Eraſiſtrati facere. Procreari vero ſpiritum putat, ex ambiente nos aëre intra corpus aſſumpto, eumque primo in arterias pulmonis, deinde in cor, inque ortas ab eo arterias, didi: & ejus adminiculo arterias, muſculorumque cavitates, ſiquando eo utpote repletæ, extendi: eundem autem fugere, non mirum, quia tenuis & levis; proinde ſequi, ut is facili negotio recedat, ſine ullo indicio ſui. Contineri ejuſmodi ſpiritum, a corde miniſtratum, in arteriis duntaxat, dixit Eraſiſtratus, & arterias aërem, quem inſpiramus, per univerſum corpus diribere: hæc enim arteriarum munia eſſe: Sin autem aliquis objectaret ſanguinem protinus effluere ex arteria ſaucia-ta: oggerebat ille primo ſpiritum exire, hunc au-

hoc argumento agebant. Nimirum quoſlibet humores tam in purgationibus, quam ſanguinis egreſſu, pariter evacuari, unde nec purgare revera quicquam, ſed cum immutatione quadam, & evacuandorum corruptela inaniri. *Idem* Gal. de purg. medic. fac. Cap. IV. De cætero Eraſiſtratus monet medicos, ut in curatione ægrorum advertant, quibus rebus hi aſueverint, aut deſuerint. Quod ni bene a Medicis obſervatum fuerit, perraro eos fauſto ſucceſſu ægris opem allaturos. *Idem* de aſuetud Cap. II. Præterea in præparandis medicamentis ſupervacuam, curioſamque damnavit eorum diligentiam, qui foſſilia, & alia, remedia a feris, & terra & mari deprompta confundant: expedire potius, ratum habuit, ut, omiſſis illis, Medicina in ptiſana, cucurbita, & oleo aqua temperata, collocetur. *Plutarchus* ſympoſ. IV. Quæſt. I.

[103] *Idem* de V. S. adv. Eraſiſtratum Cap. II.

tem e veſtigio cruorem, ut ne locus maneret inanis, ſubſequi. Et ſi alter rurſus inſtaret, an in arteria denudata ligataque ſanguis ſit, nec ne? Reſponſum viciſſim dabat, quamprimum modo pellis detrahatur, e veſtigio tum ſanguinem in arterias transfundi. At quia experimentum fieri nequit, niſi corpus aliqua in parte deglubatur; non deerunt ergo & Eraſiſtrato, & ejus aſſeclis tergiverſationes, quibus adverſariorum opiniones labefactare queunt. [104]

DIA-

[104] *Idem* an ſang. in arter. nat. contin. Cap. II. VII. X. de v. s. adv. Eraſiſtratum Cap. II. Cæterum ut clarior Eraſiſtrati opinio, quam de venis deque arteriis habuit, reddatur. Indicandum eſt, illum ſtatuiſſe venam ſanguinis, & arteriam ſpiritus, eſſe receptaculum. Deinde grandiora receptacula, ubi diviſa fuerint, minora anguſtioraque quidem, ſed etiam numero plura, fieri. Et cum nullus locus datur, ubi circa terminum unius, vas aliud non exiſtat, illa undiquaque per corpus delata, in tam minutos fines deſinere, ut contentus in illis ſanguis præ extremorum oſculorum conniventia intus retineatur: quamobrem, etſi oſcula venarum arteriarumque ſibi mutuo vicina ſint, ſanguinem tamen propriis circumſeptum terminis permanere, quoniam necubi in vaſa ſpiritalia, in arterias puta, transfundi poſſit. Verum enimvero, quamprimum cauſſa quædam violenta advenerit, tum ſanguinem ipſum in arterias transfundi: cum hæ alias in ſtatu naturali ſint tantummodo ſpiritu quodam repletæ. Quemadmodum nunc arteriæ ultro citroque per corpus diſperſæ ſanguine ſint vacuæ, ita etiam Eraſiſtratæi opinabantur, habere ſe pulmonis arterias. Harum ope in unaquaque cordis elevatione ſpiritum e pulmone trahi: & hujus tranſitu fieri pulſum, ei, qui per omnes totius corporis arterias editur, æqualem. Etenim & illarum pulſum non corporis ipſarum functione peragi, ut in corde, ſed ſpiritus tranſmeantis copia: cor enim compreſſum ipſis eum tranſmittere. Verum tamen aliqui arbitabantur, eadem cordis facultate reliquas arterias, & eas, quas pulmo continet, comprimi attollique. Id autem diſcriminis intercedere, quod nativa cordi inſit facultas: arteriis vero ex illo influens. *Idem* de Anat. adm. libr. VII. Cap. III.

DIALOGUS. XI.

De Aſtrologia.

Proſpicienti mihi in munitionem nemoroſam, Laboratorio Academico, quod liberali Nobiliſſimorum & Ampliſſimorum Academiæ noſtræ Curatorum permiſſione incolo, contiguam: forte evenit, ut DD. SYPESTEINIUM, SPOORIUM, utroſque Viros Conſulares, & D. MILANUM, Ædilem Curulem, conficientes ambulationem pomeridianam, prope domum meam conſpicerem. Date mihi veniam, VIRI Ampliſſimi Vos appellandi, inquam, &, ſi otium permiſerit, non dedignemini, demiſſiſſime atque ſubjectiſſime rogo, haſce ædes intrare. Scio equidem ſemper magnificum & præclarum illud Catonis: Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii, rationem extare, opportere: † verum & id ſcio, Vos nunquam minus eſſe otioſos, quam cum ita rerum omnium rudibus videtur.

Tum SYPESTEINUS. Quandoquidem obnixe flagitas, inquit, commorabimur apud te, quantum temporis vacabit ab officio publico. Sed ſalvane res tua eſt etiamnunc?

Enimvero, inquam, hoc tempore ſalva eſt. Namque, poſtquam mihi, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum Ultrajectum tendenti, DEUS. O. M. Vos primum dederit patronos; & Vos, Viri Ampliſſimi, Univerſum hujus Urbis, longe celeberrimæ, Senatum inclytum mihi viciſſim conciliaveritis, non poteſt non, quin ſit ſalva res mea. Et hoc non ſemel atque iterum, ſed perſæpe, ſum expertus: ſiquidem non

† Ita Cicero in Oratione XXXI. pro CN. Plancio.

‡ Ibi-

modo D. van ROYEN, Vir Conſularis; ſed utrique hoc tempore Conſules, DD. VELTHUSIUS & NELLESTEINUS: quin dicam breviter totus, abſit adulandi animus, Ordo Senatorius, Muſis meis, meæque ſaluti proſpexit uſque adeo, ut non poſſim non mihi peregrino, de omnibus, perinde ac de meis Diis propitiis, gratulari ſemper. Et quod ſupereſt, Viri Ampliſſimi, cum omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tamen nihil eſt, quod malim, quam me & gratum eſſe, & videri. Hæc eſt enim, liceat a Cicerone ‡ verba mutuari, una virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Gratus itaque ero, quam diu fuerim memor mei, quamdiu ſpiritus hoſce reget artus. Præco perpetuus veſtrorum ero beneficiorum, quæ non pro merito, ſed gratuita tuli: &, quamvis grates vobis referre debitas non poſſim, non deſinam tamen habere perennes.

Quid opus, inquit, *Sypeſteinus*, tanto verborum apparatu? Conſtat te gratum eſſe.

Sin unquam, inquam, profecto tunc demum, cum huc venerim, expertus ſum, me fauſto natum ſidere.

Hoc loco *Spoorius*. Non putaſſem, inquit, te vel aliquem medicorum, exiſtimare ſidera in nos aliquod jus habere: atque id in primis in fortunam utcunque hominis, vel in adverſam, inque ſecundam ejuſdem valetudinem. Non latere enim te, nec illos, arbitror. DEUM. O. M. luminaria in expanſo cœli eapropter creaſſe, ut diſtinctionem facerent diem inter & noctem, ut eſſent ſigna & tempeſtatum & dierum & annorum. Hic uſus hic finis eſt, quam ob rem Omnipotens hujus Univerſi Conditor, teſte Moſe,

‡ Ibidem.

(1) Ge-

Moſe, [1] aſtra condidit.

Tum ego. Aſtipulor tibi, Vir Ampliſſime, quod cœlo aſtrifero memoratus finis peculiariter tribuatur: attamen an inſuper aſſurgentia, an cadentia aſtra influxu ſuo in aërem, quem continuo inſpiramus, in Tellurem, inque ejus incolas, aliquam potentiam habeant, non indubitatis, concedo, demonſtrationibus nos probare poſſe: verum tamen, an ea cujuſdammodi ratiocinatione inveſtigari nequeat? non eſt, ut hæſitem. Namque non modo veteres Chaldæi, Aſtronomiæ longe peritiſſimi, ponebant, quod terrena conſenſionem, quam ſympathiam vocant, cum cœleſtibus habeant, & ex horum influentiis illa ſemper innoventur: [2] ſed credebant & plurimi medicorum tum veterum, tum recentiorum, complures corporis ægrutidines aſtrorum influxu procreari.

Sed qua ſimilitudine veri, inquit *Spoorius*, poterant unquam tam priſci, quam recentiores, placita ſua facere plana?

Tum *Milanus*. Nituntur plurimum, inquit, hypotheſi ſpecioſa, & auctoritate, vel Ægyptiorum, vel Babyloniorum, ut Petoſyris, ut Necepſonis, & aliorum, hominem ad naturam mundi, ſimilitudinemque formatum, iiſdem principiis, quibus ipſe mundus regitur & continetur, perenniter perpetuitatis ſuſtentari comitibus, ſtatuentium. Adhæc ita corpus hominis, ut mundi, ex quatuor elementorum commixtione, compoſitum, ignis ſcilicet, aquæ, aëris & terræ, ut omnium iſtorum conjunctio, ut auctor eſt Firmicus, temperata animal ad formam divinæ imitationis ornaret: & ita hominem artificio divinæ fabricationis expoſitum, ut in parvo corpore, omnium elementorum vim atque ſubſtantiam, Natura

[1] *Geneſ.* Cap. 1. ℣. XIV.
[2] *Sextus Empiricus* libr. v. adv. Aſtrologos.

tura cogente, conferret, ut divino illi ſpiritui, qui ad ſuſtentationem mortalis corporis, ex cœleſti mente deſcendit, licet fragile, ſimile tamen mundo, pararet hoſpitium. Et hac de cauſſa hominem, quaſi minorem quendam mundum, ſtellas quinque Solem etiam & Lunam ignita ac ſempiterna agitatione ſuſtentare, ut animal, quod ad imitationem mundi factum, ſimili divinitatis ſubſtantia gubernetur. [3] Lunam autem, Firmicus [4] ſtatuit, inprimis mortalium vitæ præcipuam dominatricem, nempe prout ea plurifariam cæteris planetis duodena cœli ſtatione vel vicina, vel diſſita; conjuncta aut oppoſita, extiterit. Quantum vero ad ſubſtantiam humani corporis completo vitæ curſu attinet, tum Firmicus ait, id ſimili ratione, veluti majorem mundum, diſſolutum iri. [5]

Specioſæ quidem cauſſæ ſunt, inquit *Spoorius*, quæ a Te, Vir Nobiliſſime, prolatæ; verum Tuam ſcien-

[3] *Julius Firmicus* libr. v.

[4] Libr. III. Cap. XVI.

[5] Hominem nempe ad imitationem mundi; & ſimilitudinem eſſe formatum, mundi vero ἀποκατάϛασιν. i. e. redintegrationem per ἐκπύρωσιν aut κατακλυσμον fieri conſueviſſe. Namque exuſtionem diluvium, hoc eſt ἐκπύρωσιν κατακλυσμον ſequi. Nulla enim alia re exuſtas res poſſe renaſci, nec ulla re alia ad priſtinam faciem, formamque revocari, niſi admixtiones, atque concretus pulvis favillarum, omnium genitalium ſeminum collectam conceperit fœcunditatem. Haud diſpari ratione corpus hominis eſſe comparatum *Quotieſcunque enim naturali caloris ardore, id nimis laxatum, humorum inundationibus evaporat, ita ſemper, aut ignito ardore decoquitur, aut nimia deſudatione diſſolvitur, nec aliter prudentiſſimi Medicæ artis interpretes, ſubſtantiam humani generis, naturali pronunciant fine diſſolvi, niſi aut humor ignem diſſolverit, aut calore rurſus dominante extinctus medullitus ignis aruerit. Sic omnifariam ad imitationem Mundi hominem artifex Natura compoſuit, ut quicquid ſubſtantiam Mundi aut diſſolvit, aut format, hoc etiam hominem & formaret, & abſolveret* Idem libr. III. Cap. I.

(6) Vi-

ſcientiam non fugere, reor, vera potius, quam ſpecioſa dictu dicenda, quia in utramque partem defendi facili negotio queunt. Quid? quod non dubito aſſeverare, vanam ſuperſtitioſamque eſſe Aſtrologis ſcientiam: judicate enim, quæ poteſt contagio ex infinito pæne intervallo pertinere ad terram: ratum itaque habeo aſtra pleraque, Solem cum Luna excipio, ob dictam immenſam intercapedinem, ſeu intervallum, quo a Tellure diſtant, nulla ad nos mittere effluvia, quæ nos notabiliter afficere valeant.

Et ego, inquit *Milanus*, non eo inficias ſpecioſam ab aſtrologis potius, quam veram, poni rationem: verum tamen non abſurdum mihi habetur, quod præter Solem & Lunam, quorum virtus in hæc inferiora inter omnes homines conſtat, aſtra cætera, quantumvis longiſſime a nobis diſſita, efficiant, ut multifariæ cujuſvis anni oboriantur viciſſitudines, non modo tempeſtatum diverſarum; ſed etiam fertilitatis aut ſterilitatis Terræ, morborum diverſorum adverſus omne genus animantium graſſantium, &c. Namque ſi Sol, ſi Luna, ſoli eſſent omnium effectorum, in hoc globo terraqueo evenientium, auctores, oporteret tunc, ut quolibet anno, quando dicti planetæ anniverſaria viciſſitudine ſive in auſtralem ſive in borealem tendant plagam, eadem effecta producant. Exempli cauſſa quatuor anni tempora deberent ſemper ſe quotannis æquabilia præbere; ſiquidem memorati planetæ eundem ſolent locum in ſignifero orbe, & etiam in meridiano noſtro, occupare, velut antehac, cum aut ver aut æſtas, autumnus aut hyems, eſſet. Aſt quia experimur annum anno calidiorem, frigidiorem, ventoſiorem, ſicciorem, &c. & has cœli qualitates inſequi vel fertilitatem, vel ſterilitatem terræ, tempeſtates, fulmina, turbines, imbres, morbos omnis generis ani-

animantia infeſtantes, & ſexcenta alia: conſequitur inde, & Solem, & Lunam, non ſingulorum effectuum, qui in Tellure noſtra oboriuntur, ſolos & auctores & actores; ſed eſſe præter dictos aliquid, quod talis annorum diverſitatis cauſſa ſit. Scio equidem Deum hoc univerſum moderari, aſt opinor etiam Deum, cum Mundum crearet, ſingulis creaturis ordinem ac motum indidiſſe peculiarem, quem illæ, quamdiu exiſtent, ſervabunt. Deus itaque, ut ad propoſitum redeam, ut inter nos liquet, eſt omnium, quæ in hoc univerſo contingunt, cauſſa univerſalis: ſingulares autem variæ ſunt, ſua cuique individuo propria. Quod autem anni non ſint uniuſmodi, rationem aliam hujus effecti, exiſtimo, nos indagare nequire, quam ſi confugiamus ad peculiares aſtrorum conſtellationes, conjunctiones, poſitus, & neſcio ad quid amplius, de cœlo ſtellifero in hæc ſublunaria effectum ſuum edens.

Et licet tibi concedam, ait *Spoorius*, aliam atque aliam ſiderum poſituram plurimorum effectuum, & Telluri & ejus incolis univerſim ac generatim accidentium, cauſſam eſſe; attamen perſuadere mihi non poſſum, eadem aſtra ſuppeditare cuicunque rei ſingulari privam influentiam, vel contagionem, unde, v. g. aliquis derivare in hominem quemquam omnimodos caſus, morbos, mortem, &c. poſſet, atque præſagire ea etiamnunc futura. Nam dic ſodes, quem calculum ſubducturus eſt Aſtrologus in determinando principio vero hominis, nunc demum nati, vel morbo correpti, vel periculum aliquod ſubeuntis, &c. Quippe Mathematicis ipſis in confeſſo eſt, ignorato vero partus & cæterorum initio, quod horoſcopum, vel genituram vocant, ſe, quamvis accuratiſſimam diligentiam adhibuerint, nullum apoteleſma, vel natalitia prædicta dare, conficereque poſſe:

quo-

quoniam aſtrorum poſitus, ratione commotionis perpetuæ, ſingulis momentis quodammodo varient.

Scio equidem, inquit *Milanus*, quod quidam aſtrologi ſoleant ponere duplex hominis initium, alterum, cum ex concubitu utriuſque ſexus fit conceptus: alterum, cum infans naſcitur: [6] verum utrumque maxime ambiguum eſt, ſiquidem non conſtat prorſus, quo horæ momento, immo ſecundo, adeo accuratum enim calculum ducunt, fœminam concepiſſe; perraro enim, quin dicam nunquam, accerſitur aliquis, qui, dum opus Veneris celebratur, obſervet in horologio, in cœlo, vel & in globo, in aſtrolabio, exactum tempus, ut & aſtrorum poſitum. Eadem ratio partus eſt, ubi interdum infans aliquot horis, imo diebus, diſruptis ſecundis, utero inhæret, antequam vel ob vitium ſui, vel matris, naſcatur. Convenit ideoque mihi tecum de ambiguitate vanitateque ejuſmodi, vel obſervationum, vel prædictionum. Generalem quidem aſtrorum in orbem terrarum influxum agnoſco, eundemque in ejuſdem generis corporibus eodem tempore, ac uno modo efficientiam ſuam edere; at ſingularem ſeu propriam quibuſlibet individuis, pernego.

Et ego, inquit *Spoorius*, conſentio tibi de vanitate Aſtrologorum: & Mathematicis in prædictione, & in notatione cujuſque vitæ ex natali die, minime eſſe credendum. [7] Verum enimvero, quamvis inter nos liqueat vanam maxima ex parte Mathematicorum ſcientiam eſſe, ſciendi percupidus ſum, num & medici ſidera obſervarint, in dandis ſanitatis morborum cauſſarum rationibus, ſive in medicina ægrotis facienda.

Tum

[6] Vide *Cl. Ptolomæi*. Quadripar. libr. III. Cap. 1.

[7] Hæc *Cicero* de Chaldæis libr. II. de divinat. §. 87 & 88.

(8) *Pto-*

Tum *Sypeſteinus*. Enimvero plurimi medicorum, inquit, aſtrorum ſcientiam medico neceſſariam judicarunt. In primis vero priſci Ægyptii eam magni fecerunt, dederuntque pæne de eventu morbi præſagium, quin prius poſituram ſtellarum contemplati fuerint. Imo adeo fuerunt Aſtronomiæ ſtudioſi, ut non dubitarint hominis cujuſlibet temperamentum, incolumitatem, infirmitatem, tempus Medicinam faciendi, &c. ſtellarum adminiculo invenire. [8] Antiquiſſimus Medicinæ auctor, Hippocrates, itidem ſtatuit aſtrorum exteriorem eſſe in corpore circuitum, Solis medium, ad cavitates vero Lunam: [9] & hinc inde monet medicum, ut aſtra obſervet; præſertim vero tempeſtates, quæ circa exortum Caniculæ, Arcturi, juxta & Pleiadum occaſum contingunt. [10] Et plerique veteres Medici, ut auctor eſt Diocles Caryſtius, ſolebant prænotiones morborum ſecundum omnimodas Lunæ luminis & motus viciſſitudines conficere. [11].

Effigiei hominis, inquit *Spoorius*, in faſtis depictæ,

[8] *Ptolomæus* Quadrip. libr. 1. Cap. 111. memorat libros, ab Ægyptiis oſtenſores Medicinæ vocatos, in quibus Aſtrologia, quatenus Medicis uſu venit, fuſe traditur.

[9] Libro de Inſomniis.

[10] Libr. de aëre, aquis & locis. Et libr. 1. de Diæta. Oportet medicum etiam pernoſcere hominis naturam & corporum ſtaturas ac ætates, & ad tempora & ad mutationes ventorum, & ad ſitus regionum, in quibus degunt, & ad anni conſtitutionem, ac ſtatum proportionem. Quin etiam aſtrorum ortus & occaſus cognoſcere oportet, quo mutationes, & exceſſus ciborum ac potuum & ventorum & totius mundi, ex quibus ſane morbi hominibus oriuntur, obſervare ſciat.

[11] Vide librum, cui titulus, Mathematices ſcientiæ prognoſtica de decubitu infirmorum, Galeno adſcriptum. In quo auctor agit, quid rei portendat, ſi aliquis Luna in omnimoda Zodiaci conſtellatione poſita, morbo correptus fuerit. Item Rabi Moſis prognoſes Hippocratis ſecundum variam Lunæ in Orbe ſignifero poſituram. Librum in lucem edidit Alexander de Appellatis cum præfatione Hay.

(12) In

ctæ, mihi venit in mentem, cujus in circumferentia erant duodena ſigna Zodiaci delineata; ſcire aveo cujus gratia ea facta ſit?

Tum *Milanus*. Exiſtimarunt veteres, inquit, ſuam cuique ſideri ditionem in homine eſſe, in qua unumquodque ratione duodecatemorii præcipuas exercere vires. Ita, Manilio [12] auctore, Aries potitur capitis: Taurus colli: Gemini amborum brachiorum: Cancer pectoris: Leo laterum & ſcapulæ: Virgo ilium: Libra clunis: Scorpio inguinis: Sagittarius femoris: Capricornus utrorumque genuum: Aquarius crurum: Piſces denique pedum. Par judicium Planetarum eſto, quibus Aſtrologi quoque peculiaria membra adſcripſerunt, crediderunteque illos in hæc potiſſimum dominari. Scilicet opinati ſunt, Ptolæmæo auctore, [13] Saturni in poteſtate eſſe hominis aurem dextram, ſplenem, veſicam & phlegma: Jovis, tactum, pulmonem, coſtas, cartilaginem, & ſemen genitale: Martis, aurem ſiniſtram, venas & teſticulos: Solis, viſum, cor, cerebrum, & nervos: Veneris, odoratum, carnem, & Epar: Mercurii, linguam, fel atque nares: Lunæ, ſtomachum,

Q

[12] In Aſtronom. libr. II. Cap. XII.

——— *Aries caput eſt ante omnia princeps*
Sortitur, cenſuſque ſui pulcherrima colla,
Taurus, & in Geminis æquali brachia ſorte,
Scribuntur connexa humeris, pectuſque locatum
Sub cancro eſt, laterum regnum, ſcapulæque Leonis.
Virginis in propriam deſcendunt Ilia ſortem.
Libra regit clunes, & Scorpius inguine gaudet.
Centauro femora accedunt, Capricornus utriſque.
Imperat in genibus, crurum fundentis Aquari
Arbitrium eſt, Piſceſque pedum ſibi jura repoſcunt.

De horum duodenorum ſignorum natura, forma, qualitatibuſque omnis generis corporis ægritudines producendi, vide etiam *J. Firmici* libr. II. Cap. XII. ut & libr. Galeno adſcript. de ſpermate Cap. XVI. & XVII.

[13] Quadripart. Libr. III. Cap. XII.

chum, ventrem, muliebriaque pudenda. Paulo aliter Firmicus tradit ſtellarum erraticarum potentias: ſcribit enim [14] Saturnum ex corporis partibus habere dextram aurem ſplenemque ac Melancholiam: Jovem, aurem ſiniſtram & epar: Martem Epar cum Jove, nareſque cum Venere poſſidere. Solem caput, ſpiritumque ac dextrum oculum: Verum una cum Marte nares: Mercurium os linguamque, & orationis humanæ adjutrices manus: Lunam denique ſiniſtrum oculum.

O Curas hominum, interfabatur *Spoorius*, quantum eſt in rebus inane. O delirationem incredibilem: non enim omnis error, ſtultitia eſt dicenda. Quibus rationibus efficitur, da quæſo, Aſtrologorum decreta ſe ita, & non aliter, habere.

Quantum ad me pertinet, inquit *Milanus*, deeſſe ipſis, exiſtimo, rationes inconcuſſas, eſſeque potius plurima, quin dicam omnia, Aſtrologorum decreta, quæ proferunt, mira incredibiliaque otioſi cerebri portenta, figmenta, luſus. Quæ ut facile adſtruuntur, ita & facile deſtruuntur. Nam quis noſtrum non admiratione capitur aſtronomos ſidera plurima nominatione hominis, beſtiarum, &c. cooptaſſe: cum tamen nemo hominum, præter eum, qui talem ſibi fingit, aliquam effigiem ut Virginis, ut Leonis, &c. in cœlo ſtellifero, conſpiciet. Et hæc eſt prima, quam poſuerunt hypotheſin. Huic iterum aliam, non minori, quam prior erat, ambiguitate refertam, apponunt. Exempli gratia. Leo eſt animal in terra calidum, ferox, robuſtum, &c. Igitur Leo eſt ſignum in cœlo fixum, unicorporeum, quadrupes, irrationale, medium inter domeſticum & ſylveſtre, libi-

[14] Libr. 11. Cap. x. & ibi ſtellarum omnium errantium ducatum indicat.

libidinoſum, igneum, Cholericum, &c. & denique homines, qui hoc ſigno naſcuntur, id eſt, ſi Luna in eo fuerit inventa, reges erunt ſimiliter, ac principes, pulchro honorum ſtemmate decorati, divites: ſed infenſo quodam ſuperbiæ ſpiritu elati, ſævi, crudeles, &c. [15] Si jam aliquis, quod primo loco poſitum erat, inficias iverit, corruit omne, quicquid tam debili fundamento ſuperſtructum fuit. Atqui poteſt prima hypotheſis negari, quia non demonſtratum eſt conſtellationes debere ita, ut aſſolet, & non aliter appellari. Gaffarellus videt in aſtris literas Hebraicas, Cruſius videt in Zodiaco duodecim Patriarchas: aliam alius Chimæram videt. Nam prout quiſpiam conſuetis cœli conſtellationibus vel ſtellam annumerarit, vel de illis unicam modo dempſerit, illico alia conſtellationis facies erit. Quæ cum ita ſint, liquet inde ſcientiæ aſtrologorum vanitas, & vis maxima erroris.

At enim, inquit *Spoorius*, crediderintne ſidera & planetas morbos concitare?

Omnino, inquit *Milanus*, ſed nimis prolixus eſſem, ſi planetarum cæterorumque aſtrorum vim morbos producendi enarrare velim. Exempli cauſſa unum atque alterum afferam. A Saturno defluens Luna, ſcribit Firmicus, ſi feratur ad Solem, faciet inſanos, lunaticos, caducos, hydropicos, elephantiacos. A Saturno defluens Luna, ſi Mercurio ſe ſtellæ conjunxerit, & fuerit minuta luminibus, aut ſonum vocis impedit, aut aures obtundit, ſed corpus eorum, qui ſic habuerint, miſera fatigatione deſtillat: facit enim melancholicos, ictericos, ſpleneticos, phthiſicos, hydropicos, pleuriticos, & anguſto meatu cum acer-

[15] Tali pacto ſingula Zodiaci ſigna deſcribit *Firmicus* libr. II. Cap. XII.

bo doloris incommodo veſicæ tumore conſtructos. [16] Eodem modo & Ptolomæus memoriæ prodidit planetas & reliqua aſtra influxu ſuo in animantia omnimodorum cauſſam morborum eſſe. [17] Ita etiam operibus Galeni inſerti ſunt libri prædictionum, ex

[16] Ita idem libr. IV. Cap. II. Pari modo ratiocinatur, ſi defluxio Lunæ ad cæteros planetas contigerit. Cap. III. IV. V. & ſeq. agit de Luna a ſtella quadam erratica ad aliam defluente, & omnigenam corporis valetudinem efficiente. Quantum vero ad cognitionem hujus doctrinæ attinet, eandemque nos facile aſſequturos, ratum habet I. Firmicus in Præf. libr. IV. ſi perpendamus ad diſciplinæ præcepta Lunam aut ſynodicam, aut plenam, aut dichotomon i. e. in duas partes diſſectam, aut monoidem i. e. uniformem, aut amphicyrton i. e. gibboſam, utrimque quaſi inflexam, & per has mutatas formas curſu menſtrui luminis complere *Hæc itaque luminis ejus, vel augmenta, vel damna, & diverſarum formarum mutabiles ſpecies, & primo natalis die, genituram tractantes, & tertio rurſus die debemus diligenter inſpicere*, præcipit auctor, *ac quibus ſe conjungat, & a quibus defluat, vel recedat, & quatenus ſe poſt primam conjunctionem ſecundis conjunctionibus ſociet, quibus etiam præveniens ſe jungat, quando per altum feratur, quas ſtellas trigonica, quas quadrata, quaſve diametra radiatione reſpiciat, quando, & ad quas ſtellas plena feratur, & minuta luminibus, qualiter conditionis ſuæ ſtellis jungatur, quando in eadem parte poſita ſynodica ſe copulatione conjungat, quando eam in iiſdem partibus collocatam, Solem orbe ſuo rapiat, & abſcondat, ut ſic exploratis omnibus, atque tractatis in genituris hominum plenam pronunciandi ſcientiam conſequamur.* Non ſua opinionum commenta hæc eſſe, profitetur Firmicus, ſed omnia, quæ Æſculapio Mercurius, Enichnuſque tradiderunt, quæ Petoſyris explicavit, & Necepſo, quæ Abraham, Orpheus, & Critodemus, ediderunt, cæterique hujus artis antiſcii, perlecta pariter atque collecta, & contrariis ſententiarum diverſitatibus comparata, ſe in libris ſuis perſcripſiſſe.

[17] Vide Quadrip. lib. II. Cap. VIII. ubi ſcribit, Saturnus, ſi quando ſolus fuerit diſpoſitionis dominus, diuturnos efficiet affectus, phthiſin, febrem quartanam, & alios ex humorum coacervatione, oriundos. Jove rerum potiente, ſalubria fore omnia, opinatur: & quando Mars ſolus extiterit gubernator, futuras tunc eſſe mortes repentinas, tertianas & alios morbos acutos & malignos. Venerem, ſi fuerit ſola diſpoſitionis domina, eodem modo ut Jupiter ſolet,

ex aſtris petendarum, pleni. Ejuſdem generis ſunt Rabi Moſis prognoſtica, ut & capſula eburnea auctoris incerti. Ad unum omnes perſuaſum habent juxta omnigena Lunæ in ſignis Zodiaci ſchemata, ut & omnifariam planetarum aut conjunctionem aut disjunctionem oriri omnis generis morbos.

Quandoquidem, inquit *Spoorius*, plurimi credidérunt, aſtrorum influxum tam adverſam, quam ſecundam corpori importare valetudinem, nunquid & aſtra obſervarunt remediorum adminiſtrandorum cauſſa?

Quinimo, inquit *Sypeſtein*, piaculum putabant commiſſurum eum, qui medicamentum purgans Luna creſcente propinaret; item ſanguinis miſſionem vel aliam periculi plenam operationem negabant inſtituendam; ominoſam enim eam habebant, Luna, & cæteris planetis infauſto in ſidere exiſtentibus. [18] Quid,

let, efficere, ut omnia fauſta contingant. Mercurium vero, morbos e ſiccitate ortos, nec non febres quotidianas, tuſſim phthiſin, vomitus, &c. Vide etiam Cap. XII. libr. III. ubi plures hujus generis rationes occurrunt. Item Centiloq. *Hermetis* aphor. 54. 74. & *Omar* libr. III. cap XII. de nativitatibus. Et *Cardanum* in. Ptolomæum & alios ejus libros, quos de Aſtrologia ſcripſit. Item *Rolfincium* de ordin. & method. med. ſpecial. libr. II. Cap. XLV. uſque ad Cap. LIII. In his plurimorum morborum cauſſas ex aſtris defluentibus breviter proponit.

[18] Sic *Bethem*, de horis planetarum ſcribit. Malum eſſe medicinam ſumere vel ſanguinem mittere in hora vel Saturni, vel Martis: bonum in hora vel Jovis vel Veneris: medium in hora Mercurii. *Zahel* itidem auctor eſt, fœtum mortuum ex utero eſſe educendum, Luna & lumine & numero deficiente, deſcendente a cingulo ſignorum ad ſignum ſeptimum. i. e. a medio cœli ad ſeptimum, aſpiciente fortunam a tertio vel quarto aſpectu Martis: inprimis vero negotium ex voto ſucceſſurum Luna de ſignis fœmininis, quæ ſunt directæ aſcenſionis, minime vero in ſigna tortuoſa, aſcendente. Medicinam adverſus ſpaſmum vel dolorem ventris capiendam: vel emplaſtrum loco affecto applicandum eſſe, aſcendente Libra, vel Luna in ea juncta fortunis. Gargariſmum vel vomitum contra morbos capitis in-

quod Crinas Maſſilienſis, ut Plinius tradit, [19] arte geminata, Medicina utpote & Aſtronomia, ut cæteris cautior religioſiorque eſſet, eo veſaniæ pervenit, ut ad ſiderum motus ex ephemeride Mathematica, cibos dandos horaſque obſervandas ſtulte crederet. Apud Ægyptios jamdudum in more erat poſitum, herbas identidem ſecundum cœli conſtellationes colligere. Pamphilus enim apud Galenum meminit libri Mercurii, triginta ſex ſacras horoſcoporum herbas continentis. [20] Quid dicam de quibuſdam Arabibus, deque ſuperſtitioſo Paracelſo? quid hic non blaterat de metallorum aliarumque rerum amuletis, peculiari aſtrorum conſtellatione fabricandis, deque collo appendendis? Quid de collectione plantarum, itidem peculiari aſtrorum conſtellatione, inſtituenda? [21] Crollium Helmontiumque faciam miſſos. Nonne Carrichterus, [22] & familiaris auctor Schroderus, [23] enumerant complura remedia ſimplicia, quæ putant influentiam ſortiri, peculiareſque dotes habere ratione Planetæ, vel ſigni Zodiaci in ea influentis: & tamen quomodocunque hæc ſpecioſa dictu, & mira ingenii ſubtilitate adſtruuntur;

inſtituendum eſſe aſcendente Ariete, aut Luna lumine deficiente, in Ariete, vel Tauro, ex adverſo maximopere cavendum eſſe ab aſpectu Solis ex quarto aſpectu, vel oppoſitione in Ariete propter Solis calorem. Ejuſdem generis monita & cautiones tradit de plurimorum aliarum corporis partium affectuum curatione, quibus enarrandis, quia prolixam deſcriptionem poſtulant, ſuperſedeo.

[19] Hiſt. Nat. Lib. xxix. Cap. 1.

[20] Vide *Galeni* libr. vi. in Præfat. de ſimpl. medic. fac. Egimus de hoc in Dialog. vi. not. 57.

[21] Vide ejus Archidoxa Magica, & paſſim ſcripta ejus.

22] Is peculiarem in lucem edidit librum, quo docet, ſub qua Orbis ſigniferi conſtellatione, quævis herba medicinalis ſit complexa, colligenda, & alii alia adnniſcenda.

[23] In Pharmac. Med. Chym. Cap. ix Habentur & ibi res, quæ ſub ditione cujuſque ſtellæ errantis cadunt.

[24]

tur; nihilominus tamen, quod exploratum quodammodo eſſet, offendimus in omnibus auctoribus nihil. Futilem igitur, abſurdamque aſtrologorum ſcientiam prædicabo; eorum inquam, qui tam incerta, quæ ne umbram quidem veritatis habent, in Medicinam invehere immiſcereve conati ſunt.

Hoc loco *Milanus*. Conſentio Tibi, inquit, in quantum ſpectat oratio tua ad influxum aſtrorum peculiarem in corpora ſingularia: generalem tamen inficiari nolo. Nam, ceu ab exordio confabulationis noſtræ commemoravi, vero mihi videtur ſimillimum, non Solem & Lunam tantum omnis generis tempeſtatum, quæ quotannis aliæ atque aliæ propemodum incidunt, cauſſam eſſe; ſed reliqua ſidera & ſuam contribuere virtutem, ut aut ſerena, aut nubiloſa, aut pluvioſa, aut ventoſa, aut calida, aut frigida, temperatave ſit tempeſtas. Quæ diverſæ anni tempeſtates quoque a veteribus ſedulo obſervatæ ſunt: Uſus quippe eos docuit, quod prout eæ varient, ita etiam plurifarii morbi exoriantur. Eccam cauſſam, quapropter mutabilitatem aëris, ventorum, &c. annuatim fere ad ortum aut occaſum quorundam ſiderum, evenientium, diligentiſſime percontati ſint. Non vacat mihi impræſentiarum, cæteroqui aſſertum meum auctoritate Hippocratis, [24] Adamantii. Ætii, &c. [25] poſſem planum facere.

Etiam cæteri, diſceſſione in *Milani* ſententiam facta, excuſabant labores publicos, ea propter oportere ipſos, ajebant, a me diſcedere.

[24] Libro de aëre, aquis & locis: & libr. Aphoriſm. Sect. III. a §. 1. ad. §. 24.

[25] Vide Ætij. tetrabibl. 1. Serm. III. Cap. CLXIII. & CLXIV. Item Oribaſii Collect. Libr. IX. Cap. II., & IV., quæ ab illo ex Antyllo excerpta. Traditur in his aeris differentia, ſecundum menſtruum Lunæ curſum in Zodiaco, ut & differentia aëris in unoquoque die. Cap. VII. & IX. agit de ventorum natura Cap. IIX. de ortu & occaſu ſiderum.

DIALOGUS. XII.

De placitis Aſclepiadis, Celſi: De Pneumaticæ, & Epiſynthéticæ, & Eclecticæ Sectæ, decretis.

VALLANUM, quocum conjunctiſſime & amantiſſime vivo, inducam iterum diſputantem, quia nulla videtur aptior perſona, quæ de Medicina loquatur, quam ejus, qui hanc diutiſſime tractavit. Percontatoris ANGELUS, interpellatoris vero partes BARCHUSEN aget.

BARC. Veniam abs te, Vir præſtantiſſime, petimus, quod nos te, ex inſperato heic propter ædes tuas vadentem, offendentes, importune appellemus. Si otium habes, liceat nobis te convenire, ac tecum pauliſper colloqui.

VALLAN. Introite modo domum, en fores apertæ, inite hoc triclinium atque foco, quia tempus jam frigidiuſculum eſt, aſſidete. Verum quid novi in arte Medica?

ANG. Ego ſane nihil, quod prorſus novum ſit, ſcio.

BARC. Nec ego.

VALL. Ergo, quod antiquitus traditum eſt, calletis.

BARC. Neque hoc, ob rerum auctorumque copiam, callemus.

VALL. Vos nimis moderate vos geritis; parum abeſt, quin vos vel Æſopo vel Socrati, etiam atque etiam ſe nihil ſcire profitenti, aſſimilem: cum tamen neuter omnium rerum rudis eſſet.

ANG. Immeritis tu nos laudibus extollis, atque quantum ad me pertinet, ſponte confiteor, me indigne

digne tam longe præſtantiſſimis viris aſſimilari. At enimvero, quandoquidem antiquorum mentio facta eſt, incidit mihi in mentem Aſclepiades. Pergratum mihi erit, ſi Tu tibi, Clariſſime VALLANE, qui me ad Medicinam erudiviſti, negotium dares de hujus viri doctrina dicendi. Compertum enim habeo eruditionem tuam; potes itaque, ſi modo volupe fuerit.

VALL. Facis amice, quod de me ita judicas: & quoniam in ſtudio Medico ætatem conſumſi, ſi id, quod tu tribuis, mihi aſſumo, videor id meo jure quodammodo vendicare; morem itaque tibi geram, atque agam pingui Minerva ut ajunt. Aſclepiades Pruſia oriundus, ætate Magni Pompeji erat Romæ primum orandi magiſter, quandoquidem autem in ea arte non ſatis quæſtuoſus eſſet, repente ſe ad Medicinam convertit: atque adeo (ut neceſſe erat homini, qui nec id egiſſet, nec remedia noſſet, oculis uſuque percipienda) torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens omnia abdicavit, totamque Medicinam ad cauſſam revocavit. [1] Eum, vocat Celſus, bonum multarum rerum auctorem. [2] Tullius eo non modo ut medico, ſed etiam ut amico, uſus eſt, & atteſtatur, quod is tum, cum eloquentia vinceret cæteros medicos, Medicinæ facultate uſus ſit, non eloquentiæ. [3] Mithridatis regis legatos & pollicitationes ſprevit: [4] In arte Medica vero ſequutus eſt pleraque Cleophanti, Medici antiqui, præcepta. [5] Inter præclara ejus facinora habetur, quod funeri obvius intellexit, eum vivere, qui efferebatur, quemque etiam uſu vini ſervavit.

[1] Ita *Plinius* H. N. libr. XXVI. Cap. III.
[2] Libr. IV. Cap. IV.
[3] Libr. I. de Oratore.
[4] *Plinius* H. N. libr. VII. Cap. XXXVII.
[5] Hæc *Celſus* libr. III. Cap. XIV.

Tandem ipſe Aſclepiades ſuprema in ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus eſt. [6]

ANG. Quandoquidem Aſclepiades, ut conſtans fama eſt, quondam in Medicina ſingularis fuit, des nobis, velim, placita ejus.

VALL. Dicto tuo perlibenter audiens eſſem, ſi quando Viri hujus ſcripta ad nos perveniſſent: verum, quia hæc injuria temporum deperdita, dabo itaque, quæ ſubciſivis horis ex variis auctoribus excerpſi. Sed ad rem. Aſclepiades ſtatuit, omnia fieri neceſſitate quadam, & nihil ſine cauſſa. Naturam, dixit, nihil aliud eſſe, quam corpus, vel ejus motum. [7] Primordia corporis eſſe atomos, per quas intelligit corpuſcula intellectu cognita, ſine ulla qualitate ſolita, atque ex initio comitata, æternum moventia, quæ ſuo incurſu invicem occurrentia, mutuis ictibus in infinita partium fragmenta ſolvantur, magnitudine atque ſchemate differentia: quæ rurſum eundo, ſibi adjecta vel conjuncta, omnia faciant ſenſibilia, vim in ſemet mutationis habentia, aut per magnitudinem ſui, aut per multitudinem, aut per ſchema, aut per ordinem. Deinde fieri meatus corporis, ex dictorum complexione corpuſculorum, intellectu ſenſos, magnitudine atque ſchemate etiam differentes. Hæc bina nunc, atomi ſcilicet & pori vel meatus corporis, erant Aſclepiadis Elementa, quibus pleraque corporum effecta explicavit. [8] Cæterum aliquando ponebat triplicem, quoſdam morbos explicandi gratia, hypotheſim. Nempe in nobis eſſe quoſdam, qui intelligentia perſpiciuntur, meatus, ſe inter

[6] Sponſione enim maxime facta cum fortuna, ne medicus crederetur, ſi unquam invalidus ullo modo fuiſſet ipſe, & vicit ſuprema in ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus. Plinius libr. VII. Cap. XXXVII.

[7] Cælius *Aurelianus* celer. paſſ. libr. I. Cap. XIV.

[8] *Idem*, ibid.

ter magnitudine distinctos : deinde cum parte humoris & spiritus undique, ratione considerabilium grumorum seu corpusculorum, collectum esse inane innumerabile: tandem perpetuos a morbis emitti vapores, ratione mutabilitatis corporis, aliquando plures, aliquando pauciores. [9].

BARC. Conjectura jampridem, ut nunc a te audio, Asclepiades est assequutus, quam seculo praeterito Sanctorius labore indefesso stabilivit transpirationem, seu exhalationem insensibilem.

VALL. Utique & Hippocratem, [10] & plurimos veterum, non fugit corpus nostrum perspirabile, sed non convenit nobis cum illis de materia & copia perspirationis vel evaporationis. Diapnoem enim, quod vocabulum interpretes latine reddiderunt, diffiatio, transpiratio, perspiratio, dixerunt veteres esse aëris ex corpore attractionem per totum corpus, &

[9] *Sextus Empiricus* adversus Geometras libr. III. *Galenus* vero libr. I. Cap. IV. de Elementis, scribit Asclepiadem foramina & corpuscula posuisse. Galenus libr. I. Cap. XII. & XIII. de nat. fac. auctor est, Asclepiadem statuisse substantiam quandam immutabilem, alterari nesciam, in tenuia dissectam, & vacuitatibus, quas nunc poros vocant, interceptam. Porro nec naturae nec animae propriam ullam substantiam facultatemve esse, sed has primorum corporum, quae & impatibilia & simplicia, certo quodam congressu fieri. Nihil praeterea ex alterius affectu pati: omni substantia naturaliter divisa, atque in elementa, quae cohaerere nequeunt, & in moleculas conscissa. Et quantum ad perceptiones animae spectat, aliqui ex ejus sectatoribus opinabantur, nullam animae ab initio esse insitam. Ideoque perceptionem consequentiae, repugnantiae, divisionis, compositionis, justi, injusti, turpis, honesti, sensuum ope in nobis fieri, ac animal quibusdam imaginationibus, & memoria gubernari. Alii dixerunt nullam animae esse ratiocinandi facultatem, sed sensibus nos pecorum ritu duci, propterea nil quicquam nos renuere posse.

[10] Vide aphor. LXIII. Sect. V. aph. LXXIX. S. VII. & ultim. Sect. VIII. & *Galenum* de sanit. tuenda. libr. VI. Cap. VI.

& rurſus ejuſdem per poros excretionem. [11] Licet nunc alicui veſtrum videatur, aërem tantum, veteres putaſſe, cutis per poros tranſire: attamen Galenus [12] auctor eſt, ſi humores juſto tenuiores, ſi corpus juſto rarius, i. e. ſi patentiores habuerit poros, celerrime corpus tunc diffiatione inſenſibili evacuari, atque adeo macere. Sed, ut ingenue fatear, videtur mihi Sanctorium, Aſclepiadem, juges corporis exhalationes ſtatuentem, aſſecutum fuiſſe; hac tamen diſtinctione, quod ille operationem corporis, quam hic rationis adminiculo inveſtigavit, trutina examinarit indicaritque, quot ac quanta ea pro diverſitate ſex rerum non naturalium diſtincta eſſet.

ANG. Placetne cætera Aſclepiadis dogmata tradere?

VALL. Quinimo pergam prout ea in memoria habeo. Quamquam Aſclepiades, Celſo [13] auctore, ſtatuerit, facilius concoqui cibos varios: tamen, Cæl. Aureliano [14] ſcriptore, negavit ullam cibi concoctionem digeſtionemve in nobis eſſe, ſed ſolutionem ciborum in nobis fieri crudam, & per ſingulas particulas corporis ire, ut per omne tenuis ipſa penetrare videatur. Operationem hanc appellavit *Leptomerem*. Deinde neque ferventis qualitatis, neque frigidæ eſſe, ut cibi attenuantur: neque aliam cauſſam

[11] Ita deſcribitur in finit. Galeni operibus, inſertis Cap. III. Vide etiam Cap. XIV. libr. VIII. de Hipp & Platon. dogmat.

[12] Libr. II. §. 28. in aphoriſm. Hipp.

[13] Libr. III. Cap. VI. opinionem tamen ejus redarguit *Celſus*.

[14] Celer. paſſ. libr. I. Cap. XIV. unde, quæ ſequuntur hauſi. Cæterum Celſo non erat opinio, quam de digeſtione Aſclepiades habuit, ignota; ſcribit enim in præf. libr. I. Aſclepiadis æmulos propoſuiſſe, nihil concoqui, ſed crudam materiam, ſicut aſſumpta eſt, in corpus omne deduci.

cauſſam ciborum per corpus & diſtributionis eſſe, & nutritionis, quam vias receptaculorum nutrimenti diverſas, hinc arteriam, hinc nervum vel venam, vel carnem, vel ſimile quid fieri. Appetentiam credidit viarum majore patefactione & magnitudine fieri in ſtomacho atque ventre: ſitim vero parvarum viarum cauſſa. Excrementa ventris, negavit, aliena eſſe natura; quippe quædam animalia ex ipſis nutriri. Somnum, ſtatuit, fieri ſpiritus ſenſibilis craſſitudine. Negavit ullam nobis ſeu animalem, ſeu vitalem facultatem eſſe: [15] ſed humorum corporis quomodocunque factam ſecretionem fieri ratione omnimodæ meatuum formæ, vel anguſtiæ. [16] Inficiatus eſt quoque ullam rem ab alia poſſe trahi: & ſi aliquis ipſi admirabilem Magnetis facultatem ferrum attrahendi objectaret, diluebat objectum, quod parva ſint corpuſcula, quæ a lapide Magnete reſiliunt, cujuſmodi cum aliis ferri ſimilibus corpuſculis complicando utrorumque complexum efficiant. Dicta corpuſcula autem adeo parva, ut minimorum horum corporum, quæ in aëre circumferuntur, eorum aliqua decies milleſima pars ſint. [17] Quid cauſſæ ſit, ut in pulmone vena ſit arterioſa, & arteria venoſa,

[15] Galenus de multitudine. Cap. VIII.

[16] *Idem* de Natur. fac. libr. I. Cap. XIII. Hujus loci etiam ſunt, quæ habet *Octavius Horatianus* libr. IV. *Aſclepias autem conſentiens*, ait, *eſſentiam atque ſeminis univerſalis hominum vel animalium, item principalis corpuſculi intellectu ſenſam: ſubjectam autem paſtilitatis cruditatem, hoc eſt, novum cibum acceptum ſive nova ſubinde nutrimenta: vult enim ex crudis fieri redhibitiones, ut accepti cibi disjecta materies, in corpuſculis minutata, ſeu cocta, & in lacteum humorem mutata, omnes per corporis partes, ac particulas diſcurrat, atque ita in nares veniens mucilentum faciat liquorem: in veſicula, jecoris fel: non aliter etiam in ſeminales venas cadens, ea cum naturali virtute ſive fabricatione ſemen fieri.*

[17] *Galenus* de Nat. fac. libr. I. Cap. XIV.

noſa, hoc pacto ratiocinatur. In pulmone tantum, ait, arterias motu agi duplici: altero, quem familiarem habet, ex propria videlicet ſubſtantia pulſantes: altero, quem e pulmone, in reſpirando ſemper agitato, nanciſcuntur. Inde arterias immenſis tandem laboribus confectas extenuari: cum e diverſo, quæ aliis corporis partibus inſunt arteriæ, uniuſmodi habeant motum, eundemque moderatum; ideoque eas bene nutriri robuſtaſque eſſe. Venas autem graciles tenueſque in toto corpore eſſe, quia motione careant: Pulmonis vero venas, motum ab hoc viſcere adeptas, fieri craſſas robuſtaſque. [18]

ANG. Memini me legere Aſclepiadis argumenta, ad rationem dictorum vaſorum diverſitatis ſpectantia, a Galeno confutata. Sed quid de ſanitate, quid de morbo ſtatuit?

VALL. Memoravi paulo ante Aſclepiadem poſuiſſe omnimodos meatus corporis. Per hos itaque, ſi ſucci more ſolito percurrerint, ſi nullo fuerint impedimento retenti, ſanitatem ſemper manere: ex adverſo, ſi manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter clauſerint, extemplo morbum inſequi: Moram autem illa facere aut magnitudinis, aut ſchematis, aut multitudinis, aut celerrimi, qui ordinem perrurbat, motus cauſſa, aut viarum flexu, concluſione atque ſquammularum obtruſione, ut in retento ſputo. [19] Solidis itaque corpuſculis tribuit

[18] *Idem* de uſu part. corp. hum. libr. VI. Cap. XIII.

[19] Proinde bifariam accidere, ut corpus ægrotet, ſcilicet aut locorum & viarum differentia, aut ſtatione corpuſculorum. *Aurelianus* celer. paſſ. libr. 1. Cap. XIV.

[20] *Galenus* in Introduct. Cap. VIII. Et *Celſus* in Præf. lib,. 1. literis mandavit, Aſclepiadem contendiſſe, morbos fieri, ſi manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt.

(21)

buit imprimis morborum cauſſam. [20] Namque non eſſe activas atque operantes cauſſas ægritudinum in liquidis conſtitutas, quas ſynecticas vocant, ſed eſſe antecedentes, quas Græci procatarcticas vocant. [21] Manantibus nunc corpuſculis & foraminibus inviſibilibus, tanquam plerorumque morborum cauſſis ſynecticis, poſitis, Aſclepiades cauſſam phrenitidis, lethargiæ pleuritidis, &c. daturus, dixit hos morbos, ſtatione corpuſculorum fieri. Quotidianam majorum corpuſculorum ſtatione fieri aſſeveravit: cito enim ea exantlari atque impleri. Tertianam minorum ſtatione conpuſculorum; quartanam vero minutiſſimorum; ſiquidem ea difficulter impleri atque ex antlari poſſe. [22] Quare autem varii morbi tempore veſpertino vehementiores habeant acceſſiones, in cauſſa eſſe, ait, Naturam, quam veſperi ob aëris craſſitudinem denſatam, inflare corpora, atque acceſſionis initium generare. * Bulimum fieri, opinatus eſt, magnitudine viarum ſtomachi atque ventris. Defectionem, immodicum corporis profluvium, maciemque, viarum raritate procreari. Hydropem oriri perforatione carnis in parvam viarum formulam, quæ potis eſt ſolita corporis alimenta ſeu nutri-

[21] *Cæl. Aurelianus.* celer. paſſ. libr. 1. Cap. XIV.

[22] *Idem* ibidem. Et *Galenus* libr. de palp. Tremor, &c. Cap. XII. *Aſclepiades non ſolum non calorem, ſed neque aliam aliquam naturalem ponens facultatem, omnem febrem propter obthurationes quaſdum corpuſculorum, ſemper in meatibus conſiſtere dicens, in meatuum magnitudinibus differentias ipſius collocans. Sic contendit oſtenditque aliquibus neceſſario rigorem conjunctum eſſe, quibuſdam non.* Ante memoratus *Cæl. Aurelian.* libr. II. Cap. XXXIV. celer. paſſ. Aſclepiadis ad mentem, ſcribit, febriculam eſſe fervorem plurimum in omnibus, ſive plurimis corporis partibus, commutationem pulſus in vehementem ob obtruſionem corpuſculorum factam.

* *Aurelianus* celer. paſſ. libr. 1. Cap. XV.

nutrimenta in aquam vertere. [23] Plenitudinem tandem, quam & plethoram vocant, ſenſit non continentem morborum cauſſam eſſe. Namque ſæpenumero obſervatum, ait, largas inter morbi initia evacuationes factas. Quod ſi nunc ejuſmodi morbi cauſſa continens eſſet plethora, velut hypothetice ponitur, oportere tunc ut æger revaleſcat protinus: ablata enim cauſſa tolli effectum. At quia contrarium in dies obſervari; conſequi igitur ut plenitudo non continens morborum cauſſa ſit. [24] In morbo articulari, duxit, non nervos, ſed carnem dolore affici. [25] Spiritus cohibitionem, ait, caput opplere.

ANG. Habuitne quoque ſingularia circa praxin exercendam placita?

VALL. Maxime habuit. Et primo, cum Aſclepiades ſtatueret officium eſſe Medici ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet, [26] excogitavit quinque res maxime communium auxiliorum, ut abſtinentiam cibi, vini, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes; quæ cnm unuſquiſque ſemetipſum ſibi præſtare poſſe intelligeret, faventibus cunctis, ut eſſent vera, quæ facillima erant, univerſum prope humanum genus circumegit in ſe, non alio modo, quam ſi cœlo emiſſus adveniſſet. Blandimenta varia, ut auctor eſt Plinius, excogitavit, jam ſuſpendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut ſomnos alliceret; jam balineas avidiſſima hominum cupi-

[23] *Idem* libr. 1. Cap. XIV.

[24] Vide *Galenum* contra Julianum, &c. Cap. XI.

[25] *Idem* de loc. affect. libr. II. Cap. VII. ſcribit Aſclepiadem fuiſſe opinatum in articulari morbo nervum affectum, dolore haud quaquam cruciari, quod nihil omnino ſentiat: carnem autem, quamquam non affectam, dolere tamen, utpote a parte vicina compreſſam.

* Idem de Sanit. tuend. libr. III. Cap. IV.

[26] *Celſus* lib. III. Cap. IV.

cupidine inſtituendo; & alia multa dictu grata atque jucunda, magna auctoritate, nec minore fama, inſtituit. Traxit præterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandoque tempeſtive, tum frigidam aquam. [27] Aurelianus [28] ridiculam cenſet Aſclepiadis opinionem, quod poſt cibum dandum vinum propterea interdixerit, ne citius currens corpora pertranſeat, probaveritque e contrario falſum dandum, quo citius corpora penetret, ac ſuos effectus exhibeat. Idem cavillatur cum Aſclepiadis placito, & dicit, hic eſt ille Aſclepiades frigidans atque calefaciens, exantlans atque replens, & contrariis ſemper utens rebus. Cæterum Aſclepiadem adjuvere multa: quorum cura nimis anxia & rudis, ut obruendi ægros veſte, ſudoreſque omni modo ciendi, nunc corpora ad ignes torrendi, ſoleſve aſſiduo quærendi in urbe umbroſa: imo vero tota Italia imperatrice, tum primum penſili balinearum uſu ad infinitum blandientem. Præterea, ſcribit Plinius, [29] in quibuſdam morbis medendi cruciatus detraxit, ut in anginis, quas curabant in fauces organo demiſſo. Damnavit merito & vomitiones, tunc ſupra modum frequentes. Arguit & medicamentorum potus ſtomacho inimicos.

Barc. Impetrare a te precor interfandi veniam. Memoraſti modo Plinium ſcribere, quod Aſclepiades detraxerit medendi cruciatus in Angina. Eam operationem ſcilicet, quam Pharyngo aut Laryngotomiam vocant. Contra memini me legere apud Cælium Aurelianum. In ſynanchicis utpote Aſclepiadem etiam uſum fuiſſe Pharyngotomia, hoc eſt can-

[27] Hæc Plinius. Hiſt. Nat. lib. xxvi. Cap. iii.

[28] Celer. paſſ. libr. ii. Cap. xxxix.

[29] Loco jamjam citato.

næ ſive gutturis ob reſpirationem diviſura: [30] & alibi [31] idem auctor ait, fabuloſam arteriæ aſperæ ob reſpirationem diviſuram, quam laryngotomiam vocant, eſſe: quam operationem a nullo antiquorum traditam, ſed caduca atque temeraria Aſclepiadis inventione affirmatam. Quæ cum ita ſint, neſcio an Plinii an Aureliani ſcriptio fidem habeat?

VALL. Eadem mihi, ac tibi, hæſitantia eſt non modo hujus, ſed & aliorum cauſſa: Memoravi paulo ante Plinium memoriæ mandaſſe, Aſclepiadem quinque communium auxiliorum genera poſuiſſe: Attamen Celſus, auctor gravis, ſcribit [32] illum mentionem trium tantum in peculiari volumine mentionem feciſſe: frictionis nempe & equi, & geſtationis. Itidem ſanguinis miſſionem, ait, nihil a jugulatione differre: veruntamen alibi ratum habet pleuriticis e venis ſanguinem detrahendum, ſed obſervanda climata ſeu diverſas Terræ regiones: ſe enim vidiſſe teſtatur Athenis & Romæ, pleuritide ægros, peracta ſanguinis miſſione, fuiſſe plurimum deteriore conditione: Aſt in Pario atque Helleſponto contrarium eveniſſe. Ita etiam Phreniticis cum dolore ægrotantibus e re fore ſanguinis miſſionem judicavit. Dolorem namque majorum corpuſculorum ſtatione fieri, quam ſola ſanguinis miſſione exantlari poſſe. Quandoquidem vero phrenitici perraro doloribus torquentur;

[30] Celer. paſſ. libr. I. Cap. XIV.

[31] Celer. paſſ. libr. III. Cap. IV. & iterum. ibid. De hinc a veteribus probatam approbat, Aſclepiades ſc. arteriæ diviſuram, ob reſpirationem faciendam, quam laryngotomiam vocant. Ex quibus locis apparet, (1) Aſclepiadem non ſuſtiliſſe talem in anginis medendi cruciatum, ut Plinius memoriæ prodidit, ſed eum ſubinde inſtituiſſe: & (2) Aurelianum non conſentire ſibi, cum modo adſtruit Aſclepiadem ejuſmodi operationem inveniſſe, modo memorat eam a veteribus probatam ſolum approbaſſe.

[32] Libr. II. Cap. XIV.

tur; ſiquidem in iis anguſtiis parvorum corporum facta videatur ſtatio: ideoque ægrotantes inſtituta venæ inciſione, animi deliquio atque frigido corporis torpore affici, aut obmuteſcere, aut delirare. Detracta etenim materia, morbi cauſſam ſuperſtitem craſſeſcere, producereque corporis algorem: quin & cerebri ad membranam ſpiritum vel fervorem ferri, poſuit; ſtatione quippe corpuſculorum adaucta, ingeminari quoque alienationem mentis. [33] Eadem ratio eſt Scribonii, Aſclepiadem ægris medicamenta danda negaſſe, ſcribentis. [34] Celſus auctor eſt, [35] Aſclepiadem fuiſſe cauſſatum, omnia fere medicamenta ſtomachum lædere malique ſucci eſſe, ideoque eundem ad ipſius victus rationem potius omnem curam ſuam tranſtuliſſe. Verum enim, ſiquis probe perſpexerit, quid Aſclepiades? quid auctores optimæ latinitatis voce medicamenti intellexerint? tunc patebit eos indicaſſe quod vim habeat purgationem cumprimis concitandi. Hujus generis medicamento nunc multum antiqui auctores tribuerunt, præcipue tamen Herophilus, deductique ab illo viro, adeo ut nullum morbi genus ſine hoc curarent; putabant enim, materiam, exacta concoctione, ducendo ſæpius alvum, ſubtrahendam eſſe. Aſclepiades medicamenta, puta purgantia, num ſuſtulit? Nequaquam, abuſum improbavit: nam is ipſe, quamvis alvum non toties juxta veterum morem, ſed fere tamen eam in omni morbo ſubduxit: [36] non ut perſuaſum haberet noxium peculiaremque corporis humorem tantum educi, ſed utilitatem, quam inde percipit

[33] Vide Cæl. *Aurel.* lib. I. Cap. XV. & lib. II. Cap. XXII.

[34] In Præfatione ad Caliſtum.

[35] in Præfatione libr. V.

[36] Idem libr. III. Cap. IV.

cipit æger, provenire ratione communis evacuationis, opinatus eſt. [37] Ejectus etiam eſt ab Aſclepiade vomitus; forſitan offenſus eorum eſt conſuetudine, qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem olim Romæ moliebantur: neque illum eapropter reprehendo, neque ob id, quod purgationes, quæ valentibus medicaminibus fiebant, expulerit. De cætero aſtipulor Celſo, [38] dicta ſubmovenda non eſſe perpetuum, ſcribenti, quia corporum temporumque ratio poteſt ea facere neceſſaria, dum & modo, & nonniſi, quum opus eſt, adhibeantur. Quid, quod ille quoque ipſe Aſclepiades, ſi quid jam corruptum eſſet, expelli debere, confeſſus eſt. Itaque non ex toto res condemnanda eſt, ſed in ea quædam paulo ſubtilior obſervatio adhibenda. Quod vero ad cætera medicamentorum genera pertinet, Aſclepiades ea non penitus improbavit; quod ſi ita res ſe haberet, is ipſe non compoſuiſſet librum præparationum Medicamentorum, ex quo fortaſſis Galenus * ea, quorum ſæpenumero mentionem facit, excerpſit. Quid? quod Aſclepiades contendit ultimæ ſortis eſſe medicum, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternaſve compoſitiones & expertas, protinus paratas habeat. † Quæ cum ita ſint, efficitur his rationibus, non uſum,

[37] *Galenus* de Element. libr. 1. Cap. IV. Quid? quod is & ejus ſectatores opinabantur, medicamentum omne, purgandi facultate præditum, quemcunque humorem ad naturam ſuam convertere tranſmutareve, & humorem non talem, qualis e corpore eductus, in corpore antea extitiſſe, ſed ut dixi, taliter vi medicamenti transformatum fuiſſe. Equidem concedebant venæ inciſione, contentos in venis humores indifferenter omnes exire; verum in purgatione non omnes, ſed quoſdam modo exantlari, atque adeo ſanguinem hoc pacto parum reddi. Hæc *Galenus* de purg. med. facult. Cap. II. & IV.

[38] Libr. 1. Cap. III.

* In libris de compoſ. medicam. ſecundum locos.

† Ita *Scribonius Largus* in Præf. ad Caj. Jul. Caliſt.

uſum, ſed abuſum, medicamentorum, reprobaſſe.

ANG. Commemoraſti paulo ante abſtinentiam in numero auxiliorum communium ab Aſclepiade poſitam, nunqua ſuperſunt antiquitatis veſtigia? erudiri pervelim, quæ prodant, quomodo dicta abſtinentia ſit inſtituenda?

VALL. Dictionem ſententiæ meæ iterum a Celſo, [39] qui Aſclepiadem in plurimis ſequutus, repetam, neceſſum eſt. Is autem ſcribit, abſtinentiæ duo genera eſſe, alterum ubi nihil aſſumit æger: alterum, ubi nonniſi quod oportet. Aſclepiades in febre convellendas vires ægri putavit, luce, vigilia, ſiti ingenti: ſic ut ne os quidem primis diebus eluere ſineret, & ubi ægrum triduum per omnia fatigaſſet, quarto die cibo deſtinabat. Antiqui quidem quam integerrimis corporibus alimentum offerebant: verum Aſclepiades inclinata quidem febre, ſed adhuc tamen inhærente. [40] Die, quo æger viribus gravior, jubebat cibum dare pauciſſimum, atque expectato febrium ſtatu, ptiſanam vel hordeum, vel alicam, vel cum beta lenticulam, cujuſmodi edulii genus *Teutlophacen* appellavit. Si febris perſeveraverit, exantlare obtruſiones, jubebat, requiemque corporis adhibere, ac aquam pro potu dare, non plus quam bis in die uſque ad heminam, vel ad ſummum duas, & hunc modum etiam nocte ſervandum: ſic rurſum ſecunda die, tranſacto acceſſionis augmento dandum aliquid de dictis ſorbilibus: quin & altera die, declinante febre, eodem pacto procedendum eſſe: perſeverante vero febri rurſum abſtinere, & præterito ſimilem tertium imitari diem. Adveniente autem ſeptima jam audere ægrum & pane, & piſcibus, & vino uti; ſolvi namque morbum tertia ſæpe periodo.

[39] Libr. II. Cap. XVI. | [40] Idem libr. III. Cap. IV.

Neque enim quotidie cibum ægrotanti offerre nutrireve, duxit neceſſarium, atque id magis, ſi nulla fuerit ſolutio conjuncta ſolo tumore conſtrictis corporibus: hujuſmodi enim quotidianam non poſſe perferre cibi ſumptionem. [41] Et ut brevis ſim, ulterioribus diebus cubantis etiam luxuriæ ſubſcripſit, primis vero tortoris vicem exhibuit. [42] Cæterum erat ipſi in uſu curatio febris in robuſtis inſtituenda, quam vocavit *Philoparabolon*, quaſi vero nunc auſo ſeu facinori temerario ſtuderet. Erat ſcilicet ea traditæ a ſe febrium curationi ſimilis, excepto quod vinum cum melle circa veſperam non, niſi omnino morbus contrarium docuit, dederit: ſin minus, primo ingreſſu ſtatim atque plurimum & extentum, hoc eſt, meracum & ſalſum dedit vinum, quam potionem e vino & aqua ſalſa nominavit *Tethalaſſomenon*, ſenſitque eam potu *Thalaſſomeli*, ex duabus aquæ marinæ & una parte mellis parato, validiorem eſſe, ut & celeriorem præſtare opem. Quod vero ad facultates vini pertinet, arbitratus eſt Aſclepiades, id duplicis generis dotatum virtutibus: aliquando enim id ſudores cohibere, aliquando vero eoſdem prolicere, pari modo fere ut coagulum, quod denſat atque extenuat lac, caſeo interim & ſero ſingillatim exiſtentibus ſeu ſeparatis. Non aliter fere, ac jamjam dictum, vinum quoque vi quodam percutiendi vel præcipitandi donatum, plurimam nutrimenti partem condenſare atque in ſe cogere: plurimam vero diſſolvere attenuareque. [43] Habuit præterea Aſclepiades ſingula-

[41] Hæc e *Cæl. Aureliani* lib. I. Cap. XIV. & XV. celer. paſſ.

[42] Ita *Celſus*. libr. III. Cap. IV.

[43] *Cæl. Aurel.* d. l. & *Galenus* in aphor. Hipp. libr. VII. §. XLVI. ſcribit Aſclepiadem vino, poſt totius corporis evacuationem, tanquam remedio *extenſionum*, uſum fuiſſe.

gulares opiniones de facultatibus tum corporis, tum medicamentorum, de privis medicaminum viribus, deque aliis quæſtionibus ad medicinam ſpectantibus; verum enim vero, quoniam dictarum alibi, [44] mentio facta, ea de cauſſa has faciam miſſas.

ANG. Attamen non denegabis prodere paucis verbis, quid Aſclepiades de frictione deque geſtatione, in communium auxiliorum numero, ab eo collocatis, ſenſit?

VALL. Aſclepiadem quidem, Celſus memoriæ prodidit, [45] latius & dilucidius, ubi & quomodo frictione utendum eſſet, præcipiſſe, nihil tamen reperiviſſe, quod non a vetuſtiſſimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehenſum. [46] Quandoquidem autem hujus auxilii alibi, [47] mentio facta, eapropter indicabo geſtationem, qua Aſclepiades etiam in recenti vehementique febre, præcipueque ardente, ad diſcutiendam eam, dixit, utendam eſſe: [48] vias etenim apertiores fieri geſtatione, nec non ſtationem corpuſculorum tolli, ſiquidem vero & defectio & ſudor febricitantes, incongrua motos geſtatione, plerumque inſequantur: hanc ob cauſſam æſtimavit e re ægri eſſe, ſi nocte, ſi a cibatione, geſtetur. [49] Complura autem genera geſtationis veteribus in uſu erant, adhibebanturque, & pro viribus cujuſque & pro opibus, ne imbecillum hominem nimis digererent, aut humili obeſſent. Celſo auctore geſtationum leviſſima eſt in navi vel in portu, vel in flumine:

[44] Vide Dialog. v. p. 86. 88. 89. 90.

[45] Libr. II. Cap. XIV.

[46] Nimirum, frictione, ſi vehemens ſit, durari corpus: ſi lenis, molliri: ſi multa, minui: modica, implere. Ibid.

[47] In Dialogo VI. p. 34.

[48] *Celſus* libr. II. Cap. V. Tamen Celſus conatum Aſclepiadis redarguit, & ſcribit, id periculoſe fieri, meliuſque quiete ejuſmodi impetus ſuſtineri.

[49] *Cælius Aurelianus.* d. l.

(50)

mine: vehementior in alto mari, navi, vel lectica aut ſcamno: acrior, vehiculo, &c. Atque hæc ipſa & intendi & leniri poſſe: Sin vero nihil horum fuerit, ſuſpendi lectus debere, ait, & moveri: ſi ne id quidem fuerit, at certe uni pedi lecti funiculum eſſe ſubjiciendum, atque ita lectum, huc & illuc manu pellendum. [50] Plinius [51] id ſolum indignatur, unum hominem e leviſſima gente, Aſclepiadem indicat, ſine opibus ullis orſum, vectigalis ſui cauſſa repente leges ſalutis humano generi dediſſe: verum non diu perdurarunt, ſiquidem plerique ex ſectatoribus Aſclepiadis ſectæ Methodicorum ſe adjunxerunt, abrogatis maxima parte, & legibus, & hypotheſibus Aſclepiadis.

BARC. Venit mihi in menten Celſus, cujus tu ſemel atque iterum meminiſti. Neſcio, an is peculiari ſe adoptaverit familiæ, de hoc inter nos judices, velim.

VALL. Licet de ſcriptis Celſi conſtet, eum plane cujuſvis tunc florentis ſectæ decreta ſciviſſe; non conſtat tamen eundem ſe ulli addixiſſe, verum potius, quicquid ex omnibus maxime probabile ſibi videbatur, elegiſſe. Putabat quidem rationalem eſſe debere Medicinam, inſtrui vero ab evidentibus cauſſis, obſcuris omnibus non a cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis, communia inſuper Methodicorum flocci

[50] *Celſus:* Ibid. Antyllus & Herodotus (loca excerpſit *Oribaſius* collect. Medic. libr. VI. Cap. XXIII. & XXV.) commemorant geſtationem, quam fieri in lectica, fulcra habente lineis ab angulo ad angulum per pedes diſtincta: vel fieri in ſella, hancque bifariam inſtitui, vel ſedentibus iis, qui geſtantur, vel jacentibus, vel in vehiculo, vel in navi, commemorant etiam geſtationem curru inſtiruendam: item navi per pontem, geſtationem in bigis. Deſcribunt etiam, quid utilitatis una quæque in valetudine recuperanda afferant. vide quoque *Ætium* in tetr. I. ſerm. III. Cap. VI.

[51] Libr. XXVI. Cap. III.

flocci faciebat, ſiquidem & compreſſorum & fluentium morborum genera diverſa: aliud eſſe enim ſanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere: aliud dejectionibus, aliud torminibus laborare: aliud ſudore digeri, aliud tabe conſumi. Nihil autem horum ſic, ut aliud curari, qua de cauſſa neceſſarium eſſe, ut protinus in his a communi fluentis morbi contemplatione, ad propriam Medicina deſcendat. Atque in hac quoque rurſus aliam proprietatis notitiam ſæpe neceſſariam eſſe, quia non eadem omnibus, etiam in ſimilibus caſibus, opitulentur. In quibus communium inſpectionem contrariam, propriorum autem eſſe ſalutarem. De cætero competere eum, qui propria non noverit, communia tantum intueri; eumque, qui noſſe propria poſſit, illa quidem non negligere, ſed his quoque inſiſtere. [52] Quibus poſitis patet, Celſum, quia cauſſarum abditarum inveſtigationem non magnifecit, ideo non Dogmaticæ; & quia morborum communia non tanti, quanti ſectatores Themiſonis putabant, habuit, eapropter Methodicæ ſectæ, non fuiſſe addictum. Quod ſupereſt in deſcriptione & prædictione morborum in plurimis Hippocratem ſecutus eſt: Aſclepiadem vero in communibus auxiliis. Cætera ex aliis auctoribus, ab ipſo citatis, petivit, Fortaſſis is ipſe plurimarum curationum tum in Medicina clinica, tum chirurgica auctor eſt, quas impræſentiarum tempus mihi non eſt recenſere.

Ang. Neque nos ejuſmodi negotium a te petimus, quoniam Medicinæ mutabilitatis audiendæ amore flagramus, quam illa ſubivit reſpectu omnis generis ſectarum. Et, quod ad me ſpectat, aliquarum perveſtigationi operam navavi, quas ob res nunc eas quadantenus calleo: verum nuper admodum incidit

 forte,

[52] Hæc *Celſus* in Præf. lib. 1.

† In

forte, ut aliquiſpiam in coetu, quo præſens eram, commemoraret Pneumaticam Sectam. Des nobis, obſecro, cognitionem ejus: ſiquidem ego huc uſque variis implicatus negotiis non potui auctores veteres conſulere.

VALL. Vos ipſi, dubio procul non ignoratis, Pneumaticam ſectam a cæteris vocatam, quoniam pleraque omnia corporis effecta ſpiritibus, qui Græce πνευματα vocantur, tribuebant. † Galenus [53] Chryſippum appellat hujus ſectæ proavum; conditor vero & princeps hujus diſciplinæ erat Athenæus Attalus, cujus aſſeclæ pneumatici vocabantur. [54] Celeberrimi etiam in hac fuere Archigenes, a Tralliano [55] diviniſſimus apellatus, Agathinus, Magnus & Herodotus; [56] quorum ſcripta tamen tempus, rerum edax, abſumpſit. Quæ cum ita ſint non poſſum non perfectam ſectæ, ejuſdemque dogmatum, hiſtoriam tradere.

ANG. Redde modo, ſi allubuerit, fragmenta, utut in mentem incidant.

VALL. Princeps familiæ Pneumaticæ, Athenæum volo, calidum, frigidum, humidum & ſiccum, ſtatuit hominis elementa eſſe proxima, & manifeſta, hæc nec ulla egere demonſtratione: [57] proxima autem vocat, quæ propria ſunt & nulli alteri communia. [58] Bina ex his, calidum & frigidum ſcilicet, ait, fungi cauſſarum efficientium: & reliqua, ſiccum videlicet & humidum, materiei munere.

† In introd. *Galeni* Cap. VIII.

[53] De different. pulſ. libr. II. Cap. III. prope finem.

[54] Idem de diff. pulſ. libr. IV. Cap. X.

[55] Libr. VII. Cap. VI.

[56] Horum mentionem facit *Galenus* de diff. pulſ. libr. IV. Cap. V.

[57] Idem de Element. libr. I. Cap. XI.

[58] Ibidem. Cap. XII.

nere. Huic vero elementorum quaternario ulterius quintum, juxta Stoicorum opinionem, addidit, quem ſpiritum vocat. Hunc, putavit, cuncta penetrare, & continere, & gubernare. An hic ſpiritus nunc idem ſit, quem Stoici ἑκτικον. i. e. habitu poſitus vel comparatus : [59] an vero natura? quam ſpiritum eſſe, atque ignis ſpeciem præ ſe ferre, [60] incertum eſt. Quantum ſpectat ad negotium generationis conſentit cum Ariſtotele Athenæus, ſtatuit enim genituram non ex omnium animalis partium eliquatione, verum e ſanguine tantum percocto produci. Deinde poſuit, imo perinde ac pronunciatum quoddam ipſi eſt; impoſſibile utpote eſſe, ut unum animal in ſe habeat utraque ſui ſimile generandi principia, materiam puta & facultatem : hæc duo enim ad generationem poſtulari, arbitratus. Quibus poſitis & conceſſis, concludit ſexui fœminino nullum ſemen genitale eſſe; ſed fœminas materiam generationis, i. e. ſanguinem menſtruum : at mares genuinum ſemen, vitalitate ſeu movendi facultate, præditum, ſuppeditare duntaxat. [61] Cæterum pneumatici antiquum dogma, omne febris genus ex putredine oriri, profitebantur. [62] Rigorem dixerunt totam eſſe affectionem frigidam, quapropter & eum facientis nomine dotatum. [63] Pulſum ſtatuerunt, diſtentione juxta & contractione cordis arteriarumque perfici. [64] Quod ſupereſt, dolendum eſt ſane, hujus ſectæ ſcripta & dogmata interiiſſe. Sectatores ejus

[59] Vide Cap. IIX. Introduct. *Galeni*, unde hæc contraxi.

[60] Ut habet *Diogen. Laertius* libr. VII. prope finem.

[61] *Galenus* de ſemine libr. II. Cap. V. & ſeq.

[62] *Idem* libr. I. Cap. V. de different febr.

[63] *Idem* de palpit. tremor. &c. Cap. X.

[64] *Idem* de differ. pulſ. libr. IV. Cap. XII.

(65)

ejus Galenus frequentiſſime omni laude cumulavit, honorificentiſſimeque appellavit, viros nempe eſſe cum in cæteris, quæ ad artem pertinent, tum maxime in febrium contemplatione, minime contemnendos. [65] Agathinum nominavit virum non vulgarem. [66] Is erat Herodoti præceptor, cui librum ſuum dicavit. [67] Archigenis fit etiam honorifica paſſim mentio: [68] & is erat in diſputando longe pertinaciſſimus: ſtatuebat enim civitatem potius, quam ullum ſectæ placitum, prodendam. [69]

BARCH. Dii voſtram fidem! quæ, quanta hujus viri pertinacia. In religione tuenda quidem, fateor, conſtantiam, ſententiæque perſeverantiam laude dignam haberi; ſed nunquam credidiſſem ulli medico, ſententiam modo ſuam tuendi cauſſa, tantam fuiſſe pertinaciam.

VALL. Quaſi vero religioſi ſolum, & non aliquis medicorum poſſet conſtans eſſe, in propugnando dogmate. Mitto temerariam, irriſione dignam, Archigenis jactantiam; id modo indicare etiam volui, ſemper æmulatores, ſemper propugnatores ſectæ cujuſlibet extitiſſe, qui nihil, niſi quod ſuæ diſciplinæ conforme, putarunt rectum. Quemadmodum Metrodorus nihil, niſi quod Aſclepiades: & Ze-

[65] *Idem* de differ. feb. libr. 1. Cap. v. Præterea aperte ingenueque fatetur, ſe illis magna ex parte de doctrina febrium conſentire, exceptis eis, quæ a Medicis ephemeræ nominantur.

[66] *Idem* in libro, qui de typis ſcripſer. Cap. IV.

[67] *Idem* de differ. pulſ. libr. IV. Cap. XI. Galenus addit Herodotum apud Romanos in exercenda Medicina inclaruiſſe.

[68] Ut libr. III. Cap. IV. de loc. affect. Galenus atteſtatur Archigenem in curandi ratione fuiſſe longe exercitatiſſimum.

[69] *Idem* de diff. pulſ. libr. II. Cap. III. in fine. Proditionem autem, arbitabatur, eſſe, ſi vera dicendo, diſſentiendum ſit de his, quibus ea ſecta defenditur: putabat inſuper, omnia ſua decreta turbari, ſi aliquando vel in uno reprehendatur. *Galenus* d. l. de loc. aff.

Zenon nihil, quam quod Herophilus: & Hermogenes nihil, quam quod Eraſiſtratus: ita Herodotus nihil, quam quod pneumaticus aliquis invenit decrevitque, admirabatur & magni faciebat. [70]

ANG. Probaturne tibi, ut etiam Aretæus in familia pneumaticorum annumeretur.

VALL. Quidni? Perlegenti enim dicti auctoris ſcripta, a me propter fidelem, accuratiſſimaque diligentia traditam, ſignorum morbi doctrinam, magni æſtimata, nullo negotio innoteſcet, in ipſis offendi parilia, ceu modo ſignificavi. Ita Aretæus rationem daturus, quapropter mulieres ſæpius, quam viri nervorum diſtentione tententur, cauſſatur frigidum: & quia illæ inſimul natura humidæ, hinc eas præ viris crebrius ab hoc malo liberari. Verum ſenes cummaxime dicto vitio corripi, in cauſſa autem eſſe frigus pariter & ariditatem ſenectutis. [71] Anginæ cauſſam, exiſtimat eſſe, ſpiritum ſolum, prava converſione in calidiſſimam ſicciſſimamque naturam mutatum, nulla interim corporis parte aliqua inflammatione laborante. [72] Quandoquidem puerorum corpora rara, humida, fluxa, atque crebrior eis, quam adultis, ſit difflatio digeſtiove: hinc illa minus pleuritidi obnoxia: imo pleuritidis omnino expertia eſſe. [73] Vertiginis cauſſam, ait, frigidam eſſe & humidam. [74] Aſthmatis frigus, ſpiritum atque humidum eſſe cauſſas: materiam vero, craſſos atque intrinſecus abditos humores. [75] Morbi regii cauſſam opinatur eſſe calidum fatigatum debilitatumve, quocirca id ipſum in acre atque igneum converti: omne autem humidum in bilem abire, ſeu trans-

[70] *Idem* de ſimpl. Medic. fac. libr. 1. Cap. XXIX.
[71] *Aretæus* de morb. acut. ſign. & cauſſ. lib. 1. Cap. VI.
[72] Ibid. Cap. VII.
[73] Ibid. Cap. X.
[74] *Idem* de diuturn. affect. ſign. & cauſſ. lib. 1. Cap. III.
[75] Ibid. Cap. XI.

transmutari: ignis enim ope id amarum fieri, & bile infici, [76] De cætero reprehendit medicos, qui exiſtimarunt jecoris tantum vitio hunc morbum provenire: contra putat Aretæus, poſſe aliquando vel ventriculum, vel lienem, vel renes, vel laxum inteſtinum. i. e. colon in cauſſa eſſe. Jecur dictum affectum producere, ſi quando aut phlegmone aut ſcirrho opprimatur. Meatibus itaque, per quos bilis ad inteſtinum fluit, dicto modo intercluſis, bilem retro labi, cumque ſanguine miſceri; abs quo ſanguine, bile infecto, inque cuncta membra diffuſo, hæc colore bilis deinceps tingi. Porro arquatum etiam provenire poſſe, ratum habet, ſi ventriculi, ſi inteſtini coli, facultas concoquendi læſa fuerit: in primis vero concoctionem in colo effici, & ab ipſo alimentum in uſum jocinoris digeri. Et hoc modo putat poſſe etiam a cæteris viſceribus, ſive ea nunc alimentum hepati ſuggerant, ſive ab hoc accipiant, aurigonem oriri. Neque enim per canales duntaxat ſenſibiles; verum multo copioſius alimentum a Natura halitus ſub forma per univerſum corpus diſtribui. Etenim tales halitus, quia diſcurrere facile queunt, a natura per ſolidas perque denſas partes dirigi.

Ang. Nuper incidit in manus Philareti libellus de pulſibus. Mihi eum perlegenti oboriebatur dubium, cuinam ſectæ is eſſet adſcribendus. Utrum Eraſiſtrati aſſecla, an Athenæi?

Vall. Verſavi etiam hunc libellum, & quantum in præſentia mei recordor, tunc dictus auctor aut Galeno æqualis aut eo paulo junior, citat enim Galenum. [77] Scribit quidem, in diaſtole attrahi ſubſtan-

[76] Ibid. Cap. xv. Indidem ea verba, quæ ſequuntur, ad compendium contuli.

[77] Cap. ix.

ſtantiam quandam arteriæ, quare intra explicatam arteriam refrigerans aër, vitalem refocillans firmitudinem, ingredi, unde & animalis ſpiritus oboriri: in ſyſtole vero, convenientibus ad centrum extremis arteriæ, id quod ex humorum digeſtione in toto corpore, tanquam fumoſum excrementum eſt contractum, eliminari, excernique. [78] Item arteriam eſſe aëris & ſpiritus naturalis copioſioris, cum modico admodum ſanguine mixti, receptaculum: venam vero ſanguinis, cum exigua naturalis ſpiritus portione confuſi, receptaculum; [79] His dictis tamen non efficitur auctorem memoratum fuiſſe ſectatorem Eraſiſtrati, quia Eraſiſtratæi credebant nihil quicquam ſanguinis in arteriis in ſtatu corporis naturali contineri, ſed merum ſpiritum. Quandoquidem vero alio loco [80] tradit arteriarum pulſus in primis vim caloris frigoriſque in ſpiritibus ſignificare, exiſtimarem potius hujus generis dictionem pneumaticorum ſimilem eſſe. Horum quippe mos erat omnimodum corporis humani ſtatum per qualitates primas, perque ſpiritum explicare.

ANG. Verum concedatur laus veteribus pneumaticis: hos tamen, ſi reviviſcerent, exiſtimo, Wirdigium, ſeculi præteriti ſcriptorem, in loco Coryphæi habituros. Is enim nil niſi ſpiritus peperit.

BARC. Siquidem hic tibi admodum familiaris auctor, da nobis, velim, præcipuorum dogmatum & poſitionum breviarium.

ANG. Morem quidem in præſentia tibi perlibenter gererem: verum vereor, ne imperfectum tradam, mihi etenim memoriola eſt.

BARC. Quorſus iſtuc? Miſſam fac, amabo, ejuſcemodi

[78] *Idem* Cap. II.
[79] Idem. Cap. III.
[80] Cap. x. vide etiam Cap. VI.

cemodi extenuationem tui.

ANG. Faciam itaque, ut potero. Cœlos, Wirdigius credit, eſſe meros ſpiritus, ſeu corpus ſubtiliſſimum atque tenuiſſimum. [81] Aërem, quippe ſpiritus eſt, neceſſario ſentire: ergo etiam ægrotare; eundemque laborare hyeme febre algida: vere, intermittente; & æſtate, febri calida continua cum exacerbatione caloris. [82] Atomos, quia maxime ſunt agiles, appellat ſpiritus. [83] Hominis ſpiritus, ait, eſſe corpus vivum ſubtiliſſimum, tenuiſſimum, calidum mobileque, a ſubtiliſſima maximeque ſincera ſanguinis parte ſecretum. Spiritus autem minerales; ſalinos puta, quos etiam peregrinos vocat, rotundos quidem in ſuperficie eſſe: verum tamen, quia Terræ filii ſunt, atque ab ejus phantaſia generati, idcirco illos eſſe hirſutos, hiſpidoſos, ſenticoſos, aculeatos. [84] Affectiones ſpirituum naturales & præter naturam enumerat adeo multas, ut lingua, ob labilem memoriam, eas non omnes recitare poſſit. [85] Tem-

[81] Lib. 1. Cap. III.
[82] Ibid. Cap. VI. &. §. 4.
[83] Ibid. Cap. VIII. §. 6.
[84] Ibid. Cap. XVI. §. 1. & 2. Eſſe autem ſpiritus hujuſmodi, quia a terra, quæ ſuos habet montes, cautes, ſcopulos acuminatos & prominentes, tanquam a matre, nati.

[85] Sunt autem affectiones ſpirituum naturales, ut eæ libr. 1. §. 12. & 13. ab auctore enumerantur. 1. *Vita ſeu vividitas, vigor, ſenſatio, vis generandi, vegetandi, ſeſe multiplicandi in infinitum, creandi ideas.* 2. *Subtilitas, tenuitas, teneritudo, penetrabilitas, pernicitas, homogeneitas, ſimplicitas, puritas, ſerenitas.* 3. *Caliditas, igneitas, lumen, luminoſitas, pellucidas, claritas, radiatio, illuminatio.* 4. *Nobilitas, levitas, circulatio, ixradiatio, velocitas, influxus, extenſio, robur, activitas.* 5. *Humiditas, dulcedo. Præter naturalis ſpirituum conſtitutio.* 1. *In qualitate, & quidem in denſitate, ſpiſſitudine, craſſitie, nigrore, obſcuritate, tenebricoſitate, partim in impuritate, & atiditate.* 2. *In quantitate aucta vel imminuta.* 3. *In motu concitato & motu imminuto, motu orgaſtico intumeſcentiæ iracundiæ, motu enormontico, & tandem motu trepidationis, vibrationis, convulſionis.*

(86)

Temperare tamen mihi non poſſum, quin lepidam auctoris argumentationem, qua probare conatur ideas eſſe ſpiritus, vobis exhibeam. Ita argumentatur. Quodcunque ſpiritu ſubtilius eſt, hoc eſt ſpiritus. Ideæ ſunt ſpiritibus longe ſubtiliores. Ergo ſpiritus ſunt. Spiritus conſtant igne & humore pingui, idea non. [86] Ipſum corpus humanum, dicit, ſine ſpiritibus, nec ſanum eſſe, nec dici poſſe. [87] Catarrhi cauſſam eſſe ſpiritum frigoris: Eum enim & fugare & necare ſpiritus calidos; quibus fugatis inſequi colliquationem alimenti. [88] Tarantulam, poſtquam hominem pupugerit ſeu icerit, communicare cum homine ideas ſaltarices: canem rabidum, complures caniculorum ideas: cujuſmodi ſubinde in ſaliva inque urina conſpectas. Præterea hoc ipſis peculiare eſſe, ut habeant, fermenti inſtar, multiplicandi ſeſe poteſtatem. [89] Adhæc hydrophobiam eſſe ſymptoma: morbum vero eſſe de genere febris ardentiſſimæ, ortum ex ſpirituum igneorum flagrantia, incendio, ſeu nimia qualitate ignifera: hac de cauſſa etiam ſpiritus igneos, ratione naturæ igneæ, aquam naturaliter averſari. Quapropter autem ſubmerſio hydrophobicos plerumque ſanet, hanc ejus rei rationem, ait: nempe, ſicut copia aqua ſeu diluvium, ignis incendium: ita ſubmergendo hydrophobicum, ſpirituum incendium, & una ideas furibundas caninas, mordaces, invidioſas extingui, obliterari, ſuffocari. [90] Peſtem talem Wirdigius longe omnium atrociſſimam judicat, quæ ex putredine in conflictu quodam occiſorum ac inſepultorum oritur. Ratio

[86] Ibid. Cap. XII. §. 5.
[87] In Proœmio. libr. I. §. 8.
[88] Ibid. Cap. IX. §. 10.
[89] Ibid. Cap. XXIV. §. 21. 23.
[90] Ibid. Cap. XXIX. §. 26. 28.

ipſi in promptu eſt hæc. Miaſmata peſtifera, credit, eſſe ſpiritus, ex cadaveribus militum, in ipſo iracundiæ furore occiſorum, egreſſos, in aëre fluctuantes, ab aliis attractos, furorem vindictamque retinentes, eamque exercere deſiderantes. Et quia animum, indolem, vindictam, & occidendi furorem, in corpora, in qua migrarunt, exerunt, ideo ſpiritus hujuſmodi vocari a nobis occiſores. [91] Metempſychoſin nihil aliud eſſe, quam circuitum & transmigrationem ſpirituum vegetantium in animantia, & animantium in animalia, & animalium in homines, & hominum brutorumque in aëreos, & aëreorum in terram, & terreſtrium iterum in vegetantia. [92] Necromantiæ auctores, ſuperſtioſe credit, eſſe cadaverum ſpiritus frigidos, & ab his totam iſtiuſmodi divinationem dependere: adde exinde inveniri poſſe Medicinam hactenus incognitam, pro coercendis ſpiritibus morboſis, *enormonticis*, copia, caloreque atque orgaſmo, omnifariam corpus humanum afficientibus. Conjectat inſuper ſpiritus hujuſmodi frigidos, forſan eſſe nigros tenebricoſoſque, quoniam facultatem habeant ſpiritus corporis humani radiantes corruſcanteſve extinguendi. [93]

BARC. O delirationem incredibilem! O lepidas anileſque fabulas! Dolendum ſane, quod homines non vulgaris eruditionis vitam in ejuſmodi fabellis fingendis tranſigant. Et quod magis eſt, tunc demum ſe ſibi applauſum conciliaturos exiſtimant, ſi ſtylo ſæpe ſæpius tropos, & hos inter cumprimis catachreſin & hyperbolem, inſeruerint.

VALL.

[91] Ibidem §. 16.

[92] Hanc eſſe rerum naturalium periodum, circulum initio & fine carentem, antiquorum ſerpentem gyratum, ſe ipſum mordentem, caudamque ſuam devorantem. *Ibid.* Cap. xxi. §. 8.

[93] *Ibidem.* Cap. x. §. 10.

VALL. Proinde agis, ac ſi tibi eſſet ſtylus cenſorius, an latet tibi tritum ſermone jampridem adagium? ſua quemque delectare ſententia. Tu tuam, alii ſuam tuentur, magnificant, admirantur. Tamen puto dubium nemini eſſe, quin ea, quanto clarior & magis perſpicua, tanto & probabilior, omnibus habeatur.

ANG. Verum approbatiſſne, ut Mayow, virum limatuli judicii, Pneumaticis quoque in æquo ponam? ſiquidem is etiam mentem ad ſpiritum nitro-aëreum, ab ipſo primum evulgatum, appulit, hujus gratia, ut ejus adminiculo omnis generis corporis actiones explicaret.

VALL. Quin ponatur? attamen eum, opinor, non inter veteres pneumaticos ducendum, ſed ego eundem in numero ſingularis, juxta ac Wirdigium, habeo pneumatici. Utriuſque enim eſt ſingularis de ſpiritibus doctrina.

BARC. Scio amiciſſime ANGELE, te librum Majow ſæpenumero verſaſſe, paucula quædam, inde depromenda, nobis ediſſeras, velim.

ANG. Ceu vero is tibi non adeo notus, atque mihi. Tute namque unus es eorum, qui hypotheſin de ſpiritu nitro-aëreo vacillantem effecit; ſiquidem plurimis argumentationibus effeciſti, ſpiritum nitro-aëreum, ut a Majow ponitur, nuſquam gentium reperiri. Verum, quomodocunque hæc ſint, obtemperabo tamen tibi, & prodam paucula, hinc inde ex auctore deprompta. Sed in viam. Motum muſculorum, ſtatuit, ab efferveſcentia particularum nitro-aërearum & ſalino-ſulpherearum, in motum perniciſſimum una erumpentium ſeu ruentium, concitari: has, ſibi probabile videri, aſſerit, a ſanguine ſeparari: aſt illas a cerebro proſilire, atque eſſe ipſos ſpiritus animales, particulas autem nitro-aëreas ſpirituum

animalium indoli valde ſimiles, inde argumentatur, quia ſubtiliſſimæ, agiles, diſtentuſque capaces ſunt. Spiritibus itaque animalibus. i. e. ſpiritu nitro-aëreo, pro animi arbitrio e cerebro in partem movendam, prodeuntibus, inibique particulis ſalino-ſulphureis occurrentibus non poſſe non, quin fibrillarum contractio fiat, & partis iſtius commotio. Igitur ſpiritus nitro-aëreus particulis ſulphureis commixtus, motus corporis velociſſimi, & nonnunquam plane ignei, auctor eſt. Idem ſpiritus a conſortio particularum ſulphurearum liberatus, maximæ corporis quietis, ut aſſerit, cauſſa eſt. Sudorem eſſe ſalſum, autumat, quia particulæ nitro-aëreæ & ſulphureæ una cum latice ſeroſo foras in cutem populſæ, eundem acrem & penetrantiſſimum reddunt. Et, ut breviter & ſummatim dicam, utramque paginam facit ſpiritus nitro-aëreus, eo nihil mobilius eſt, nihil tranquillius. [94]

BARC. Sane ita ſe habet.

ANG. Venit mihi in mentem nuperæ confabulationis, ubi quidam mentionem fecit ſectæ Epiſyntheticæ & Eclecticæ. Scire aveo, nunqua utriuſque ſectæ ſuperſint placita, &, qui principes fuere?

VALL. Licet de his ſectis anquiſiverim, invenire tamen pervolvendo varios auctores non potui, quo effici poſſit alterutrius doctrina: Dabo nihilominus ſectæ utriuſque reliquias paſſim inventas. Sectæ Epiſyntheticæ (quod vocabulum latine reddunt ſuper compoſita ſecta) alius Agathinum, [95] alius Leonidem Alexandrinum, [96] aſſerit, auctorem eſſe: vocabatur etiam Hectica, i. e. habitu comparata: ſi Agathinus fuerit princeps diſciplinæ, tunc videtur mihi

[94] Vide ejus tractatum, hujus ſpiritus gratia, in lucem editum: ut & ejus libellum de motu muſculorum.

[95] Ut auctor finition. Cap. 11.

[96] Ut auctor Introduct. *Galeno* adſcriptæ. Cap. 111.

mihi eundem in quibuſdam placitis a Pneumaticis diſſenſiſſe. Is enim, ut paulo ante præfatus a Galeno in familia Athenæi habetur; Sin vero Leonides, tunc autumo, eum a Methodicis diſſenſiſſe, ſiquidem cum Lethargum finiverit eſſe obſtructionem ſecundum vias membranarum cum furore mentis, atque febre & moeſtitia, ac preſſura & pulſu magno, more Methodicorum fere locutus eſt. [97] De cætero admittebat cauſſas tam obſcuras, quam evidentes, cum e diverſo Methodici omnia, in corpore oborta, mala per communitates ſuas explicarent tantum. Aſſertionem meam poſſum auctoritate Ætii [98] confirmare. Is, capite de Hydrocephalo, locum e Leonida habet, ubi hic affectionem, ait, oriri, vel a cauſſa obſcura, localibus utpote vaſis ſponte ſua rarefactis, & aquoſa in ipſis eſſentia, quæ cum ſanguine permixta erat, depulſa inque unum locum congregata: vel e cauſſa manifeſta, vaſis nimirum localibus ex plaga aut contuſione ruptis, & ſanguine in ipſis effuſo, poſtmodum rarefacto, atque in eſſentiam fœculentam aut cruentam diſſoluto. Superſunt quidem penes dictum ÆTIUM alia loca e Leonide excerpta, verum, quoniam in his cummaxime agitur de curationibus, ad Chirurgiam in primis ſpectantibus, citra cauſſarum affectionum ratiocinium; hanc ob cauſſam iis ſuperſedeo. Quemadmodum Leonides forſitan a Methodicis defecit, ſine dubio fuit eadem conditio Archigenis, Eclecticæ ſectæ conditoris, quem paulo ante etiam in Pneumaticis annumeravi. Evenit fortaſſis, ut quædam ipſi diſplicerent Athenæi placita, unde occaſionem captavit peculiaria tradendi dogmata. Cujus generis autem hæc fuerint,

[97] *Cal. Aurelianus.* Celer. paſſ. libr. II. Cap. I.

[98] Tetrabibl. II. Serm. II. Cap. I.

liquebit ex quibuſdam locis a Galeno citatis. Senſum eorum, quantum poſſum, compendifactum reddam. Dolores capitis ſine inflammatione obortos, vinculum, quod barbaricum appellat, arcere. Vaſis etenim vehementer compreſſis prohiberi in ipſa incurſionem. In *ſphacelode* Hemicrania arteriam, primo affectam, eandemque inducere dolorem pulſantem perſultantemque, adipiſcique formam rotundam ac horrorem excitare. Nervos, in deſcribendis dolorum ſignis pergit Archigenes, ſubinde intortos diſtendi, indurarique, hinc inde inferri dolores torpentes, dura diſtentione cruciantes; quin & profundos infixos, anguſtiæ plenos, &c. membranas in latum diſcurrentes excitare inæquales dolores, habereque illas interdum ſimile quidpiam *hæmodiæ* propter tranſmiſſionis aſperitatem: ſuperficies & membranas in media carne contentas, ſi afficiantur, inferre dolores dilaniantes. Dolores a perioſtio dependentes proinde affligere ac ſi in ipſis oſſibus conſiſterent. [99] Supersedeo cæteris, quia prolixiora ſunt, quam ut a me recitari

[99] A venis graves & detrahentes, & æqualiter infartos dolores excitari. A carne, & fuſos & laxiores, quapropter non adeo extendi videantur, ſed ægrotantem arbitrari, quaſi ſenſu aſperis quibuſdam rebus impleatur. Muſculi carnem & nervos, imo etiam arterias, proprietatum miſturam in doloribus referre, & efficere frementes, & late ſe diſtendentes, ac ſtupide pulſantes, dolores. Ex reliquis vero ulceroſum dolorem, & in ulceribus leviter acutum, & maxime dulciorem, qui pruriginem inducere poteſt, pertinere ad ſuperficiem. Punctorium profundas partes infeſtare: infixum, cum ad ſinus acceſſerit: ſtimulantem, partim eorum, quæ in loco ſunt, aliquid affectum eſſe, declarare, partim contra, ut pote eum, qui haudquaquam profundas partes occupat: lacerantem autem eſſe, qui in ſinu quodam conſiſtit. Hæc *Galenus* de loc. aff. libr. II. Cap. VII. Capite octavo Archigenis variorum corporis viſcerum dolorum ſingularium deſcriptio traditur. Scilicet Hepatis dolorem eſſe holcimon, i. e *tractorium*, & inhærentem, & torpidum & atrocius moleſtantem. Splenis non eſſe acutum, ſed & gravitatem ſimul & ex-

recitari poſſint: indicare enim iſtis voluit, quomodo ex dolorum differentiis partes affectæ queant inveniri. Utitur tamen aliquando vocabulis, magis aptis ad ſaporem, quam dolorem, exprimendum, qua de cauſſa etiam a Galeno fuſe perſtringitur. Alibi aſſerit Archigenes actiones quaſdam lædi, illæſa ea corporis particula, quæ ipſis deputata eſt. [100] Principatum animæ in corde eſſe. [101] A vaporibus calidis & acribus ad caput delatis, & animalem in cerebro ſpiritum evertentibus, ducit, primum hebetudines quaſdam oculorum fieri; poſtea etiam aurium ſonitus aſſiduos, & gravitatem auditus; augeſcente autem affectione, & oculorum obſcuritatem, & vertiginem. [102] Inſaniam quidem citra febrem, ſed fieri multo ſanguine non putrefacto ad cerebrum confluente: eundem aliquando purum exiſtere, & multitudine ſolum affligi, velut in ebriis: aliquando autem ipſi flavam bilem eſſe admixtam. [103] Poſtquam omnes nervi ſenſum perinde & motum amiſerint, ſideration em appellari affectionem: ſin vero id in parte ſive dextra ſive læva acciderit vocari reſolutionem. Ori-

extenſionem habere, atque ſimilem videri ei, qui ad eliſionem quidem atque expreſſionem, ſed extrinſecus incumbentem renitatur. Renes & auſteros dolores inducere, & cum permanente adſtrictione pungentes veſicam vehementer adſtringentibus affici doloribus, atque intenſionibus punctoriis. Uterum autem acutis, perſultantibus, pungentibus, diſtendentibus, in modum torminum incidentibus. Eum vero taliter dolere, quia ex hujuſmodi mixtione natus ſit: ideoque etiam proprietatis ambiguitatem inducere.

[100] *Idem* de affect. locor. notit. Libr. III. Cap. I.

[101] Ibid Cap. IV.

[102] *AEtius* in tetrabibl. II. Serm. II. Cap. VII. Quod autem aliquis trochum, vel aliam rem gyrantem aſpiciens, vertigine corripiatur in cauſſa eſſe, quod ſpiritus *viſivus* ad trochum, qui circumvolutatur allabens moveatur, & ſimul cum illo circumferatur, atque ſic inæqualem, & turbulentum, ac inordinatum humorum & ſpiritus motum efficiat.

[103] *Ibidem*. Cap. VIII.

ri autem affectionem hanc a copia humorum viſcidorum atque craſſorum, nervos obthurantium. [104] Cœliacæ paſſionis cauſam eſſe aſſiduas ciborum corruptiones, & perigrinorum uſum eduliorum. Eandemque vero eo magis oboriri, quo magis ſeu frigus, ſeu vehemens ardor inſtiterit. [105] Calculos renum a jugi cruditate generari, atque id in primis a copia materiæ crudæ congregata, & ardore circa renes & veſicam exorto, humores iſtiuſmodi aſſante vel torrente, inque lapidem indurante; pari fere modo ut tophi, in aqua reperti, in æreis præſertim balneorum vaſis, excoqui aſſoleant. [106] Hemitritæum ponit in numero intermittentium, atque ducit illud a tertiana & quotidiana ortum: cum contra Agathinus id inter tertianas, a quibus ſola acceſſionis vehementia differat, retulerit. [107] Pleriſque morbis duo eſſe tempora, in altero vigorem ſeu ſtatum, inque altero ejuſdem declinationem, poſuit: medio interim tempore, morbi videlicet incremento, omiſſo. [108] De cætero prolixus admodum eſt in medicamentorum compoſitione, eorundem-

[104] Ibidem. Cap. xxvi i i.

[105] *Idem* tetrabibl. i i i. Serm. 1. Cap. xxxv i i. Non diſſimilem dicto affectui tradit cauſſam volvuli, quem oriri dicit propter continuam ciborum corruptionem: præſertim ſi multi, ſi varii, ſi inſueti, & inter hos cummaxime carnes pingues ingerantur. Subinde etiam plagam mundi in cauſſa eſſe: quandoque copioſam frigidæ potionis potationem: interdum oboriri, inteſtino, in ſcrotum una cum ſtercore, delabente; quod ſi inde violenter retrudatur, inflammatione exfacile affici: aliquando etiam dictum affectum progigni ob veneni potionem, ob induratum ſtercus, circa lactes impactum, in uno loco dolore innitente, ut admota manu duricies tactui ſuccumbat, quem affectum veteres Chordapſon vocaſſe. *Ibid.* Cap. xxvi i i.

[106] Ibidem. Serm. i i i. Cap. iv.

[107] *Galenus* de differ. Febr. Libr. ii. Cap. x.

[108] Idem de morbor. temporib. Cap. ii.

demque virium traditione. Fragmenta plurima etiamnunc reliqua ſunt penes Galenum, Oribaſium. Ætium, &c. Quod ſupereſt, venit mihi in mentem Poſidonius: non iſte Philoſophus, cujus Cicero meminit, quemque familiarem ſuum appellat; [109] ſed is, quem Archigene, ævo Trajani claro, juniorem conjecto, quia ſolet ab Ætio pone Archigenem collocari: imo Poſidonius citat Archigenem, quod non fieri poſſet, niſi fuiſſet junior, vel ſaltem æqualis illorum temporum. Et quoniam inſuper utrorumque ſæpenumero ſub eodem capite fit mentio, quid vetat ſtatuere, utriſque placitorum fuiſſe conformitatem, atque Poſidonium Eclecticæ diſciplinæ, cujus princeps erat Archigenes, ſectatorem fuiſſe. Dabo quædam ejus doctrinæ placita. Anteriore cerebri parte læſa, ſtatuit, imaginationem ſolum lædi: medio autem cerebri ventriculo læſo, rationem perverti: Poſteriore vero circa occipitium parte læſa, perire memoriam, & cum ipſa etiam duas reliquas facultates. [110] Carum oriri, autumat, frigidis & humidis humoribus cerebrum occupantibus. [111] Coma vero, vaporibus calidis & humidis e ſubjectis partibus ad caput delatis, ac ipſum implentibus. [112] Morbum, quem Medici incubum appellant, non eſſe dæmonem, ſed proœmium & prænuncium morbi comitialis, aut inſaniæ, aut ſiderationis. Affectum vero oboriri, ſi quando ventriculi cerebri vaporibus & craſſis, & frigidis impleantur, prohiberi tunc, quo nervi munere ſuo perfungantur. [113] In convulſione, & morbo comitiali, ſtatuit, principium nervorum lædi, a re infeſtante & moleſtiam exhi-

[109] Vide Libr. III. Tuſcul. Quæſt. &c.

[110] *Ætius.* tetrabibl. II. Serm. II. Cap. II.

[111] Ibidem Cap. V.

[112] Ibidem. Cap. VI.

[113] Ibidem. Cap. XII.

bente. Namque prout ſtomachus, aut alimenti copia gravatus, aut ab acri humore vellicatus, non ſolum ſingultum, ſed etiam convulſionem excitat: Similiter principium nervorum, atque ſtomachus, ejuſmodi motionem enormem concitat, dum rejicere conatur, quicquid tandem fuerit id, quod e parte primitus affecta ad ipſum affertur. [114]

BARC. Veſperaſcente die, tempus poſtulat cogitare de itione domum. Tibi autem, Amantiſſime Vallane, propter eruditos ſermones, quorum participes nos feciſti, gratias agimus maximas. Ac ita a Vallano diſceſſimus.

[114] *Ibidem.* Cap. XIII.

DIALOGUS. XIII.

De Placitis Galeni.

VALLANO, LUCIO & PYLSWERDIO, me convenientibus, cœptum inter nos eſt colloquium de doctrina veterum, quomodo ſoleant plerique medici id ætatis eam faſtidire, & nihil, niſi quod novum ſit, exoptare. Næ, inquit *Lucius*, id genus hominum Pſeudolo Plauti [1] ſimile eſt, qui ſtatuebat, quod, qui in ſcenam provenit, novo modo, novum aliquid inventum afferre addeceat, ſi id facere nequeat, det locum illi, qui queat. Ita etiam plurimi recentiorum medicorum judicant neminem oportere aliquid in lucem edere, præterquam novum aliquod inventum ſit. En cauſſam, quare inveteraſcit veterum doctrina.

Tum *Vallanus*. Ain' tu, inquit, inveteraſcere? Nego.

[1] In ſcena ultim. act. 1.

(2) De

Nego. Nam pæne ullum medicorum decretum exiſtit hoc tempore, cujus non antiquitus fuit aliqua mentio facta. Hæc modo temporum noſtrorum felicitas eſt, ut id, quod priſci aſſidua meditatione excogitarunt, recentiores crebrioribus experimentis e Phyſica, quam *experimentalem* vocant, e Mechanica, ex Anatomia, eque Chemia captis, confirmarint, ac ſtabiliverint. Veteres laudandi ſunt, quia invenerunt, & viam monſtrarunt plura indagandi: hodierni autem, quia interpolarunt, ornarunt, addiderunt.

Attamen non diffitere, inquam, ita comparatam eſſe plerorumque recentiſſimorum naturam medicorum, ut, excepto Hippocrate, vix ullum ex veteribus putent lectione dignum, & cæteros, ſive Græcos, ſive Arabes, terruncii habeant. Quotus quiſque crederet? Galenum, cujus dogmata longa annorum ſerie ubique terrarum fere viguerunt, hac ætate oblivioni propemodum tradi, imo haberi, perinde atque ſi is apinas, ſi tricas, memoriæ mandaſſet.

Et ego, inquit *Vallanus*, diu multumque penſavi, quid cauſſæ ſit? ut vix vigeſimus quiſque Medicorum negotium ſibi dederit Galeni opera obiter inſpiciendi. Nulla profecto mihi probabilior habetur, quam quod averſatione magnorum voluminum legendorum capiantur: aut præjudicata laborent opinione; ceu vero Galenus aniles tantum fabellas monumentis prodidiſſet. Fateor, Galenum prolixæ dictionis fuiſſe ſtudioſum: & concedo inſuper, complura, ab ipſo tradita, id temporis magis magiſque expolita; verum an hæ cauſſæ ſint ſonticæ, judicate, ut ejus opera ſint nauci facienda?

Minime gentium, inquam. Verum, quoniam nobis in mentem incidit Galenus, quid vetat pauliſper de doctrina ejus in præſentia differere. Compendium, ſi modo volupe fuerit, dabit nobis Eruditiſſimus

Val-

Vallanus. Is enim, ut noſtis, in Medicina tam veterum, quam recentiorum cummaxime verſatus eſt.

Tu autem, inquit *Vallanus*, qui mihi tantum tribuis, quantum ego nec agnoſco nec poſtulo, facis amice, ſed non recte judicas de facultate ingenii mei, quaſi ego in recitanda auctoris cujuſpiam doctrina ſim promptus, faciliſque ad extemporalitatem uſque.

Tum *Pylſwerdius*. Periclitandæ tamen, inquit, ingenii vires. Quod ſupereſt, nemo noſtrorum dubitat, quin, ſi modo tibi id libebit, poſſis Doctrinæ Galeni aliquod nobis compendium dare.

Siquidem, inquit *Vallanus*, id negotium a me poſtulatis, periculum itaque faciam, neceſſe eſt, facultatis ingenii mei: quamquam mihi haud lateat, me periculoſæ plenum opus aleæ tractaturum; ſed ad rem. Galenus ab ephebis liberalibus diſciplinis enutritus [2] gentilem quidem Religionem profitebatur, verum non adeo tardi erat ingenii, ut crederet plures, ſed unicum univerſi Conditorem. Exiſtimabat inſuper in hoc ſitam eſſe veram cujuſvis pietatem, non ut ei plurimæ taurorum hecatombæ ſacrificentur, neque caſiæ aliaque ſexcenta odoramenta ac unguenta ſuffimigentur; ſed ſi ipſe Dei cultor noverit primus, deinde & aliis expoſuerit, quænam ſit illius Sapientia, quæ virtus, quæ bonitas. [3] Quantum vero ſpectat ad inſtrumenta, quibus res quæpiam inveniatur, tunc putat hæc duo ſufficere. Rationem nempe atque Experientiam: [4] Quod autem ad ullius artis ſcientiam acquirendam pertinet, neminem, arbitratur, hanc nanciſci poſſe, niſi & methodum quandam habuerit per univerſalia vocata

[2] De his lege Cap. x. libri de cognoſc. curandiſque animi morbis. *Galeni*.

[3] Tam pie ſenſit Libr. III. Cap. x. de uſu part. corp. hum.

[4] Ita in Libr. de curand. rat. per ſang. miſſ. Cap. III.

(5)

cata theoremata, & in ſingularibus ſe exercuerit exemplis. Neque enim fieri poſſe, ut ſine multiplici in quibuſvis ægris ſingulatim inſtituta exercitatione, quod ex uſu ſit, fiat; neque ſine univerſalium cognitione exercitatio probe procedat: quippe methodum in univerſalibus, at exercitationem in ſingularibus, conſiſtere. [5]

Hoc loco ego. Scis, Clariſſime *Vallane*, inquam, in ſcholis Medicis plerumque uſu venire, ut ſoleant tironibus elementa corporum tradi, dic nobis, velim, quid de iis Galenus monumentis ſuis prodidit.

Galenus ſtatuit, inquit *Vallanus*, Elementum, quoniam ſit minima pars ejus, cujus ſit elementum, [6] ſenſibus externis non judicari. Et tale, quia ſimpliciſſimum eſt, atque remotum, ægre inveſtigari poſſe: Ideoque vult tradi oportere, tametſi quodammodo compoſita ſint, propinquiora corporum quorumlibet elementa, quæ etiam ab ipſo principia aliquando appellantur: [7] quorum in numero autem ponit ignem, aërem, aquam atque terram. Cæterum differentiam ponit principium inter & elementum, ac autumat principia non neceſſario in idem genus coire cum rebus, quarum principia ſunt: Elementis ſinceris vero neceſſario idem genus eſſe. [8]

Præter

[5] Hæc in libr. IX. Cap. VI. Method. Med.

[6] De Hippocr. & Platon. dogm. libr. VIII. Cap. IV.

[7] Vide libr. I. Cap. I. & ſeq. de elementis.

[8] Ibid. Cap. IIX. XIII. & in libr. de Nat. Hum. Comm. I. §. III. ſcribit fere hoc modo, licet principia etiam elementi vocabulo nuncupari queant, tamen, ut ne confuſio rerum fiat, elementi vocabulo ſignificandam, ſenſit, minimam totius rei particulam: aſt principii, particulam minimam, quam ne mente quidem in minores partes partiri nequimus. Quæ cum ita ſit, non inficiatur, nos ſincera ſimpliciſſimaque corporum principia revera demonſtrare non poſſe, nimirum ut ſenſuum adminiculo de eorum ſimplicitate aliquis judicare poſſit.

Præter hæc ſuam cuique Elemento corporum tribuit qualitatem, ut igni calidam, aëri frigidam, aquæ humidam, & terræ ſiccam. [9] Hujuſmodi qualitates, ut noſtis, in ſcholis appellantur primæ, & alibi a Galeno habentur tanquam communia omnium corporum elementa: Proxima autem animalium elementa ſtatuit eſſe ſanguinem, pituitam atque bilem tam flavam quam atram. [10] Memoratæ qualitates primæ vocantur quoque a Galeno ſimplices, ac perſuaſum habet eas inter ſe plurifariam commixtas, qualitatum compoſitarum, alias ſecundarum, elementa eſſe. [11] Partitur autem has compoſitas in genera quaterna, ſecundum quoſdam ſenſus externos, ut (1) in numero qualitatum ſaporis habet adſtrictum, auſterum, acerbum, amarum, ſalſum, acre, inſipidum, dulce & pingue: (2) in numero viſus, omis generis colores: (3) in numero odoratus, omnimodos odores: (4) in numero tactus, durum, molle, friabile, lentum &c. [12] Compoſitionem autem harum qualitatum non vult in eo ſitam eſſe, ut elementa fruſtulatim compingantur, ac ita ſeſe attingant, ſicut quondam Empedocles docuit; ſed Hippocratem, primo craſeos ſeu temperamenti vocabulo uſum, ſequitur, Elementa utpote invicem commiſceri. [13] Hæc elementa nunc, quomodocunque invicem mixta fuerint, in cauſſa eſſe, ut unaquæque animalis particula propriam actionem edat, & quælibet ab altera diſtincta ſit: provenire enim hoc, quia particula alia alia ſit aut

[9] *Idem* libr. 1. de element. Cap. XIII.

[10] *Ibid.* libr. II. Cap. 1. & Meth. med. libr. VII. Cap. III.

[11] *Idem* de Elem. lib. 1. Cap. XIII de compoſ. medic. per genera. libr. V. in Præf. & de ſimpl. medic. facult. libr. V. in Præf. Harum qualitatum mentio facta eſt in Dialogo VI. p. 113. & ſeq. ubi copioſe & abundanter de his diſſerui.

[12] Vide ejus comment. in lib. de Nat. Hum. Hipp. §. 6.

[13] *Ibidem.* §. 14.

aut calidior, aut frigidior, aut ſiccior, au humidior: aut quod binis ſit affecta ſimul qualitatibus. [14]

Da nobis, inquit *Pylſwerdius*, ſi volupe Tibi fuerit ejus opiniones, quas habet de ſtructura corporis humani, ejuſdemque functionibus.

Homini, inquit *Vallanus*, credit eſſe corpus divinum atque optime ad animæ rationalis potentiam ſeu facultatem comparatum: cum e diverſo ſimiæ propter animam ridiculam corpus ſit etiam ridiculum. [15] Membraturam autem, ſeu poſituram quarumcunque partium ſolidarum corporis humani nonniſi adminiculo Anatomiæ addiſci poſſe, ecquis ibit inficias? verum tamen omnes minutias corporis anquirere velle, exiſtimat, non redundare id ad aliquem Medicinæ fructum. Exempli gratia, ſi alicui eſſet animus percontandi muſculos linguæ, quot videlicet reperiantur, quave forma ſint dotati: Itidem quot membranæ ſingulis cordis orificiis ſint; quot venæ id ipſum nutriant, aut unde quomodove procedant, aut quo pacto nervus diffiſſus ex paribus illis, quæ a cerebro deorſum feruntur, eidem inſeratur. Hæc & ſimilia, ſtatuit, non ex uſu Medicinæ, ſed curioſum potius eſſe ea ſcire velle. [16] De cætero poſuit triplicis generis compoſitionem in animalibus reperiri. Primam eſſe earum partium, quæ ſimilares appellantur, veluti arteriarum, venarum, nervorum, oſſium, car-

[14] i. e. calida & ſicca, vel calida & humida, vel frigida & ſicca, vel frigida & humida. vide libr. VII. Cap. III. de Meth. Med. & alibi.

[15] De uſu part. corp. hum. libr. XIII. Cap. XI.

[16] Ex adverſo ſatis eſſe cognoſcere, *a quibus muſculis extendatur brachium, cubitus, femur, tibia & pes: a quibus rurſum inflectatur: quinam in obliquam ſingulas partes enumeratas circumagant, quotque unamquamque nervi perreptent, unde progrediantur, quemve ſint nacti ſitum: adhæc ubi vena, aut arteria inſignis, ubi parva ſubſtrata ſit.* vide Libr. II. Cap. III. de Anatom. adminiſtrat.

cartilaginum, ligamentorum, membranarum & carnium: alteram inſtrumentalium, ut cerebri, cordis, pulmonis, hepatis, &c. Tertiam totius corporis. Inter quatuor corporis humores ſanguinis maximam copiam adeſſe, eundemque eſſe generationis noſtræ quaſi materiam. Et gignimus ex ipſo, ait, dum in utero concipimur, primamque formationem adipiſcimur, editique in lucem deinceps formatorum membrorum diſtinctam applicationem, incrementum & perfectionem inde accipimus. In infantia lacte educamus, ex ſanguine ortum habente: deinde iiſdem, quibus adulti, cibis veſcimur, unde rurſus ſanguis, pituita, & utraque bilis genera. [18] Quantum vero ad ipſam ſanguinis compoſitionem pertinet, ſtatuit, hanc non e ſecundis, velut Plato ſenſit; ſed e primis, qualitatibus originem ducere. [19] Reliquos corporis humores, juxta ac ſi tantum amandationi extra corpus deſtinati, imo excrementa eſſent, conſiderat. [20] Partes corporis animalis, autumat, non fieri omnes ſimul, ſed aliquas prius, aliquas poſterius, conſiſtere. [21] Cor eſſe vitæ principium, [22] & cæteris corporis partibus ſeu calorem, ſeu frigus ſuum impertiri. [23] Procreari autem id viſcus a ſpiritu & ſanguine arteriarum: a corde autem iterum produci arteriam aortam, a ſanguine vero procreari jecur, & hoc deinde venarum eſſe primordium. Cerebrum eſſe nervorum principium, atque id generari ex ſolo ſemine, & cerebrum poſtea medullam ſpina-

[17] De differ. morbor. Cap. III.

[18] Lib. VIII. Cap. VI. de Hipp. & Platon. dogmat.

[19] *Ibidem* Cap. VII.

[20] Libr. II. Cap. VIII. de temperam.

[21] Vide libellum ejus, hujus quæſtionis ergo conſcriptum.

[22] De uſu part. corp. hum. libr. XIII. Cap. X.

[23] De curand. rat. per. ſang. miſſ. Cap. V.

ſpinalem velut truncum quendam producere. [24] Ventriculum, cui quatuor eſſe facultates attrahendi videlicet, retinendi, alterandi & excernendi, alimenta aſſumpta in chylum elaborare, hunc a venis meſeraicis exceptum perferri ad hepar, ubi eundem in ſanguinem mutari, fierique ſanguinis purioris a fæcibus ſecretionem, veſicula interim, id bilis, quod leve & flavum ſuperfluum, recipiente: ſplene vero, quod craſſum limoſumque eſt, attrahente. Chylum, ſi prius ab eo dicta duo excrementa fuerint ſeparata, & is beneficio innati caloris exactam fuerit adeptus coctionem, inchoare tunc rubeſcere, induereque naturam ſanguinis, ſtatuit; qui a vena maxima exceptus in utramque animalis partem, ſurſum nimirum & deorſum, in uſum nutritionis circumferri. Fluorem vero eſſe ſanguini reſpectu aquæ admixtæ; imo, quod magis eſt, hanc eſſe in cauſſa, ut particulæ nutrientes anguſtiſſimos quoſque partium nutriendarum poros adire valeant, ac tantum, quantum pro nutricatu neceſſarium, relinquant. Sanguine nunc iſtiuſmodi particulis, craſſioribus puta vel parte fibroſa, privato (aquam etenim nutricationi ineptam eſſe) non poſſe non, quin is, propter copiam ſcilicet aquæ ſibi admixtæ, juſto fiat tenuior, atque adeo ad alium œconomiæ animalis uſum inhabilis ſit. Quale incommodum vero ut tollatur, adeſſe tunc renes, qui tenuem humorem, in ſanguine abundantem, ſecernant, eundemque poſtmodum ad veſicam urinariam amandent, indidem foras excernendum. [25] Craſſum nigricantem quodammodo ſanguinem, arbitratur, ſi propter febrem phlegmonodem, aut putre-

[24] Libr. I. Cap. x. de ſemine.

[25] Hæc e Libro. IV. Cap. I. II. III. IV. V. VI. & VII. de uſu part. corp. human contraxi.

dinem incaluerit, tranſmutari atram in bilem. Huic potentiam eſſe terram quamvis corrodendi, quod cum fiat attolli omnes partes ſurſum; actio autem ejuſmodi vocari ſubinde fervor, ſubinde fermentatio; pari modo ut idem effectus cernitur in aceto, terræ cuipiam affuſo. Ob ſimilitudinem itaque efficientiæ veteres ejuſmodi humorem appellaſſe acidum, perinde atque bilem pallidam, iidem amaram nominarunt. [26] Humorem corporis natura frigida atque humida præditum Praxagoras vitreum: alii ſcindapſon: Galenus autem appellat pituitam. Ejus vero tria genera eſſe, unum ſaporis eſſe dulcis, alterum ſalſi, acidi tertium. A vario horum in corpore dominio ſeu exuperantia multimodas febrium differentias originem ducere. [27] Reſpirationis negotium bifariam, inſpirando puta & exſpirando, peragi: alterum refrigerandi ſeu ventilandi: alterum fuliginoſam extra corpus materiam deducendi cauſſa. Duplicem inde corpori impertiri utilitatem: alteram in eo poſitam eſſe, ut innatus calor, exacto aëris per aſperam arteriam in pulmones ingreſſu, ſartus tectuſque conſervetur: alteram vero, ut ſpiritus animales ex aëre, per nares ad cerebrum delato, nutrimentum capiant. [28] Licet nunc Galenus interdum vocabu-

[26] Method. medend. libr. XIV. Cap. IX.

[27] De differ. febr. libr. II. Cap. VI. Et comment. I. de Nat. hum. §. 32. Ineſſe autem & hoc pituitæ generationi, ſcribit Galenus libr. III. in aphoriſm. Hipp. 12., ut, quæ ab intenſo frigore efficitur, evadat acida: quæ vero a calore, caput replente, ſalſa: a modico autem frigore, dulcis, vel nullius manifeſtæ qualitatis conſors. Et de nat fac. libr. II. Cap. IX. dicit, quod ea pituita, quæ dulcis eſt, ſalutaris ſit animanti, & naturalis: acida, omnino cruda; & ſalſa, putrida. Cæterum inter dictos humores, *Galenus* libr. de inæqual. intemp. Cap. V ſenſitbilem flavam natura calidiſſimam: pituitam vero frigidiſſimam eſſe. Sanguinem deinde reſpectu caloris ad bilem flavam, & atram bilem, frigoris ratione ad pituitam, proxime accedere.

[28] De utilit. Reſpir. Cap. ultim. & cauſſ. reſpir. Cap. 3.

* Ut

cabulis ſpiritus, & aëris promiſcue uſus fuerit, * videtur tamen mihi videre differentiam aliquam ſpiritum inter & aërem. Alibi enim [29] literis prodidit ſpiritus, quorum tria genera poſuit, ex aëre inſpirato & humorum halitibus, ortum trahere. Spiritum vitalem ita in arteriis inque corde gigni: animalem vero ex hoc vitali, perfectius concocto, oriri, inque cerebro ſeparari: naturalem denique, ſi quis modo ſit, in jocinore inque venis contineri. Animalem non ideo vocari, quod ſit de ſubſtantia animæ, ſed quod primum animæ, cerebro inhabitantis, inſtrumentum ſit. Platonis veſtigiis Galenus inſiſtens [30] ſtatuit animæ tres eſſe facultates, & ſuam cuique tribuit ſedem. Sedem facultatis iraſcendi in corde: concupiſcendi in hepate: & ratiocinandi in cerebro, collocavit. Functiones animæ vero, cujus cujus ea ſubſtantiæ fuerit, omnigenum corporis temperamentum ſequi, atque hoc potiſſimum in cauſſa, ut aliquis ſeu bonis ſeu malis animi ſit præditus moribus, imo mores feros poſſe ad tempus occaſione ebrietatis, veneni, morbi, &c. exoriri. [31] Præter has animales poſuit quoque quatuor facultates naturales, ut attrahendi, retinendi, alterandi, excernendique. Verum, quoniam harum alibi, [32] longe longeque mentio facta, hac de cauſſa eas in præſentia faciam miſſas. De cætero in corpore ſtatuit eſſe duo motus genera; alterum in locò, alterum in qualitate;

* Ut libr. 1. de differ. febr. febr. Cap. 1. §. 2.

[29] Ut libr. XII. Cap. IV. Meth. med. & libr. VII. Cap. VI. in quo tamen memorat duplicis generis ſpiritus, animalem puta & vitalem.

[30] Libr. III. Cap. I. libr. VI. Cap. VII. & libr. VII. Cap. IV. de Hipp. & Platon dogm. & libr. IX. Cap. X. de Method. medend.

[31] Vide Galeni librum, quod animi mores corporis temperaturas ſequantur, inprimis vero Cap. IIX. IX. & XII.

[32] In Dialogo. V. pag. 84. & ſeq.

te; illud lationem ſeu traſlationem: hoc vero appellari alterationem: prius, quod ab interpretibus vocabulo actionis latine redditum, eſſe motum activum, poſterius autem eſſe motum paſſivum: patinamque, quod alteratur: affectus itaque, dum alterentur, moveri, & ſi moveri deſiverint, alteratos tunc exiſtere. [33] In artuum commotione fungi muſculos internos munere flexionis: extenſionis autem externos. Perſpicuum quippe omnibus eſſe, tenſionem & in ſe ipſos contractionem, muſculis eſſe actionem inſitam: extenſionem autem & laxationem, oppoſitis intenſis, & ad ſe ipſos trahentibus, contingere. Quibus poſitis planum fieri, non ſenas, ut aliqui falſo exiſtimarunt, ſed quaternas muſculorum motionum differentias eſſe. Primam conſiſtere in contractione, ſecundam in laxatione, tertiam in tranſlatione, quartam tandem in tenſione tonica; quam poſtremam aliqui male judicarunt vix quicquam a quiete, ſeu immobili differre muſculi ſtatu. [34] Sanitatem tandem, ut ad finem ſermonis properem, ait, non eſſe abſolute elementorum, ex quibus conſtamus, aut medium temperamentum, quam eucraſiam vocant; aut debitam convenientiam, quam ſymmetriam appellant; ſed eſſe talem corporis conſtitutionem, in qua nec doloribus torquemur, nec in obeundis vitæ actionibus impedimur. Qua ut fruamur, opus eſſe, ut partes ſimilares debita calidi frigidi humidi & ſicci temperie ſint dotatæ: compoſitæ vero ex his, ut organa aliave corporis membra, debito ſitu, magnitudine, figura & numero conſtent. Hominem itaque, omnes naturæ actiones recte exercentem, optimo habitu, quem evexiam nominat, præ-

[33] Libr. 11. Cap. 111. de Meth. medend.

[34] De motu muſculor. lib. 1. Cap. VIII. X. & XII.

præditum eſſe. Et hujus duo genera: alterum appellat evexiam ſimplicem: alteram vero athleticam. Diſtingui præter hæc ambas a ſe mutuo: Etenim in Evexia ſimplici moderatam portionem vel ſymmetriam ſanguinis & ſolidarum partium: in athletica vero, juſto majorem, præcipue carnis, quantitatem, adeſſe; Ideoque & hanc ab Hippocrate ſumme periculoſam fuiſſe æſtimatam. [35]

Hoc loco *Lucius*. Summarium, ni fallor, inquit, tu nobis, Clariſſime *Vallane*, dediſti Phyſiologiæ: velim, ſi modo non te negotium iſtud gravabit, des nobis quoque epitomem Pathologiæ Galeni.

Tum *Vallanus*. Non gravabor dare, inquit, ſed vereor, ne imperfecta ſit. Vos enim ipſi non ignoratis vaſtitatem doctrinæ Galeni, de qua deſpero aliquem perfectum dare poſſe breviarum. Verum, quomodocunque ea doctrinæ magnitudo ſit, tentabo tamen, quid in hoc genere poſſim, depromamque de hac aliquid juvenilibus annis memoriæ mandatum. Sed ad propoſitum. Galenus, cum eſſet de placito aliquo Medicinæ diſſerturus, induſtrioſe obſervavit, imo & tironibus nimis inculcavit, ut vocabula, quæ homonomiam aliquam habeant, prius finiantur, ut ne ambiguitatem pariant, ac efficiant non rei, quam plerique auctores animo intendunt, ſed verborum controverſiam tantum. [36] Quam ut devitaret Galenus, ſtatim ab initio monuit, qui vocabula ſint intelligenda. Vidimus hoc obſervatum in uſurpatione vocabuli affectus, quo utitur ad exprimendum ſtatum corporis ſanum juxta & morbidum; ſiquidem

[35] Vide de differ. morb. Cap. 1. De Sanit. tuend. libr. 1. Cap. IV. V. & VI. De optim. corp. conſtit. Cap. 1. & ſeq. de bono corp. habit. Cap. 1. & ſeq.

[36] Ita adhortatur tirones libr. 1. Cap. V. & VII Method. Med. & libr. de ſympt. diff. Cap. 1.

omne, ſive ſanum, ſive ægrum, ſive neutrum id fuerit, id quodammodo affici; ab afficiendo igitur eſſe nomen affectus derivatum. Quæ cum ita ſint, morbum dicit perinde definiri, ſive aliquis dixerit morbum eſſe ſtatum corporis præter naturam a quo functio primum læditur; [37] ſive morbum eſſe affectum præter naturam a quo actio læditur. [38] Actionem vocat agentis notum: id vero, quod ab eo affectum eſt, paſſionem. Verba affici & pati parum modo inter ſe differre: alterum ab altero differre motu ſolo. Quippe ceſſante eo, quod alterabat, immutationem, quæ in paſſo ſupereſt, ejus affectum eſſe. Ita ſcilicet, ut in ipſo verti & mutari & alterari & moveri, paſſio generationem habeat; in eo vero, quod manet & in ſubjecto corpore reſervatur, affectus conſtet. [39] Omnem autem corporis affectum, qui a naturali ſtatu recedit, ait, vel morbi cauſſam eſſe, vel morbum, vel morbi ſymptoma. [40] Alibi ſtatuit quatuor corpori, de naturali ſtatu declinanti, differentias accidere: primam eſſe functionis vitiatæ; ſecundam ejus, qui hunc affectum peperit: tertiam cauſſarum, quæ ipſum affectum præcedunt: & quartam ſymptomatum, quæ hunc neceſſario ſequuntur. [41] Quod vero ad morborum genera ſpectat, Galenus eos primum bipertitur, & alterum

[37] *Ibidem.* de ſympt. diff.

[38] Libr. 1. Cap. VII. & VIII. Method. Medend. Sive ſiquis dixerit, Morbum eſſe affectionem quandam in animatis corporibus, actionem primo lædentem, ut Comment. II. §. 2. in libr. de Natur. Hum. ſive Morbum eſſe corporis affectum, qui actionem vitiat; ſive Morbum eſſe affectum præter naturam, qui actioni obeſt, ut de ſympt. diff. Cap. 1.

[39] *Ibidem* de Sympt. diff.

[40] Cauſſam, ut multitudinem humoris boni, aut ejus depravationem: Morbum, ut inflammationem, ut ulcus: Symptoma, ut malum colorem, ut gracilitatem. Libr. II. Cap. III. Method. Med.

[41] *Ibidem.* Cap. 1.

(42)

terum in ſimilaribus, alterum in organicis corporis partibus, ponit: [42] in utriſlibet vero autumat ſeu actionum, ſeu ſtructuræ, læſionem contingere poſſe. [43] Cæterum ſimilarium morbos partium originem ſuam intemperiei cuidam, nonnumquam & duabus ſimul excedentibus, debere. Aſt organorum unum genus morborum eſſe ratione figuræ: ſecundum ratione particularum numeri: tertium ratione cujuſque quantitatis; & quartum ratione poſituræ: Utriſque vero partibus tam ſimilaribus quam inſtrumentalibus, morbum communem eſſe ſolutam unitatem, ita ut in ſumma ſex ſint morborum genera. [44] Alibi poſuit partium ſimilarium octo morborum genera, quatuor ſimplicia, totidemque compoſita: ſimplicem partium ſimilarium morbum oriri, ſi unica modo e primis qualitatibus rerum potiatur, vel reliquis præcellat; compoſitum autem, ſi duæ qualitates. v. g. aut calidum & ſiccum ſimul; aut calidum & humidum conjunctim, aut frigidum & ſiccum, &c. ſeu copia, ſeu virtute, cætera excedat. [45] Hujuſcemodi primarum qualitatum aut unius modo, aut duarum, exuperantiam, exprimit vocabulo intemperiei: cujus itidem octo genera, pariter atque jamjam totidem morborum partium ſimilarium genera memoravi, enumerat. [46] Similiarium morbos, dixi,

[42] *Ibidem.* lib. IX. Cap. XIV

[43] De differ. Morbor. Cap. I.

[44] De Method. Med. libr. IX. Cap. XIV. & libr. II. Cap. VI.

[45] Vide libr. VII. Cap. III. & de differ. morb. Cap. IV. & de cauſſ. morb. Cap. I. & ſeq.

[46] Libro de inæquali intemperie. Cap. I. de temperam. libr. I. Cap. IV. De cætero *Galenus* libr. II. Cap. IX. ſtatuit etiam aliam ſanitatis, aliam morbi eſſe intemperiem: illam paulum, hanc vero longiſſime, a media temperie abeſſe: illius notam eſſe, ſi nulla animalis functio manifeſte ſit læſa; hujus vero contrariam eſſe rationem.

(47)

aliquos ſimplices, aliquos eſſe compoſitos; eadem organicarum partium eſt conditio morborum. Horum Galenus poſuit eſſe quoque aliquos ſimplices, aliquos compoſitos: ſimplicem vocat morbum, ſi pars inſtrumentalis uno vitio laborat: compoſitum vero contra. Et, ut aliquis melius ac perſpicue ejus opinionem de morbo compoſito poſſit memoriæ mandare, rem exemplo elucidat luxati membri, inflammatione ſimul affecti: ubi luxationem ſtatuit eſſe totius inſtrumenti morbum; inflammationem autem non primo neque proprie, ſed ex accidenti tantum. Eandem eſſe rationem lippitudinis, ortæ ab inflammatione membranæ, corneam operientis, ubi etiam ex accidenti fieri totius oculi ægritudinem. [47] Memoravi paulo ante Galeno vocabulum affectus promiſcuæ ſignificationis eſſe. Ait enim tres eſſe in corpore affectus præter naturam, cauſſas ſcilicet, morbos & ſymptomota. Alibi vero plenitudinem ſanguinis, flatus, molem gravantem, humores quoquo pacto vitiatos, ab ipſo in numero affectuum, dolores excitantium, collocantur. [48] Ex quibus innoteſcit quam ampla vocabuli affectus juxta Galenum ſignificatio ſit. Sanitas, morbus, paſſio, pleræque morborum cauſſæ, ſymptomata, & neſcio quid amplius, ſecundum mentem Galeni ſunt affectus.

Tum *Pylſwerdius*. Siquidem, inquit, adeo multa in numero affectuum ponuntur, ut vix ſine confuſione percipi queant, des idcirco nobis, obſecro, notas, quomodo morbus, paſſio & ſymptoma a ſe diſtinguantur.

Et Galenus, inquit *Vallanus*, ſenſit, non omne, quicquid præter naturam in corpore eſt, morbum vocan-

[47] De different. morb. Cap. XIII.

[48] Libr. XII. Cap. VIII. Method. Medend.

vocandum, ſed id tale nomenclatione dignum, quod actionem aliquam corporis primum læſit, ac vitiavit. Quod morbum præcedit, morbi cauſſam: &, ſi inſuper alius affectus morbum ſequitur, ſymptoma eſſe. Quinimo omne, quidquid animali præter naturam accidit, ut actionis læſio, &c. ab ipſo appellatur ſymptoma. Fuerunt equidem tempore Galeni, qui ſtrictiorem ſymptomatis ſignificationem tradebant. Nempe ſymptoma eſſe, quicquid animali præter naturam accedit: Epigennema vero, non omne, quod præter naturam ſit, ſed id tantum, quod ſolos morbos neceſſario inſequitur: Verum enim vero Galenus non curat hujuſmodi diſtinctiones. Sed ſi modo præter naturam fuerit, id enim ei peculiare eſſe, tunc non dubitat hoc ſymptoma appellare. Pariter proprium morbi eſſe, ut ſit affectus, dein ut actio ſeu functio quædam corporis lædatur: quorum neutro ad exiſtentiam ſymptomatis opus eſſe, cujus, ut dixi, proprium eſt mutatio a naturali ſtatu: In his itaque & morbum & ſymptoma inter ſe diverſa eſſe. Quandoquidem paſſio conſiſtat in motu ſecundum naturam: & ſymptoma non ſolum in motu, verum etiam in habitu quodam, præter naturam, patet inde utriuſque differentia. [49]

At enim vero, inquit *Pylſwerdius*, Galeno adeo generalem ſymptomatis finitionem in Medicinam introducente videtur tum ſupervacuum mihi & morbos eorundemque cauſſas memorare, quoniam hæc, ſi in corpore fuerint, præter naturam aderunt.

Recte judicaſti, inquit *Vallanus*. Agnovit id ipſum Galenus ſymptoma generatim appellari & morbum & morbi cauſſam, non quæ extrinſecus, ſed quæ intrinſecus in corpore, ſubſiſtat. Attamen circumſcriptam

[49] Vide de ſymptom. diff. Cap. 1.

ſcriptam magis uſurpavit quoque vocabuli ſymptomatis ſignificationem. Quicquid enim, detracto ſeu dempto morbo ejuſdemque cauſſa, præter naturam etiamnum ſuperfuerit, id ſingulariter nominatione ſymptomatis appellandum, autumat. [50] Cæterum ſymptomata ad tria genera redegit. Primum continere complexu ſuo ſymptomata actionis læſæ; alterum ſymptomata, ex immodico retinendorum vel evacuandorum exceſſu, oriunda: tertium ſymptomata alicujus qualitatis naturalis corporis, ſine actionum læſione, mutatæ. [51] His poſitis in ſuas quodque genus iterum diſpertitur ſpecies; & has etiam atque etiam alias in claſſes diſtribuit. ex. gr. ſymptomata actionis læſæ bipertitur, in actionem animalem & in naturalem. Animalem rurſus dividit in actionem ſentiendi, movendi, regendique. Sentiendi actionem ſecundum quinque nuntios, quibus animus cognoſcit, differre: ſenſorii communis ſymptomata eſſe ſoporem, nec non pervigilium. Movendi actionum ſymptomatum in numero ponendam ducit impotentiam movendi, ut & mobilitatem vitioſam: hujus autem varias ſpecies eſſe; aliam, ſi motus diminutus infirmuſque; aliam, ſi motus pravus ſeu perverſus fuerit. Pravum autem eſſe motum, ſi quando tremulus, convulſus, palpitans vel vibrans fuerit. Naturalium porro functionum ſymptomata oboriri, ſi illæ aut male, aut prorſus non, perficiantur. Huc referenda eſſe cuncta corporis vitia, quæ occurrunt in appetitu proſtrato, depravato, aucto: in mitigatione ciborum, in mutatione chyli in ſanguinem, in nutritione, in excernendorum retentione, vel retinendorum excretione. Cæteris, quoniam ſatis ſuperque ab inſtitutiones

[50] *Ibidem*, & Cap. 11. libr. XII. Cap. 1.
[51] De Method. medend.

tiones medicas docentibus explicantur, ſuperſedeo. [52] Verum tamen breviter indicabo, quid Galenus de cauſſa ſenſerit. Morbum, ait, eſſe affectum præter naturam, qui actioni incommodet: morbum autem præcedere poſſe affectus alter, qui etiam præter naturam ſit, non tamen ſecundum ſuam ipſius rationem, actionem labefactet, ſed morbi interventu; talem affectum nunc non morbum, verum cauſſam morbi appellandam. Namque, quod ex ſua natura ei, quod fit, partem aliquam generationis confert, id cauſſam ipſius dici. [53] Cauſſarum vero eſſe duo genera: alias internas, alias eſſe externas. Has Græce procatharticas, at vero illas vocari proëgumenas. [54] Deinde commemorat cauſſam per accidens, cauſſam ſine qua non, [55] & hanc in morborum curatione ipſum eſſe aërem. [56]

Quandoquidem, interfabar ego, Galenus adeo curioſus erat in diſtiribuendo ad ſuas quemque affectum claſſes, nonne eandem adhibebat diligentiam in tradenda vitioſa corporis affectione?

Quinimo, inquit *Valannus*. Vitioſitatem enim corpus bifariam adipiſci ſtatuit. Nimirum elementares & primas corporis particulas aut æquabiliter, aut inæqualiter, invicem temperatas, illius cauſſam eſſe. Vocat autem æquabiliter temperari, cum ad aliquam intemperiem verſæ æquabiliter omnes corporis particulæ, aut frigidiores juſto, aut calidiores, &c. redditæ: inæquabiliter vero, quum non ſimiliter omnes verſæ

[52] Vide de ſymptom. differ. Cap. III. & ſeq. e quibus hæc excerpſi.

[53] *Ibidem*. Cap. I.

[54] Ita in libr. de Hum. nat. comm. II. §. 2. De Method. med. libr. I. Cap. IIX. De ſanit. tuend. libr. IV. Cap. II. De cauſſis procatharticis peculiarem librum compoſuit, in quo fuſe de cauſſis egit.

[55] De differ. ſymptom. Cap. I.

[56] Libr. IX. Cap. XIV. Method. med.

verſæ fuerint, frigidiores juſto aut calidiores, &c. factæ: & per conjugationem, quædam calidiores ſimul & ſicciores, quædam humidiores pariter & frigidiores, &c. Eandem, differendo pergit, eſſe inſtrumentalium partium conditionem, quarum etiam aliquas æquali, alias inæquali modo interdum eſſe compoſitas, ſeu factas. [57] Propter qualitates primas nunc aliter, ac decebat, invicem temperatas, dolere hominem, ac eundem per eaſdem curari; immutata utpote vel educta ea qualitate, quæ reliquas virtute præcellebat. Quod & in ſuper oſtendit ex operationibus medicamentorum, quæ omnia aut calefaciendo, aut refrigerando, aut ſiccando, aut humectando, vires ſuas edere ſoleant. [58] Verum, utcunque dicta ſint, Galenum non præteribat, eſſe inſuper plurimos corporis affectus, quorum origo non apte exceſſui alicujus qualitatis primæ adſtrui poſſit. Hac de cauſſa amplexus eſt doctrinam Hippocratis, alicubi [59] docentis, corpus in ſe & ſanguinem, & pituitam, & bilem tum flavam tum nigram, habere. Hujuſmodi quatuor humores nunc, ſi quando inter ſe tum facultate tum copia naturæ convenienter permixti, exoriri tum corporis temperatio, i. e. ſanitas: ægritudo autem, cum horum aliquid plus minuſve fuerit, aut ſeparatum in corpore, neque omnibus permiſtum. [60] Reſpectu autem elementaris compoſitionis quaternario humorum numero peculiares virtutes tribuit. Choleram namque facultatis calidæ & ſiccæ eſſe: Melancholicum humorem frigidæ & ſiccæ: ſanguinem calidæ & humidæ; & pituitam frigida & humi-

[57] De tuend. valetud. libr. VI. Cap. II.

[58] In libr. de nat. Hum. Comm. I. §. 7.

[59] Libro de Natura hominis.

[60] De atra bile. Cap. V.

(61)

humidæ. [61] Fieri autem humoresdictarum qualitatum conſortes ratione cibi potuſve, vel ob pleniorem corporis animique motum, aut quietem. [62] Calorem, arbitratur, quinque modis corpori importari, ut (1) a laſſitudine ab immoderata exercitatione orta, quam, ſi totum corpus invaſerit, ſolere febrim inſequi, (2) ab ira (3) a putredine (4) ab adſtrictionibus & refrigerationibus, ea, quæ difflari conſueverant, intus cohibentibus, (5) ab alimentis acribus aliiſque calida natura refertis. Frigus oboriri in corpore vel a frigore externo, a cibis potuve frigido, ſeu frigida qualitate dotato, ab adſtrictione & rarefactione: tandem ab otio & immodica quiete. Siccitatem induci in corpus, ſi quis plurimum evaporet, minus autem nutriatur; contingere autem id præſertim, ſi curis aut vigiliis immodicis inhæſerit, ſi in aëre ſicco verſatus fuerit: ſi thermis & medicamentis, vi exſiccandi præditis, uſus fuerit. Denique humoris generationis contrariam cauſſam eſſe. Progigni ſcilicet eum a ciborum humidorum & potus copia. Symbolam præter hæc ei dare vivendi rationem juſta delicatiorem, & ſecuritatem animi & crebriorem balneorum aquæ dulcis uſum, & otium, & tempeſtatem pluvioſam. Et hæ ſunt cauſſæ, ſimplices qualitates, producentes, eaſdemque in corpore adaugentes. Quod vero ad compoſitas pertinet, tunc putat earum cauſſas quoque compoſitas eſſe: quas nullo negotio, exiſtimo, aliquem ex dictis meis, combinando utpote duas ſimplices, deducere poſſe. Hæc de cauſſis morborum, ratione omnimodæ temperationis. [63] Cæterum alibi ſtatuit corpori duplicis generis

[61] De cauſſ. morbor. Cap. VI.

[62] De curand. rat. per. ſang. miſſ. Cap. V.

[63] Quas deſcribit in libro de cauſſ. morbor. Cap. II III. IV. V. & VI.

neris cauſſas corruptionis eſſe: quarum alteras internas & a ſe, alternas externas & ex ſe, vel ſponte ſua, corpus duplicem ob rationem conſumi: unam eſſe, quod vel ætatis decurſu, vel aſſiduo ſubſtantiæ fluore, tendat ad interitum ſui: alteram, quod cibum potumque ſequatur excrementorum quorumlibetcunque generatio. In numero cauſſarum externarum habet primo aërem nobis ambientem, a quo corpus ſecundum diverſum elementarium qualitatum dominium omnifariam immutari: cum hoc annumerat inſuper varias res, idoneas ad corpus vel contundendum, vel divellendum, vel vulnerandum, vel aliquem articulum e loco movendum. [64] Porro Galenus cauſſam corpus intrinſecus affligentem, exiſtimat, duplici occaſione oriri. Nempe humorum vel plenitudinis, vel depravationis cauſſa: illam ſolemus plethoram, hanc vero cacochymiam nominare: illam quantitatis, aſt hanc qualitatis, vitium. Plenitudinis morbos, oriri, ducit, ſi, quod ex corpore exhalat, minus eſt, quam, quod accepit: fierique hoc, ſi libera corporis tranſpiratio, ἐνδιαπνευσὶς Græci vocant, ob meatus corporis juſto anguſtiores, fuerit inhibita quadantenus. Quantum vero ad pravos humores ſpectat, tunc alios congerere magis ſuccum frigidum & pituitoſum: alios calidum potius & biliolum: alios aquoſum: alios melancholicum: cujuſmodi ſuccos autem potiſſimum vitio alimentorum procreari. [65] Memoratæ jamjam plenitudinis duo genera ponit, alterum ad vires appellari, ad vaſa alterum: illud inficere humores atque in membra imbecilliora fluxionem immittere: hoc autem ora vaſorum recludere diſrumpereque. [66] Adhæc plethoram non pro-

[64] Libr. 1. Cap. 111. de ſanit. tuend.

[65] Libr. VI. Cap. VII. de ſanit. tuend.

[66] De hum. natur. Comm. 11. §. 2. De multitud. Cap. 111. &

promiſcue quamlibetcunque humorum exuperantiam, ut bilis flavæ vel atræ & pituitæ, ſignificare, ſed ſanguinis duntaxat, vel per totum corpus, vel plurimas & præcipuas ejus partes, abundantis; iſtorum vero humorum abundantiam nominatione cacochymiæ, ut jamjam dixi, appellari. [67] Præter hæc & alio modo poſuit plethoram duplicem: minorem, vocat, quæ cavitatem venarum ſolum replet: majorem, quæ tunicas etiam diſtendit. [68] Plethoram denique cognoſci non poſſe perfecte, niſi in corpore, quod per aliquantum temporis ſpatium quieverit: Rationem enim eſſe in promptu, ſanguinem in motionibus, in ira, in febribus, &c. rareſcere attenuarique, quam ob cauſſam venas arteriaſque dilatari, patentioreſque fieri, ac ita præ ſe ferre, quaſi vero abundantia ſanguinis afforet; quem tamen, cum ſe iterum ad ſtatum naturalem contulerit, nequaquam abundare, facili negotio quiſque deprehenſurus. [69] Sed de cauſſis morborum ſimilarium ſatis verborum feci: reliquum eſt, ut pauca de inſtrumentalium partium morborum cauſſis ediſſeram. Primum dictarum partium morbum evenire, ait, ratione figurationis, dum pars quædam non debitum habeat formamentum. Cauſſam ejus eſſe vel informationem fœtus in ipſo matris utero protinus vitiatam, vel ob materiæ multitudinem, vel ob qualitatem vitioſam. Adhæc in & a partu poſſe ab obſtetrice juxta & nutricibus infanti calamitatem importari omnimodam, v. g. ſi membra ſingula non fuerint decenter faſciis involuta,

poſſe

& de curand. rat. per ſang. miſſ. Cap. IV. V. N. Plethoram ad vaſa aliqui e Grajis vocarunt κατὰ τὸ ἔγχυμα. Putarunt enim in infuſis per vaſa humoribus conſiſtere.

[67] De multitud. Cap. XVII. & de Method. med. libr. XIII. Cap. VI.

[68] *Ibidem.* Cap. XV.

[69] *Ibidem.* Cap. XIV.

poſſe tunc perfacile decentem figuram depravari; quin etiam ob immodicam repletionem, aut alimenti defectum, contingere, ut nonnunquam corpus univerſum, vel membrum aliquod, nimis craſſum, aut extenuatum, evadat. Præter hæc & membris accidere, ut præter naturam, aut levia fiant, aut aſpera: horum cauſſam eſſe humorum acritudinem, aut medicamina abſtergentia: illorum vero res pingues lentoque humore madentes. Morbos in numero vocari, ſi quæ pars naturalis deſit: provenire autem eos, ſi ſectio, ſi putrefactio, ſi algor præceſſerit. Magnitudinem inſtrumentalium partium augeri ob optimæ materiæ copiam, & propter potentiæ robur: imminui autem eandem a cauſſis contrariis: ſic etiam organicam partem poſſe vitiari ſectione, vel exuſtione, vel putrefactione, velim modica refrigeratione in tantum, ut pars, quæ ſuperſtes, ſubinde mutilata reddatur. Morborum compoſitionis aliquos a repentinis, ac vehementibus motibus, aliquos ab articulorum immodico humore, ligamenta quæque madefaciente atque laxante, originem ducere. Unitatis ſolutionem, vel corruptionem, vel continui ſolutionem, eſſe morbum quibuſcunque corporis partibus, tam ſimilaribus, quam inſtrumentalibus, communem. Si quando continuatio in oſſe tollatur, vocari eam vel fractionem vel cariem; ſi in carne, tum ulcus, vel vulnus, vel rupturam: ſi in nervis, convulſionem. Hujuſmodi morbos nunc, ſtatuit a duplici cauſſa oriri, ab extrinſeca videlicet & intrinſeca: illius generis eſſe, quæ percuſſioni ſeu colliſioni apta: hujus vero omnis generis motus animalis inordinatos, ut & quoſlibetcunque humores acres, vi corrodendi exedendive refertos. [70]

Dolet

[70] Vide de cauſſ. morbor. Cap. VII. VIII. IX. X. & XI.

Dolet mihi, interloquebar ego, quod faceſſitum tibi tantum negotium. Vellem quidem libertatem tibi tuæ moleſtiæ nunc dari, niſi doctrina Galeni flagremus. Narraſti hactenus generalia placita Pathologiæ, ſi non moleſtum erit, tradas, quæſo, ſingularia quædam Galeni decreta.

Tum *Vallanus*. Ut dicto tuo, inquit, ſim audiens, narrabo quædam, quomodocunque ea in mentem venerint. Poſtquam Galenus poſuerit corpora cuncta, quæ generationem atque interitum habent, duplicis generis tranſmutationi eſſe obnoxia: alteram alterando, alteram fluendo, accidere: alterari autem corporum ſubſtantia, vel tota per totam tranſmutari refrigerando, calefaciendo, exſiccando humectandove: diffłui autem per ſenſibiles excretiones, perque occultam tranſpirationem; [71] multa poſtea paſſim verba facit de putredine, complurium morborum auctore. Naturam vero putredinis in hoc poſitam eſſe, ut tota putreſcentis rei ſubſtantia a calido externo immutetur, vel corruptela depravetur. [72] Cuncta autem, quæ calidæ, juxta & humidæ indolis, & ad tranſpirandum inepta, ea eſſe ad putreſcendum accommodata; atque id in primis, ſi locis in calidis fuerint aſſervata. [73] Humorem calidum. v. g. ſanguinem putrefaciendo magis incaleſcere, quam quempiam alium humorem, minus calidum. Putredinis proprium eſſe, ut in parte iſta, cui inhæret, excitet calorem acrem,

[71] Libr. 1. Cap. XIV. de element.

[72] De method. med. libr. XI. Cap. VIII. & de diff. febr. libr. II. Cap. IX. Sententiam Ariſtotelis amplectitur, putredinem utpote ab alieno calore oriri. Et Comment. III. de morb. vulg. ſcribit. *Videtur putredo ex materia quidem gigni humida: ex cauſſa vero efficiente, extraneo, & prater naturam calore: augeri porro quiete.*

[73] De Method. med. libr. IX. Cap. III. & libr. XI. Cap. IV.

ac mordacem: Quod ſi pars, hoc pacto calefacta, inſignis fuerit, ut calorem ſuum cum corde communicare valeat, facili negotio tunc univerſum incaleſcere corpus, atque hujuſmodi affectum vocari febrim. [74] Et hanc eſſe quendam totius corporis calorem immoderatum, [75] atque hujus febris, reſpectu putredinis, tria genera eſſe: unum, quod cauſſa putredinis ſeu præſens ſeu abſens: alterum, quod per totum animal, aut ſaltem per partem aliquam putredo ſit diffuſa: tertium denique, quatenus aut ſine, aut cum phlegmone, ſit. [76] En fontem uberrimum, ex quo Galenus tot morborum genera derivavit, tot febres, inflammationes; bubones, Eryſipelam, carbunculum, & ſexcenta alia. [77] De cætero arbitratur febrilem calorem non modo in corde, ſed ſubinde in humoribus, ſubinde in ſpiritibus accendi. [78] Pari modo, ut alibi [79] aſſerit cauſſas refrigerandi, calefaciendi, &c. aut in humoribus, aut in ſpiritibus, aut in ſolidis eſſe ponendas. Et, ut vobis exemplar quoddam doctrinæ de febribus, deque earundem differentiis, ſit, dabo, quæ Galenus poſteris tradidit. Intermittentium febrium, ait, tres eſſe differentias, quotidianam, tertianam & quartanam: quotidianam ex pituitæ putredine: tertianam ex flavæ: & quartanam atræ bilis putredine, originem ducere. Continuarum, ex flava bile ortarum, duo genera eſſe: alterum propter continuum fervorem, ſynocham appellari: in unica enim acceſſione univerſum tempus conſumi: alterum ſub ſe febres continuas, quæ pluribus circuiti-

[74] De curand. rat. per. ſang. miſſ. Cap. v.

[75] De cauſſ. morbor. Cap. II.

[76] Libr. XIV. Cap. VII. de Method. Medend.

[77] De differ. febr. libr. I. Cap. III. §. 5.

[78] Ibidem. Cap. III. §. 3.

[79] De Method. Medend. libr. XII. Cap. VII.

cuitibus finiatur, complecti. Febrium nunc, quæ ſynochæ nominantur, tres dari differentias. Namque aliquas ab initio, uſque ad finem æqualiter perdurare, hinc eas homotonos atque acmaſticas. i. e. in eodem ſtatu vigoreque perſeverantes: aliquas paulatim augeri, ideoque eas anabaticas atque epacmaſticas. i. e. inſurgentes & invaleſcentes: aliquas tandem paulatim decreſcere, idcirco tales paracmaſticas, i. e. decreſcentes, appellari. [80] Licet Galenus Doctrinam de febribus ſectatorum Athenæi, omnes ex putredine ortas ſtatuentium plerumque aſſequutus; opinionum tamen diſſenſione diſcrepat ab iis ratione originis febris ephemeræ, raro ultra diem tertium perdurantis. Exoriri hanc poſſe ex aduſtione, cruditate laſſitudine, vigilia, perturbatione animi vel bubone; quin & ex obſtructione pororum corporis a frigore aliquo peracta: [81] imo obſtructionem ſine putrore non valere febrim excitare, præterquam id, quod non tranſpirat, & copioſum ſit, & calidum: † Vocabulo phlegmones Galenus non utitur pro quacunque inflammatione vel phlogoſi, perinde ac anteceſſoribus id ſolenne erat, verum per hoc intelligit inflammationem cum adjuncta partis affectæ tenſione, pulſatione atque rubore: conſiſtere autem phlegmonem omnem in ſanguinis confluxu majori, quam par erat. Quapropter autem is eveniat, habete. Obortum qualibetcunque in corporis parte dolorem, opinatur, facultatem excernendi ſentire, molirique doloris cauſſam auferre, quam, dum foras ejicere properet, phlegmonem interdum in parte aliqua concitare, dum utpote materiam doloris cum aliquota parte ſangui-

[80] Libr. 11. Cap. 11. de differ. febr.

[81] De differ. febr. libr. 1. Cap. v.

† Libr. 1x. Cap. 111. Method. medend.

nis & ſpiritus in partem afflictam inſimul exprimat. Tumores, qui præter naturam in corpore fiunt, ratiocinando pergit, non eſſe uniuſmodi, ſed juxta diverſitatem ejus, quod in partem influit, varios eſſe. Ita ventigenos, progigni tumores, ſi copia materiæ ventoſæ adfuerit: Phlegmonæ vero magis ſimiles, ubi ſanguis: Eryſipelati vero, ubi bilis: œdemati, ubi pituita: ſcirrho, ubi craſſus lentuſque humor fuerit parti infixus. Etenim id partibus corporis principibus peculiare eſſe, ut id, quod qua redundantia qua qualitate ſuper vacuum eſt, ad partes ignobiliores ſeu imbecilliores, quarum in numero cummaxime glandulas adenas, rariori textura dotatas, ponit, amandent. Et hanc eſſe rationem, quas ob res pleræque inflammationes atque tumores ejuſmodi in partibus inveniantur. [82] Quantum vero ad inflammationes in genere ſpectat, tum ſtatuit earum duas differentias dari: alteram complexu ſuo inflammationes humidas, & alteram ſiccas, comprehendere: illas oriri, a calida fluxione membrum aliquod occupante: has vero a calore naturali, citra humoris alicujus influxum, efferveſcente. Cauſſas eis varias eſſe, ut vulnera, contuſiones, diſruptiones, &c. humoris cujuſvis abundantiam, ut & acrimoniam. In numero autem inflammationum habet herpetem exedentem, & miliarem, eryſipelatem & carbunculi ſpecies; bubones, phyma phygethlum, lippitudinem, pleuritidem, anginam,

[82] Libr. XIII. Cap. I. II. III. IV. & V. Method. med. vide etiam ejus librum de tumoribus, in quo agit de phlegmone, deque variis ex aliquo humore ortis tumoribus: cumprimis vero cap. 7. ubi hæc. Quatuor ſunt affectus, qui frequenter propter influxum humorum fiunt, ut eryſipelas, oedema, inflammatio & ſcirrhus. Eryſipelas bilioſo fluore ſuperante: inflammatio ſanguineo: oedema tenui pituitæ conſtitutione: ſcirrhus vero ab atra bile oritur.

ginam, peripneumoniam, &c. [83] Sanguinis profluvium multimodis accidere: arteriarum enim venarumque ora aut reſerari, aut tunicam earum dividi, aut ſanguinem ſudoris modo percolari per vaſa. Anaſtomoſin accidere propter vaſis imbecillitatem, vel ſanguinis, ad vaſorum ora impetu ruentis, copiam; vel ob acrem, forinſecus incidentem, qualitatem. Diapedeſin vero ex tunica quidem ipſa rarefacta, ſanguine vero attenuato, oriri. Rupturamque denique vaſis, ſanguinem vehentis, vel vulnerando, vel clamando, vel cadendo, vel contundendo, accidere poſſe. [84] Palpitationem fieri, cum pars quædam præter naturam, ſeu invitis nobis & diſtendatur, & contrahatur: cauſſam ejus eſſe ſpiritum craſſum ac vaporoſum, tranſitu per vaſa debito carentem. [85] Rigorem eſſe algorem cum dolore, & inæquali quadam totius corporis agitatione & concuſſione. * Calculum, vel aliquod lapidoſum in animali produci, ſi quando tenax & craſſus corporis humor, aliquanto temporis ſpatio, in corpore aſſetur, atque exſiccetur, v. g. ſanguinem, qui in renes advehitur, aut craſſiorem juſto, aut tenaciorem, aut magis in indolem bilis atræ, flavæ, vergentem, per venas per arterias ad renes deferri: inibique calorem præter naturam concipere, a quo partes ſanguinis diſſimiles exſiccari, aſſari, indurarique, ac ita in calculum tranſmutari. Eandemque eſſe conditionem lapidis, tophi & ſimilis terreſtris rei, invariis corporis viſceribus, & membris, generatæ. † Senectutem denique eſſe affectum corporis animalis, ortum a calore

[83] De art. curand. ad Glauc. libr. II. Cap. I.

[84] Method. medend. libr. V. Cap. II.

[85] Libr. de palp. tremor. &c. Cap. V.

* Ibidem Cap. XI.

† Quatuor autem lapidis generati cauſſas eſſe. Primam vocat *efficientem*, qua calorem ſecun-

innato, pleraque corporis viſcera, imo univerſum corpus, paulatim exſiccante. [86] Licet prohiberi nequeat, ut quiſpiam tandem aliquando ſenectute conficiatur: Verum tamen non impoſſibile factu, judicat Galenus, ut eam aliquis tardiuſculam adipiſcatur. Et hanc Medicinæ partem, quæ procraſtinationem ſenectæ promittit, appellari Gerocomicam. In eo autem cardinem rei verti, ut ne cor in tantum ficcetur, ut inhabile evadat ad munia ſua obeunda. Quamdiu enim id ſecundum ſuam ipſius actionem moveri, tamdiu ullum animal mori haud poſſe. Senium igitur procraſtinari poſſe, autumat, ſi cordis, ſi jecoris ſubſtantiam medicus humidiorem effecerit, quam ut tam cito, perinde ac alias ſolet, exareſcere poſſit. [87]

Hoc loco *Lucius*. Copioſe quidem & abundanter, inquit, de doctrina Galeni es hactenus locutus: verum tute non ignoras ſupereſſe Therapeiam, pervelim

ſecundam *materialem*, qua humorem craſſum ac lentum: tertiam *inſtrumentalem*, qua renes vel veſicam, vel aliam corporis partem, lapidis generationi aptam: & quartam *finalem*, qua ipſum lapidem, exiſtimat, eſſe ſignificandum. Vide libr. de Ren. dignot. & medic. Cap. VII. & VIII.

[86] Vide libr. de Maraſmo. Cap. II. III. & IV. & de Sanit. tuend. libr. I. Cap. II. & III. Et iterum de ſanit. tuend. libr. V. Cap. XII. dicit ſenectutem nequicquam eſſe aliud, quam ſiccum & frigidum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione proveniens. Itaque de ſenectutis cauſſa non convenit Galeno cum iis, quos libr. de Maraſmo Cap. III. memorat, quique ſtatuebant calorem in nobis, aut in alius animalis corpore velut materiæ cuidam illigatum: primum quidem & humidum eſſe & debilem, augeſcere autem uſque ad vigoris ætatem, effulgere, & ad maximam magnitudinem attolli, & ignis flammam imitari. Calore nunc ejuſmodi ob alimenti penuriam paulatim debilitato, ſenectam: eodem autem penitus interſtincto, mortem propere, appropinquare.

[87] De Maraſm. Cap. VI. & de tuend. valet. libr. V. Cap. IV. & VI.

lim itaque, ut tibi id negotium dares de ea paululum differendi.

Tum *Vallanus*. Equidem a me poſtulas, inquit, non unius diei negotium, ſi animum utpote meum inducerem ſingula ejus placita, ad rationem curandi ſpectantia, enarrare: at enimvero, ut voluntati tuæ in his quadantenus ſatisfaciam, quod credas me animo libenti prolixoque facere, obtemperabo tibi, ac tradam pro modulo meo quædam, prout ea nunc in mentem venerint. Medicum, ait, explere munus Medicinæ, ſi quando omnes omnium corporis partium functiones, quoquo modo læſos, reſtauraverit, hoc eſt Medicina eas ad ſalutem reduxerit: quæ vero ſalvæ fuerint, ſi eas ſartas tectaſque conſervarit. [88] Sanatio itaque Galeno auctore, nihil aliud eſt, quam præſentis in corpore vitioſi affectus naturalem in habitum immutatio. Quandoquidem autem hujuſmodi affectus corporis incolumitati contrarii ſunt, hanc ob cauſſam neceſſe eſſe, ut eorum per contraria fiat alterius in alterum affectum, naturæ convenientem, tranſlatio, ſeu immutatio. [89] Indicatione autem ad hanc pervenire in primis Medicum, deinde & experientia: hanc ſenſibus, at illam ratione, acquiri tantum. [90] Igitur, qui hoc modo Medicinam fecerit, eundem præ ſe ferre, ut Medicum rationalem ſeu dogmaticum addeceat. Præterea, quamvis poſuit unam duntaxat eſſe curationum quarumvis maxime generalem indicationem, contrarii ſcilicet converſionem vel correctionem: attamen non dubitavit hanc iterum ad tria genera redigi poſſe, unum

[88] De curand. rat. per. ſang. miſſ. Cap. IV. & de art. medic. conſtit. Cap. XII. & ſeq.

[89] Libr. IX. Cap. XV. Method. med.

[90] De ſubfigur. Empir. Cap. II.

ſpectare ad morbum : alterum ad corporis temperamenta : ad aërem, nos ambientem, tertium ; cujus enim contractam vitioſitatem eſſe arte corrigendam, &, quod incolume fuerit, conſervandum. [91] Præter memoratas indicationes credit inſomnia quoque indicare inopias & redundantias, ac qualitates humorum. v. g. Si quis ſomniaverit incendium, indicare id exuperantiam flavæ bilis : ſi fumum vel caliginem, vel profundas tenebras, copiam atræ bilis ſignificare. [92] Reliqua, ne longius evager, quam tempus permittit, faciam miſſa. De cætero Galenus ducit Medici, celebritatem conſecuturi, munia inſuper eſſe, ut criſis in cognitionem omni cura incumbat : quam autem definitione declarat, eam utpote eſſe ſubitam morbi ad ſanitatem converſionem. Id Galenum non habet anxium, quantumvis alii aliis verbis dixerint, ſubitam in morbo mutationem, ſive eam, quæ antecedit agitationem, ſive integram omnem morbi ſolutionem, ſignificare vocabulum criſis ; ſufficere ratum habet, ſi modo ſuam ipſius opinionem per vocabula uſitata ſignificaverit. [93] Antequam autem aliquis de criſi judicare poſſit, opus eſſe, ut notitiam temporum habeat morborum. Et in quantum ad hæc pertinet, rejicit ſententiam Archigenis, duo ſolum morborum tempora, prima videlicet & maxima, ſtatuentis : [94] Is vero quatuor ſtatuit,

[91] Method. Medend. libr. IX. Cap. XV. & XIV. Indicationem autem. libr. II. Cap. VII. M. M. vocat ipſam ſequentis, vel agentis inſinuationem. Etenim ex ipſa rei natura ordiri, atque ab ipſa, quod ſequens eſt, citra experientiam invenire, eſſe indicatione invenire. Vide etiam Cap. I. libr. III. M. M. & de optim. ſect. Cap. VI. §. 8.

[92] Vide ejus libellum de inſomniis.

[93] De criſib. libr. III. Cap. I. & II. Et libr. I. Cap. I. de criſib. & comm. III. Cap. I. in Prognoſt. Hipp.

[94] De morbor. temporib. Cap. II.

tuit, principium puta, incrementum, ſtatum & declinationem. Hæc etiam ab eo vocantur univerſalia morborum tempora: ſingularia autem, quæ in ſingulas acceſſiones dividuntur. [95] Quodcunque nunc in his evenit, id vult a medico diligenter animadvertendum, ut qualemcunque morbi eventum præſagiri queat. Cæterum tradit trifariam morbos, aut ad ſalutem, aut ad mortem, tendere. Et primo morbos cito finire, ſi excretio quædam copioſa, ſive ea nunc per alvum, per urinas, per vomitum, per ſudores, per quodlibetcunque ſanguinis profluvium: ſive per quemcunque partis ignobilioris abſceſſum, peracta. Utut nunc fuerit, vocari ejuſmodi morbi mutationem oportere, criſim perfectam. Abſque hac vero, ſi quis ſalubris factus, ægritudinem plurimum recidivam eſſe. Secundo contingere nonnunquam, ut aliqua dictarum evacuationum appareat, nec ſubita fiat morbi diminutio, & tamen ægrotus non perfecte a morbo liberetur: hinc judicat talem morbi mutationem eſſe criſin imperfectam appellandam. Tertio ſubinde morbos paulatim finire imminuique, & id, cum contingat, a quibuſdam criſin abuſive: melius autem morbi ſolutionem, autumat, vocandam. Quemadmodum morbi tribus modis ad ſalutem, ſic etiam eos ad mortem, ſtatuit, tendere. Namque evenire interdum, ut æger cum turbatione agitationeque & quibuſdam excretionibus, vel humorum collectionibus, derepente decumbat: utrumcunque autem per malam criſin fieri: & hanc imperfectam, at illam perfectam appellari. Sin vero æger ſenſim ac ſenſim deteriore conditione fuerit, ejuſmodi nominari marcor. Supereſſe quidem modum

[95] Libro de totius morb. temporib. Cap. 1. & lib. 1. Cap. 11. de criſib.

quartum ſubitæ mutationis ad pejus ſine copioſis excretionibus, ſine humorum collectionibus; aſt hunc cenſet non mereri, ut in numero criſis habeatur. [96] Quo pacto nunc dictæ morborum mutationes cognoſcendæ, ſtatuit, tria ſignorum genera eſſe: aliqua enim cogitatione ex urinis alvique excretis, & ſputis: aliqua ex affectione totius corporis: & aliqua e facultatibus tam animalibus quam naturalibus, erui debere. Et quantum ad urinæ qualitatem pertinet, tunc eam, ſi bene colorata, ſi alba & lævis, & æqualis, in matulæ fundo ſubſederit fæx, ſignificare bonam coctionem: e contrario urinam tenuem, fæcis expertem, indicare humorum cruditatem. Cætera quanto minus de ſtatu naturali declinent, tanto magis ſalutem ægrotanti portendere. Summam autem boni præſagii in dictione Hippocratica conſiſtere. Nempe, ſi æger fuerit mentis compos, atque ad ea, quæ ipſi offeruntur, bene ſe geſſerit, ſi reſpiratio facilis, ſi tolerabilius dolores paſſus, ſi adfuerit bonitas pulſus, ſi facies ſanis ſimillima, ſi decens cubitura, & totius corporis æqualitas, &c. bona hæc omnia; e diverſo mala, quæ dictis adverſantur. [97] Criſin porro ad mentem Hippocratis judicat computabilem: complecti autem, ſeu terminare hanc cumprimis ſeptenarium, deinde quaternarium, quia hic numerus illum bipartitur. Atque hoc eſſe fundamentum, quocirca quartus quiſque dies ſit index ſeptimi, & undecimus decimi quarti. Tertii denique ſeptenarii noviſſimam eſſe diem vigeſimam, & non vigeſimam primam: copulari enim inter ſe, quoties unus dies utriſque ſeptenariis communis

[96] Libro. III. Cap. VII. de criſib. & libr. I. Cap. I. de dieb. decretor.

[97] De criſib. libr. I. Cap. XIV.

munis eſt, deſinente in eum primo ſeptenario, proximo vero ab eo ipſo incipiente. Et hanc eſſe rationem, quod quadrageſimus, ſexageſimus, &c. ab Hippocrate in numero dierum decretoriorum ſit poſitus. Quid? quod dies critici eundum ordinem ſervant ut luna. Eam enim non, duo de triginta diebus ſeu quotuor integris ſeptenariis, ſed viginti ſeptem & tertia diei parte, circulum ſuum abſolvere. Pari modo quatuor criſes perfectas non XXIIX. ſeu quatuor ſeptimanis, ſed XXVII. diebus compleri. Et ſi de hoc numero nunc unus ſeptenarius auferatur, reſtare tunc viginti, & hanc eſſe etiam rationem, ante memoratæ addendam, qua de cauſſa vigeſimus quiſque dies ſit criticus. [98] Quod vero ad criſis cauſſam attinet, putat eam eſſe naturam, cauſſas morborum impugnantem, ſibique in his medicantem. Nauci itaque habet reprehenſionem Aſclepiadis, omnia in animalibus propter moles atque meatus peculiares fieri, ſtatuentis. Nimis generalia hæc, aſt ſingularia, quæ ſcitu magis neceſſaria ſunt, eſſe reliqua ad perdiſcendum. Enimvero potentias ſeu facultates, quibus unumquodque animal gubernatur, eſſe perquirendas: [99] deinde aſtrorum ſuperiorum, præſertim vero & Solis & Lunæ virtutes. Neminem equidem in dubium vocare poſſe, quin Soli ſint maximæ quæque vires, quas annuatim ubique terrarum experimur, tribuendæ: verum tamen Lunam quoque diverſis affectionibus ſymbolum dare. [100] Quod & jampridem ab Aſtronomis Ægypiis, inventum atque experientia confirmatum. Lunam nempe non modo

[98] De his vide Cap. IV. lib. I. & Cap. VI. VII. VIII. IX. Libr. II. & Cap. XII. libr. III. de dieb. decretor. & comm. III. Cap. I. in progn. Hippocr.

[99] De criſib. lib. III. Cap. IIX.

[100] Lib. III. Cap. II. de diebus decretor.

do ægris, ſed etiam ſanis, dies, cujuſmodicunque ſint tandem futuri, prænunciare. Juxta enim variam ejus ſtationem in Zodiaco, & omnimodum reliquorum planetarum aſpectum, alium atque alium in hoc Orbe terrarum, imo in homine ipſo, exoriri, effectum. Et, ut in ſumma dicam, Lunæ *tetragonas* & *diametrales* ſtationes in principiis bonis bonas: in malis malas, facere alterationes. [101] Quantum vero pertinet medicamentorum ad virtutes, tunc aſtruit Galenus, non modo rebus, purgandi facultate præditis, peculiares eſſe, humorum privum educendi, [102] verum etiam ſingulorum remediorum, nomine alterantium a medicis inſignitorum, ſingulas eſſe proprietates; noſtrates Medici eas vocant vocabulo peregrino ſpecificas. Et quamvis aliqui jamdudum ante Galenum, imo qui æquales temporum Galeni erant, deridiculo ejuſmodi placita haberent, & in loco ſarcaſmi objicerent, nunquis preſes iſtiuſmodi medicamenta juberet atque imperaret, quemadmodum ab aliquo in Tragœdia factum,

Abi quidem tu flumina ipſa ad Inachi
Thebas, at age tu pergito Cadmeias.

Ita

[101] Ibidem. Cap. v. VI. & XII. Inprimis vero ſtationem Lunæ plenæ potentiorem falcatæ, putat, ſtatione; quamvis & hæc de aëre decernat. Deinde animadvertendum eſſe omnimodum Lunæ, juxta ſalutares aut infauſtos planetas, poſitum: quem, cujuſquemodi fuerit, omnis generis efficientiam ſeu bonam ſeu malam, in corpore edere. Exempli gratia ponit hominem, fauſtis planetis in Ariete: malignis vero in Tauro, exiſtentibus, natum: hunc, Luna in Ariete, Cancro, Libra & Capricorno, poſita, ſe habiturum belle: cum vero Taurum ipſum, vel tetragonum aliquod, vel e diametro ipſi Tauro contrarium ſignum, occupaverit, eundem male tunc & moleſte vitam tranſacturum: atque huic morborum initia, cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio & Aquario fuerit, peſſima; ſine periculo autem, & ſalutaria fore, Luna, Arietem Cancrum Libram & Capricornum, permeante.

[102] De his vide ſupra dialog. v. pag. 89. & Dialog. VI. pag. 114. & ſeq.

Ita etiam vos medicamenta, tu propera ad hepatis portas, tu ad veſicam vel utroſque renes proficiſcere, &c. verum tamen Galenus horum cavillatorum cavillas ſuſque deque habebat. Quippe exploratum, ajebat, eſſe ſibi de lepore marino, ex omnibus corporis partibus pulmonem ſolum exulcerante, de cantharidibus veſicam, deque aliis rebus calculum renum corrodentibus, ſalva interim intactaque reliquorum viſcerum ſubſtantia: quæ omnia fieri non poſſe, niſi talis efficientia naturalis unicuique dictarum eſſet propria. [103] Tandem in curatione morborum, ut & in tuenda valetudine ex uſu eſſe exercitationes tolerabiliter, & habita virium corporis cujuſque ratione, inſtitutas. Etenim in exercitando corpus triplex cumprimis commodum indipiſci. Nimirum organis exercitatione duritiem ſeu firmitudinem conciliari, fieri præterea innati coloris incrementum, atque concitatiorem ſpirituum motum. Calorem adauctum inſequi validam alimentorum quaquaverſum per corpus diſtribuendorum attractionem, & alterationem promptiorem, & commodiorem nutrionem, &c. A validiore ſpirituum commotione autem meatus corporis perpurgari, atque excrementa ſuperflua evacuari. Verum enim vero, quomodocunque hæc ſe habeant, contingere non raro, ut ex immodica exercitatione exoriatur affectus, ſeu conſtitutio quædam corporis, quam Græci κόπον, Latini vero laſſitudinem, appellant. Qualis autem affectus hæc laſſitudo ſit, non conſentire inter ſe, qui de ea ſcripſere. Alium quippe ſtatuiſſe eam eſſe articulorum, propter motiones exſiccatorum, ſiccitatem: alium, humorem multum & tenſionem & calorem, fluxione nimirum e partibus, vehementer agitatis, effuſum: alium non hu-

[103] Libr. 1. Cap. 11. de compoſ. medic. per genera.

† De

humorum multitudinem, ſed qualitatem ſolam, cauſſari † Galenus ſcribit laſſitudinis proprium eſſe, ut adſit ſeu horror, ſeu dolor, ſeu pigritia quædam ad motum. Horum autem aliquid inveniri in laſſitudine ulceroſa, tenta, & inflammationis. Illam generari ab excrementorum copia tenuium ſimul & acrium, ſeu cutim ſeu ipſam carnem ita pungentium vel vulnerantium, ut horror, vel concuſſio commotioque quædam totius corporis inæqualis, oboriatur: Iſtam exoriri, excremento in muſculis in nervis ob nimiam diſtenſionem, quam exercitando admiſerunt, reſidente: hanc denique, in qua aliquis ſentit contuſas, vel phlegmone quaſi obſeſſas, partes, ſolere maxime incidere, muſculis nimium calefactis, quippiam ex circumfuſis excrementis, ad ſe attrahentibus. Præter has eſſe & aliam ſpeciem laſſitudinis, quam evenire, muſculis ultra modum ſiccatis, adeo ut ſqualens contractumque corpus, atque ad movendum quodammodo iners, appareat. Hanc vocat laſſitudinem gracilitatis. Dictas quatuor laſſitudines ſimplices, compoſitas vero evadere, ſi una e tribus primis cum alia conjungatur, exoriri tunc tres compoſitas, & univerſim ſeptenas laſſitudinum ſpecies. ‡ Quare autem aliquod remedium ſingulariter cuidam

† De ſimpl. medic. facultat. libr. II. Cap. X.

‡ Quid? quod putat, has laſſitudines poſſe ad quindecim ſpecies redigi, ſi utpote hoc pacto inter ſe combinentur. Exempli gratia proponam quatuor ſimplices, ut Ulceroſam, A. Tentam, B. Inflammationis, C. & Gracilitatis, D. Compoſitam fieri, ſi AB. aut AC. AD. BC. BD. CD. aut ABC. ABD. ACD. BCD, aut ABCD. ſibi invicem conjungantur. Vide libr. III. Cap. XIII. de ſanit. tuenda. Reliqua autem, quorum mentionem feci indidem. Cap. VII. VIII. IX. X. & libr. IV. Cap. II. & ſeq. quin & de multitud. Cap. IX & XI. nec non *Oribaſii* Synopſ. libr. V. Cap. XV. & XVII. in quibus locis etiam curatio dictorum affectuum indicatur., deprompſi. Vide etiam ſupra pag. 134. no. 62. ubi etiam de laſſitudinibus diſſerui.

dam affectui medeatur. v. g. cancros cumbuſtos rabiei? In cauſſa eſſe, perſuaſum habet, proprietatem totius ſubſtantiæ: hanc non modo in hoc, verum etiam in aliis affectibus ſanandis, ſanationis auctorem eſſe. [104] Tempus quidem nunc eſt, ut finem faciam orandi: ſatis enim ſuperque de placitis Galeni, ut mihi videtur, hoc tempore verba feci; verum, quoniam mihi in mentem jam incidunt duæ rationes medicinales, quarum me propemodum oblivio cepit; ideoque non poſſum non earum facere mentionem. [105] Alteram Græci παροχέτευσιμ, alteram vero αντισπασιμ vocant; & qui Galenum ex Græco ſermone in latinum verterunt, illam reddiderunt latine derivationem: hanc autem revulſionem. Galenus auctor eſt has eſſe communia immodici actus evacuandi remedia. Derivationem autem fieri ſtatuit, per loca vicina: ſi nempe id, quod. v. g. per palatum, per alvum, &c. ſolebat evacuari, per nares, per urinas, &c. derivetur. At revulſionem fieri per loca contraria. Exempli gratia, humores, ſi ſurſum nimia in copia tetenderint, deorſum deducendos; ſin vero infra, ſupra eos eſſe ducendos; ſi intrinſecus vergant, eos tum extrinſecus flectendos; contra, ſi aliter, ac dixi, res ſe habuerit. Eadem ratio eſt, ſi vel in dextro vel in ſiniſtro latere affluxus fuerit humorum. [106] Reliqua quidem media ſunt, quibus dictæ operationes perficiuntur, dicenda:

[104] Libr. XI. Cap. xxx. de ſimpl. medic. facult. & libr. v. in Proœm. earund. facult. Eandem, ait, conditionem eſſe complurium venenorum, antidotorum, purgantium, ac plerorumque attrahentium remediorum, quæ ſingula ratione totius ſubſtantiæ virtutem ſuam efficere.

[105] De renum dignot. & medic. Cap. XXVIII. Plura de utilitate exercitationum tradit in libris de tuenda valetudine.

[106] Libr. V. Cap. III. & Libr. IV. Cap. VI. Method. medend.

da: verum, quia ea vobis, Medicinam ægrotis jamdiu facientibus, ſatis cognita; hac de cauſſa dictorum enumeratione ſuperſedebo, eademque in medio relinquam. [107] Næ, inquit, *Lucius*, noſtrorum voluntati in recenſenda Doctrina Galeni abunde ſatisfeciſti, ignoſcas nobis æquo animo, obſecro, quod nos tibi tantam moleſtiam uſque in diem veſperaſcentem exhibuimus.

[107] Plura, ſi deſiderentur, vide Libellum Galeni de hirudinib. revulſ. &c. & de ven. ſect. adv. Eraſiſtratum. Cap. XII. & de curand. rat. per ſang. miſſ.

DIALOGUS. XIV.

De Typis, & de Græcorum, Arabum, Latinorumque, qui poſt Galeni exceſſum inclaruerunt; ut & de Chinenſium Medicorum, placitis.

SOlino & mihi, a meridie ſole verno, in horto Academico, ædibus, quas incolo, contermino, ambulantibus, vernantem floridamque humum contemplandi gratia, ex inſperato obviam fiebat *Hotton*, in Athenæo Lugdunenſi Profeſſor Medicinæ longe celeberrimus. Nos ei obviam properabamus.

Et ego, ſalvebis, inquam, a nobis Vir præſtantiſſime, &, ſalvum te adveniſſe, gaudemus. Rogo obnixe, ut pauliſper apud me commoreris, intretis ambo domum fores patent. Introeamus hoc conclave, inſideatis, velim, in his ſeliis.

Tum *Hotton*. Licet mihi, inquit, non ſit otium, ut longius in hoc loco morari poſſim, tamen, quia enixe expetis, obtemperabo tibi, quantum temporis vacabit ab aliis negotiis. Verum, ut aliorſum oratio-

nem

tionem flectam, dic mihi, quomodo ſe habeat hoic loci ars Medica? ſunt ne in hac urbe complures valetudinarii, qui medicum adhibent?

Sunt quidem, inquam, ſed horum cauſſa non faceſſitum eſt viris, artem medicam exercentibus, magnum negotium; ſiquidem plerique urbis incolæ, dum ægrotant, morbo plurimum aliquo diuturno ægri ſunt. Salubritas cœli in cauſſa eſt, ut morbus aliquis acutus & contagioſus perraro hujus urbis habitatores affligat. Sed, da nobis, nonne Lugdunenſium ſit eadem conditio.

Equidem, inquit *Hotton*, nos ſupremi Numinis clementia hucuſque morborum acutorum immunes: interea tamen graſſantur in homines febres quædam, typum uniuſmodi non ſervantes.

Quid? ain' tu typum? inquam. Puto eum, qualiſcunque fuerit, dudum e Medicorum ſcholis proſcriptum inque exilium ejectum.

Res ita fere, inquit *Hotton*, ac dicis, ſe habet: & præterea non ignoro, typorum perraro, medicorum vel in ſcholis, vel in libris, mentionem fieri: Attamen non dixerim doctrinam de typis prorſus antiquatam, ſeu, ut tu dicis, in exilium pulſam; ſunt quippe medici, qui ſubinde, & typos, & morborum periodos, commemorant.

Verum, inquam, quoniam typi & periodi nobis in mentem incidunt, reddas, quæſo, Clariſſime *Hotton*, quæ de dictorum cognitione reſtant. Perſuaſum enim habeo, vix ullum penes antiquos Medicinæ ſcriptores dogma, ſive abrogatum, ſive abſtruſum, reperiri, quod tuam fugiat ſcientiam. Tu enim a me, abſit adulandi animus, quaſi heluo librorum, ſi hoc verbo in tam clara re utendum eſt, haberis.

Tu profecto, inquit *Hotton*, qui mihi tantum tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis

amice, ſed quantum mihi ſum conſcius, non recte judicas de quantacunque ſcientia mea: Enimvero complurium, ad Medicinam ſpectantium, ſum rudis. Verum tamen, quomodocunque nunc fuerit ſcientiæ meæ ratio, conabor propoſitum proſequi, ac declarabo ſententiam veterum de typis, in quantum eam mente aſſequi valuerim. Sed ad rem. Typum vocabant veteres ordinem acceſſionis & remiſſionis alicujus morbi: periodum vero tempus acceſſionis in morbo factum. [1] Licet nunc varii morbi, in primis chronici, ut atrophia, paralyſis, lepra, &c. ſint, in quibus nullam periodum, &, quod conſequens eſt, nullum typum agnoſcere valemus: ſunt tamen morbi admodum compluſculi, & hos inter maxime febres, in quibus doctrina de typis & circuitibus morborum, uſu venire poteſt; quamquam interea non negaverim, eandem plurimis implicatam difficultatibus, quibus pauci fortaſſis, me ipſe non excipio, ſe extricare queunt. Dividuntur typi in primos, (α) qui brevem habent acceſſionem & diuturnam remiſſionem, cujuſmodi ſunt tertiani & quartani: (β) in ſecundos, qui contrario, ut primi, procedunt modo, ut quotidianus, ſemitertianus: (γ) in conſiſtentes, qui iiſdem horis invadunt, & reſiſtunt: (δ) in mobiles, ſive ii nunc ocyus, ſive tardius, ſeu adveniant, ſeu abeant: (ε) in ſimplices, qui unicum habent paroxyſmum; & (ζ) in compoſitos, quibus plures & acceſſiones & remiſſiones ſunt. [2] Præter hæc typum appellabant veteres non omnem cujuſvis morbi periodum, verum ſiquæ ex integris diebus juxta & noctibus fuerit conſtituta: proindeque opinabantur ſecundum unum quemque dierum numerum, typum eſſe quoque peculiarem. [3] Quæ

[1] *Galenus* de typ. Cap. 1. [2] *Ibidem.* Cap. 11.

(3) *Idem*

[3] Quæ cum ita ſint, ratum habebant, typorum circuitus viginti, vel triginta dierum ſpatio non ſolum terminari, ſed diutius moram trahere, poſſe. Ut autem aliquis invenire poſſit, quot ſint typorum implexus, neceſſum eſſe, ſtatuebant, ut is numerum horarum cujuſque typi in memoria habeat, vel in charta deſcriptum. Scilicet typum quotidianum eſſe viginti quatuor horarum: tertianum XLVIII. quartanum LXXII. ac ita porro pergendum eſſe, ſuperaddendo utpote unicuique typo XXIV. Quod, cum aliquis dicto modo typos ad calculum vocaverit, tunc experietur typum decumum habere horas CCXVI. trigeſimum DCXCVI. quinquageſimum MCLXXVI. &c. Quandoquidem nunc typi nomen, non a diebus completis, ſed ab acceſſionis repetitione, ſunt ſortiti, inſpiciendæ veniunt acceſſionum periodorum horæ, quota pars ſint horarum typorum: illis etenim efficitur multitudo, ſeu ſpecies typorum. Verbi gratia ponatur, quendam experiri acceſſionem morbi per horas ſex, remiſſionem vero horas duas, ac ita integram periodum octo horis abſolvi. Præterea conſideretur quoties octo in viginti quatuor, in uno typo nempe, habeatur, invenietur ſane ter haberi; pronuncietur itaque quotidianas tres eſſe implexas, quia typus quotidianus eſt horarum XXIV. Iterum ponatur ſedecim horarum paroxyſmi periodum eſſe: quoniam autem ſedecim nulla eſt numeri viginti quatuor, ſed potius quadraginta octo, ſeu typi tertiani, particula, & quidem tertia; enuncietur igitur tres febres tertianas invicem eſſe implexas. Iterum ponatur periodum acceſſionum eſſe horarum quinque, quia autem hæ ſunt pars vigeſima quarta horarum CXX. efficitur inde viginti quatuor typos, ordinis ſex-

[3] *Idem* in libro ad eos qui de typis ſcripſerunt. Cap. 1.

(4) *Ibi-*

ti, invicem eſſe implexos. Ad huc ſemel ponatur periodum acceſſionum eſſe horarum ſeptem, ducantur hæc in CLXIIX. pateſcet poſtmodum illa in his vigeſies quater inveniri: ſtatuatur idcirco ſeptem eſſe typi octoni partem vigeſimam quartam: vel viginti quatuor typos octavi ordinis eſſe invicem implexos: vel viginti quatuor typos, intra CLXIIX. horas, ſeu ſeptem dies naturales, evenire, quos typos ideoque octonos eſſe appellandos. Quod autem illæ typo octonario, & non ſeptenario, adſcribantur, ratio in promptu eſt, quod non dentur typi ſecundani, pari modo ut non habentur febres ſecundanæ; ſed eæ, quæ ſecundo quoque die invadunt, ægro videlicet per unum diem febri carente, a medicis, ut noſtis, appellatur tertianæ. Calculus namque ſubducitur a principio paroxyſmi, quod pro prima die in numero habetur, ad principium paroxyſmi inſequentis: jam quando id in febri quadam intermittente tertio quoque die contingit, tunc vocatur ea tertiana, ſi quarto, quartana. Reliquarum eadem ratio eſt. Typis autem nominatio eſt, non reſpectu periodorum vel dierum numeri, verum ratione vicis paroxyſmorum. Sin autem cuipiam videretur negotium nimis moleſtum, additione, ut paulo ante dixi, numerum horarum cujuſque typi invenire: is poteſt tum via compendiaria eandem inſtituere computationem, ſi modo de numero typorum demſerit unum, & reliquum per XXIV. multiplicaverit. Exempli gratia, aveo ſcire, typus quadrageſimus quartus quot habeat horas, tunc capio quadraginta & tres, quæ per viginti & quatuor multiplicata, efficient mille triginta & duo, qui eſt numerus horarum typi, ut monui, quadrageſimi quarti. Cæterorum eſt eadem conditio. [4] Hoc

[4] *Ibidem.* Cap. V. VI. VII. & XI. unde hæc ad compendium contuli. Quod ſupereſt, numerus horarum circumeuntium per ac-

Hoc loco *Solinus*. Sed quodnam commodum, inquit, cepit Medicina ex hac curioſa, quin dicam, portentoſa typorum doctrina? Quantum ad me, parum abeſt, quin hæc mihi, tanquam nugalia theoremata, quæ modo ingenii, abſtruſioribus in diſputationibus cupidi, ſubtilitatem præ ſe ferunt, habeantur.

Tum *Hotton*. Equidem, inquit, ut aperte ingenueque fatear, non tantum nunc habeo, ut dictionem ſententiæ tuæ, ſeu contradicere, ſeu verbis oppugnare, valeam. Verum, ut, quod ego ſentio, proferam, non perſuadere mihi poſſum, veteres ejuſmodi laborem, quem typorum doctrinæ impendebant, fruſtra ſuſcepiſſe. Mihi, Galeni ſcripta pervolventi, videtur videre, excogitatam idcirco hanc doctrinam ab ejus anteceſſoribus fuiſſe, ut acceſſionem morbi futuram prænoſcerent, ut victus rationem rite inſtituerent, nec non tempus ſcirent, quando Medicina eſſet ægrotis danda. [5] Verum enim vero, quoniam veteres, qui hujuſmodi de typis doctrinam ſingulariter tractarunt, injuria temporum periere; ea de cauſſa & auctoritate & exemplis deſtitutus nequeo eam, quæ nunc vobis aut incongruens, aut abſcondita habetur, facere planam.

Tum ego. Dediſti quidem, inquam, finitionem

acceſſiones æſtimatur, quoties is metitur aliquem ex iis, qui ſecundum typos habentur, toties typus hujuſmodi illi implicatur vel complicatur. Ex. gr. periodus acceſſionum quindecim horarum, quæ quinque dierum typus eſt, & ſextanus plerumque vocatur, poteſt eſſe, aut octo ſextani, aut ſedecim undecumani, aut viginti quatuor ſex decumani, aut triginta duo vigeſimani primi, &c. typorum, ordinis. Ex his dictis efficitur doctrinam de typis dubiæ rationis haud eſſe expertem. Quinimo ipſe Galenus non diffitetur eam eſſe ſcientiam inanem, & Jatroſophiſtarum inventum.

[5] *Ibidem*. Cap. IV. & de differ. febr. libr. II. Cap. VIII.

(6) Libr.

vocabuli periodi, ſed quid cauſſæ eſt, quod aliqui morbi per circuitus eant, redeantque.

Et tu iterum, inquit *Hotton*, quæſtionem in medium affers magnam, quam Hercule, in quantum ad me pertinet, in medio cogor relinquere. Equidem non ſum neſcius, diuturnitatem acceſſionum juxta Galenum oriri propter materiæ vitioſæ multitudinem, craſſitiem ac lentorem, potentiæque imbecillitatem atque meatuum anguſtiam: brevitatem autem propter materiæ inutilis ſubtilitatem, paucitatem, & potentiæ naturalis vigorem, meatuumque laxitatem; ac quanto ocyus, vel tardius ejuſmodi materia iterum, finito paroxyſmo, colligatur accumuleturve, tanto & citius aut tardius, acceſſionem rurſus futuram: quin etiam quotidianam pituitæ, tertianam bili, & quartanam melancholiæ originem ſuam debere. [6] Neque mihi latet, Avicennam etiam morborum circuituum cauſſam tribuere materiei ſive qualitate, ſive quantitate perperam in corpore exiſtenti: & Averrhoem diverſæ caloris innati, materiam plurifariam depravantis, indoli: & Gentilem, Thomamque de Garbo occultæ humorum quorumlibet proprietati; peculiare enim, rebantur, eſſe pituitæ, ut quotidie: bili, ut tertia: & melancholiæ, ut quarta quaque die, circuitus ſuos perficiant. Nec ignoro Aponem, qui vulgo conciliator vocatur, periodorum quorumvis morborum cauſſam Lunæ, Telluris, in qua habitamus, dominatrici, in primis referre: & Sanctorium putare, non humores, ſed loca ſeu partes affectas, prout eædem multifariam diſſitæ aut vicinæ cordi, cauſſam diverſitatis periodorum eſſe. [7] Reliquarum ſectarum hypotheſes, ne lon-

[6] Libr. 11. de differ. febr. Cap. 16. 17. & 2.

[7] Vide *Maſſariæ* Practic. libr. VII. Cap. VIII. de febr. cauſſa.

longius evager, impræſentiarum faciam miſſas. Verum dicta, quomodocunque fuerint prolata, non dilucidant quæſtionem propoſitam: nec video eam a recentioribus, naturalium rerum indefeſſis ſcrutatoribus, citra hæſitationem fuiſſe enodatam. Non modo ego, verum etiam optimus ac graviſſimus quiſque perlibenter confitetur, ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam eſſe diſcenda; quo loci etiam referendam, arbitror, doctrinam de ſtatis morborum quorundam periodis; quam ne Apollinem quidem ipſum, puto, intelligere. Eam quippe numeris Platonicis judico obſcuriorem.

Miſſa igitur, inquam, faciamus, quæ captum qualemcumque noſtrum ſuperant. Verum enim vero, quod bona cum venia veſtra fiat, liceat mihi aliorſum confabulationem noſtram flectere. Interfui, fari pergebam, aliquoties in cœtu eruditorum, ubi inter nos colloquebamur de placitis veterum Medicorum, deque medicorum circa ea, diſſenſione. Et, quia noviſſime dogmata Galeni pertractavimus; mutabilitatem itaque ratiocinii, quam Medicina ab obitu Galeni, uſque ad tempora Paracelſi, ſuſtulit, jam ſciendi ſum percupidus. Tibi Clariſſime *Hotton*, es enim, & veteris, & recentiſſimæ Medicinæ longe peritiſſimus, hoc negotium velim dari. Tu, ſi modo volupe fuerit, potes nobis breviarium hiſtoriæ rerum, quæ in Medicina revolutis tot ſeculis evenerunt, ſuppeditare.

Quorſus iſtuc? inquit *Hotton*. Non mereor, quam tu mihi tribuis, laudem. Ipſe enim ego ſcio, quam curta mihi ſit ſupellex, quantula memoriola, atque adeo inhabilis ſim ad opus, quod mihi injungendum duxiſti, ſuſcipiendum.

cauſſa. & Sennerti de febrib. libr. II. Cap. XVII.

(8) Vi-

Tum *Solinus*. Da ergo, inquit, quæ potes. Enimvero ultra poſſe, ceu jampridem ſermone tritum habet adagium, nemo obligatur.

Igitur, ut vobis auſcultem, inquit *Hotton*, dabo Synopſin decretorum, quæ e variis auctoribus quondam excerpſi. Pervelim equidem, ut obiter moneam, ut dicendorum auctorum opiniones ordine & tempore, quo vitam degerunt, reddere poſſim: Aſt, quia de eo inter doctos controverſia eſt, quæ etiamnunc propter teſtimonii probati defectum haud diremta; eapropter ordini cum maxime trito inſiſtam, & vobis narrabo primum Græcorum, poſtea Arabum, dein Latinorum de dogmatibus; & quidem breviter plurimorum faciam auctorum mentionem. Sed ad propoſitum. A Theophilo, qui tractatum de urina ſcripſit, exordiar dicere. Is ſtatuit generari lotium in vena illa magna, a Galeno κελεχιαῖα vocata, quæ a ſima jecinoris parte exoriens aliarum veluti truncus eſt. In hac, putat, facultatem αἱματοποιητικὴν opus ſuum abſolvere. Præparato namque ſanguine, perturbationeque in eodem oborta, quicquid leve eſt, ac ſurſum tendit, cujuſmodi flavum bilioſumque excrementum eſt, illud veſicam biliariam, juxta hepar ſitam, per meatum ſuum recipere: partem vero terreſtrem, & quaſi fæculentam ſanguinis, ſplenem beneficio ductus ſui ad ſe attrahere: Aquoſum autem excrementum una cum ſanguine mixtum, in truncum venæ cavæ, a parte ſuperiore ad inferiorem ſpinæ adjacentem impelli, atque a renibus exceptum, in urinam commutari. [8] Quapropter, urinæ oleum ſupernet, vel ejus in fundo omnigenum ſedimentum ſubinde reperiatur, hanc rei rationem, putat. Scilicet pinguedinem & carnem inter ſolidas corporis

[8] Vide Cap. 11. de Urinis.

(9) Ibi-

ris partes, & molliores esse, & humidiores. Si quis nunc febri laboret, resolvi tunc primo pinguedinem, partium omnium solidarum solutu facillimam, deinde vero carnem. A calore autem pinguitudinem colliquari, atque in substantiam olei transmutari. [9] Carnem, quæ totum corpus circumvestit, quæque renes constituit, a calore liquatam, in caussa esse, ut fiat sedimentum instar ervorum: si sedimentum fuerit, proinde ac laminæ essent vel folia, abradi tunc ea de corporis superficie, præsente in primis febre: alias de vesica duntaxat. [10] Eandem ait rationem esse sedimenti furfurosi. Sedimentum, similagini simile, oriri, autumat, aut ob solidarum partium colliquationem, aut propter adustionem sanguinis: si album fuerit, illam affectionem; sin vero rubrum, hanc significare. [11] Quod vero ad excrementa alvi pertinet, tunc existimat, ea fore debita constituta, si modo excretionis tempus, tempori concoctionis perfectæ fuerit consentaneum. Bifariam autem contingere posse, quo minus debita excernendorum per alvum excretio fiat, atque ea aut tardius justo, aut citius: si tardior fuerit, fieri eam vitio facultatis alterandi aut excernendi: si ocyor, accedere hanc propter imbecillitatem potentiæ retinendi: vel etiam propter bilem flavam, intestinorum tunicam, stimulantem, vellicantem, pungentem. [12] Continuas porro excretiones fieri, vel ob toni vitium, partium nempe juxta ventriculum: vel ob irritationem, e vitiosis humoribus circa ventriculum collectis, exortam. [13] Mirum sibi videri, ait, quod facultas trahendi intestinorum, non modo a partibus superioribus ad in-

[9] *Ibidem.* Cap. XVII.
[10] *Ibidem.* Cap. XVIII.
[11] Vide Cap. XX. & XXI.
[12] De retriment. alvi Cap. II.
[13] *Ibidem.* Cap. IV.

feriores: verum etiam ex inferioribus ad ſuperiores, operetur. Cibum quidem plurimum e regione ſuperiore ad inferiorem pelli: Verum tamen vi periſtaltica ab infra incipiente, quæ in ipſis inteſtinis, inque ventriculo, continentur, verſus ſuperiora ferri, ac evomi. Quid? quod humor aliquis acris in iis, qui ventrem exonerare nequeunt, iterum ſurſum vehatur, ventriculum poſtmodum vellicet, & caput anathymiaſi repleat. [14] Flatus vero, ratiocinando pergit Theophilus, generari ex humoribus quibuſdam flatuoſis circa ventriculum collectis: vel e cibis, a calore debili, in vapores reſolutis. Calorem enim cibos mitigantem, ſi is modo tepidus fuerit, illos quidem tunc digerere: attamen eundem munere ſuo haudquaquam defungi; ſed procreare potius quandam nubeculam, ſpiritus flatulenti auctorem. [15] De cætero honorificentiſſime & Hippocratem, & Galenum, appellat, atque horum auctoritati plurimum tribuit.

Sed, interfabar ego, quid judicas de Sorano?

Quantum ad me pertinet, inquit *Hotton*, arbitror, plures fuiſſe, qui nominationem Sorani ſortiti fuerunt. Nam is, qui Epheſo erat oriundus, fuit, ut mihi cum Galeno atque Cæl. Aureliano conſtat, ſectator ſectæ Methodicæ. Verum ille, cujus meminit Aetius, quamquam perraro, tamen ſi id agit, more Galeni fere ratiocinatur. Commemorat enim intemperies, quas nauci habebant Methodici. [16] Cæterum proſtat liber, titulo Sorani Epheſi ſuperbiens: verum hic auctor imitatus eſt auctorem Epiſtolæ,

[14] Ibidem. Cap. XV.
[15] *Ibidem.* Cap. XVII.
[16] Vide *Ætii.* tetrabibl. IV. ſerm. IV. Cap. LXXIV. & Cap. LXXIII., in quo agit de Uteri debilitate. hæc habet. *Menſtruorum vero tempore, pectinis lumborum ac crurum gravitas adeſt, &*

ſto-

ſtolæ, quæ in lucem ſub nomine Dioclis ad Antigonum Regem prodidit: vel auctorem libri de dynamidiis, operibus Galeni inſertum. Quid? quod Arabum quorundam more potius ratiocinatur. Statuit enim, in capite phlegma, in pectore ſanguinem, in ventre bilem rubram, inque veſica bilem nigram, reſidere: atque ſuis quæque humoris ſpecies adaugeſcere temporibus. Sanguinem namque in corporibus vere, bilem rubram æſtate, bilem autem nigram ut & pituitam hyeme, augeri. Præter hujuſmodi humores, memorat, quaterna fellis genera inſuper in homine eſſe, fulvum nempe, rubrum, nigrum, & phlegmaticum. Præpoſterum ſervat ordinem in ſuo cuique loco, ubi reſideat, tribuendo. Vult enim bilem fulvam tempore verno in ſtomacho: rubram æſtivo tempore in latere ſiniſtro (error eſt, forſitan putat in latere dextro), nigram tempore hyemali in latere ſiniſtro: phlegmaticam tandem autumnali tempore in pulmone, abundare, ac rerum potiri: [17]

Miſſum fac, inquam, auctorem, quem hominem nugatorium recentiores haud injuſte appellarent. Reliquorum, quos promiſiſti, perſequere doctrinam tradere.

Si auctorum Græcorum, inquit *Hotton*, qui poſt Galenum inclaruerunt, doctrinam mecum reputo, tunc hæreo in judicando de placitis, quæ cuivis auctori

ſtomachus male habet, & hinc vaporibus ad caput elevatis aliquando deliria ſuccedunt, ſimileſque ſunt harum vexationes eis, quæ ab utero ſtrangulantur: quandoque etiam velut atra bile perciti deſipiunt, ac furore aguntur. Capite LXXII., quo ſeminis fluxum. & Cap. LXXV. uteri reſolutionem: & aliis Cap. quibus varios morbos tractat, reddit quidem dictorum morborum curationem; verum de eorum cauſſis vix quicquam tradit.

[17] Vide ejus librum, cui titulus eſt, Iſagoge in artem Medendi ſaluberrima. Cap. V. XII. XIX. XX. & XXII.

ctori propria ſeu peculiaria ſunt. Quippe ad unum fere omnes excerpſerunt, hauſeruntque ex antiquis dogmata, methodumque medendi. De iis itaque ægre judicium poſſumus facere, utrum de ſuo veterum doctrinæ aliquid addiderint, nec ne? Exemplum ſumamus ex Oribaſio. Is, ut e ſcriptis, quæ e tanta collectorum mole nobis etiamnunc ſuperſunt, manifeſte apparet, vix quicquam habet, quod ipſi ſingulatim attribui poſſit. Etenim is ipſe ingenue profitetur, ſe juſſu Juliani imperatoris e præſtantiſſimis quibuſque auctoribus, quæ ad valetudinem tuendam pertinent, excerpſiſſe, eaque ſeptuaginta libris, quorum ſeptendecim etiamnunc ſuperſtites, comprehendiſſe. [18] Quandoquidem vero tam vaſta, operoſaque librorum moles, difficulter poteſt ab uno quoque tractari: hac de cauſſa eam, ſuaſu rogatuque filii Euſtathii, Oribaſius ad compendium, ad libros novem, redegit. [19] Theoriam Medicam perbreviter, rationem autem curandi prolixe, pertractavit, ac ingentem remediorum copiam collegit. Inter alia, quæ ab ipſo memoriæ prodita, quæque ab aliis poſterioris ævi ſcriptoribus ſemel atque iterum exſcripta, eminent notæ ſignave temperierum non modo totius corporis, ſed & variorum viſcerum. Firmam corporis conſtitutionem æſtimat, ſi id in medio omnium extremitatum fuerit poſitum. Nempe, ſi nec nimis obeſum, ſi nec gracile, craſſum, calidum, frigidum, nec alio quodam qualitatum exceſſu, prædituum fuerit: tribus verbis, quod naturales animaleſque actiones habet integras. Colorem rubrum corporis, capillos nigros paululum hiſpidos, venaſque latas indicia eſſe, quod tale corpus juſto calidius ſit, quin

[18] Hujus gratia vide præfationem libr. 1. collect. med.

[19] Vide præf. ſynopſ. libr. 1.

quin etiam citiorem in infantia dentionem ſubeat. Frigidæ temperiei notas eſſe, ſi corpus tactu frigidum, ſi glabrum, ſi pingue, ſi venæ anguſtæ ſint. Siccæ temperiei indicia hæc eſſe, corpus utpote durum ac aridum exiſtens difficulter moveri, ſqualidum ac ſiccum ab exſiccantibus fieri. Humidæ vero temperaturæ ſigna eſſe, ſi corpus molle: ſi majori carnis copia refertum, unde illius craſſities, vel obeſitas; ſi male fert uſum rerum humidarum. His ſubjunxit ſigna intemperierum compoſitarum, non modo corporis generaliter; ſed etiam ſpeciatim diverſarum ejus partium, ut capitis, ut cerebri, ventriculi, pulmonis, cordis, atque jecoris. Ad hæc omnia enarranda, profecto opus mihi eſſet non unius horæ negotium: ea de cauſſa breviloquentiæ ſtudens his ſuperſedeo. [20] Quantum vero ad omnis generis corporis affectus ſpectat, tunc ſtatuit, œdematis cauſſam eſſe fluxionem aliquam pituitoſam: Vitiliginis albæ ſanguinem pituitoſum ac lentum, qui diuturnitate temporis colorem indeptus fuerit albidum: nigræ vero cauſſam, eſſe ſuccum melancholicum. Humorem, qui lepram efficit, ſtatuit, ad imas uſque partes penetrare: &, qui ſcabiem, corporis ſuperficiem occupare. A ſanie tenui atque acri, cæteris craſſioribus admixto, oriri impetiginem, quam facile, ait, ſeu in ſcabiem, ſeu in lepram degenerare. Inflammationum cauſſam materialem eſſe ſpiritum flatuoſum craſſum, vaporiferumque: corporis autem denſitatem, ſpirituum evaporationem inhibentem, eſſe cauſſam adjuvantem. [21] Flatus in ventriculo gigni, autumat, e ſuccis vel cibis, ab imbecillo calore

[20] Plura ſi deſiderantur, vide ſynopſ. libr. v. Cap. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. &c. Cap. LI. & ſequentibus tradit intemperierum curationes.

[21] Hæc habet Synopſeos libr. VII. Cap. XXXV. XLIIX. XLIX. & L.

re in vapores diſſolutis. Omnimodas jecoris affectiones oriri, putat, vitio variarum intemperierum. Calidam ſuccos aſſare: frigidam humores craſſos, & ad fluxum atque motum contumaces reddere: ſiccam, ſuccos craſſiores ſiccioreſque juſto efficere: humidam vero partes juſto dilutiores facere. [22] Febrem hecticam non ſolum in humoribus ſpirituque, ſed etiam in ſolidis partibus, conſiſtere. Calorem in hoc morbo ægros non ſentire, quia omnes corporis particulæ æquabiliter calefactæ. [23] Sed ſatis verborum de doctrina Oribaſii feci, ad alios oratio mea ſe convertat, neceſſe eſt. Primo mihi in mentem venit Philagrius, e quo varia excerpſit Aetius, & quantum e citatis locis addiſcere potui, videtur mihi illum non magnam operam, cauſſarum abditarum, morbos efficientium, inveſtigationi, impendiſſe; ſed potius tractaſſe, quæ ad curationem morborum ſpectant. Interea tamen non inficias ibo, conſtare e capite, in quo de affectibus lienis cognoſcendis egit, eundem placita Galeni fuiſſe amplexum. Statuit enim lienem, ut cætera corporis membra, juxta octo intemperierum genera, a Galeno primum excogitata, omnifariam affligi. [24] Idem judicium facio de Philumeno, quem etiam in numero ſectatorum Galeni, vel Archigenis, habeo: quod liquet, quia febrem ardentem progigni putat e flava bili putrefacta, ac jugiter incenſa. [25] Tonſillas deinde, quoniam in loco calido & humido ſint poſitæ, frequentiſſime ideo affici inflammatione. [26] Cætera, quorum in dictis fragmentis fit mentio, pertinent potiſſimum ad

[22] Dictæ ſynopſ. libr. IX. Cap. XIX. & XX.

[23] *Ibidem.* libr. VI. Cap. XXI.

[24] Hæc *Ætius* tetrab. III. ſerm. II. Cap. VII.

[25] *Idem* tetrab. II. ſerm. I. Cap. LXXVIII.

[26] *Idem* tetrab. II. ſerm. IV. Cap. XLV. & tetrab. IV. ſerm. IV.

ad medicationem rite inſtituendam. Et Ægineta & Aetius inſtiterunt methodo Oribaſii, excerpſeruntque atque ad compendium redegerunt complurium ſcripta veterum. Quid? Ægineta in præfatione operis ſui ingenue fatetur, ſe compendium e veteribus confeciſſe, atque in hoc minime fœturas ſuas, paucis quibuſdam exceptis, propoſuiſſe. Quæ cum ita ſint, neſcio ſane, ſi qua inde depromam, an ea ipſi, tanquam ſua, vendicare auſim. Et præter hæc, quamvis lectori aliqua in ejus ſcriptis obveniunt, quæ videantur proprio marte elaborata: tamen, ſi ea cum placitis Galeni comparentur, clare perſpicueque inde efficitur, Ægineta in numero aſſeclarum Galeni, cujus doctrinam eſt amplexus, collocandum. Idem judicium judico de ſcriptis, deque doctrina AETII.

Aſt, inquam, probatur ne tibi, ut cum his tribus, Oribaſio videlicet, & Ægineta, & Aetio, annumeretur quoque Alexander Trallianus.

Quidni? inquit *Hotton*. Namque in dandis morborum cauſſis, ut ipſe fatetur, [27] aſſumpſit plerumque placita Galeni; & quantum ad rationem medendi pertinet, complura mutuatus eſt ab Archigene, Apollonio, Aetio, Theodoro Moſchione, &c. Dabo aliquot ſpecimina, e quibus hypotheſis, vel doctrina, quam habet de morborum cauſſis, innoteſcet. v. g. Cephalalgiam oriri poſſe, autumat, a calida intemperie, exempli gratia, jocinoris: calidius enim juſto hoc viſcus exiſtens mandare vapores exhalationeſve ſurſum in caput, hujus dolorum auctores. Ean-

IV. Cap. LXXXIII. ſtatuit Philumenus uteri inflammationem ob multas cauſſas contingere: videlicet vel ex plaga, vel menſium obſtructione, vel abortu, ulceratione, nimio coitu, ſellæ durioris inſeſſu, longa ac intenta ambulatione: vel frigore, ac flatibus, eam oboriri.

[27] Libr. XII. Cap. I. *in* quo febres tractat.

Eandem, ait, rationem eſſe ventriculi, intemperie calida, prædiți. Non modo calidam, ſed & frigidam intemperiem, & bilioſum, & lentum humorem, &c. poſſe capiti omnis generis dolores importare, exiſtimat. [28] Phrenitidem naſci e flava bile, in cerebro aut ejus membrana, inflammationem excitante. [29] Paralyſis cauſſam putat humorem craſſum, viſcidum, frigidum: interdum etiam terreſtrem & melancholicum: aliquando intemperiem calidam in cauſſa eſſe, ut ſanguis reliquique humores nimis torreſcant. [30] Melancholiam ſubinde provenire e copia ſanguinis, cujus vapore ſpiritus animales perturbari: ſubinde e bilioſo & acriori ſanguine: quandoque vero a ſanguine melancholico, plus ſatis aduſto, vapores abundanter capiti tranſmittente, animalemque in eo ſpiritum, permutante. [31] Aquam inter cutem ducere originem a jecore admodum refrigerato: quocirca id viſcus non amplius cibos in ſanguinem, ut alias aſſoleat, ſed in aquam, aut in pituitam, aut in flatus, tranſmutare. Hiſce poſitis ratum habet Aſcitis cauſſam eſſe tenuem ſeroſumque humorem: tympanitidis, flatus: Anaſarcæ autem, humorem pituitoſum. [32] Calculos in renibus generari a tenacibus craſſiſque humoribus, ab immodico renum calore invicem compactis, atque toſtis; calculos veſicæ autem, quoniam e materia craſſiori conſtent, non depoſcere tantum calorem, quemadmodum calculi renum materia, ſed illam prompte ab inſito qualicun-

[28] *Idem* libr. 1. Cap. x. Et Cap. xi. exhibet notas Cephalææ, quam, putat, ſubinde oriri e cerebri inflammatione, aliquando fieri ex inſidente ſpiritu flatuoſo, interdum ex acri & bilioſo humore, aliquando etiam e calida corporis intemperie.

[29] *Ibidem.* Cap. xiii.

[30] *Ibidem.* Cap xvi.

[31] *Ibidem.* Cap. xvii.

[32] Libr. ix. Cap. i. & ii.

licunque calore in lapidem concreſcere. [33] Profluvium ſeminis non provenire ſolum a copia ejus, facultatem retinendi, in vaſis ſeminalibus contentam, gravante; verum etiam ex acrimonia ac tenuitate ſeminis. [34] Febrem denique, opinatur, ſedem ſuam habere in corde. Materiam illius triplicis generis eſſe: ſubſiſtere enim eam vel in ſpiritibus, vel in humoribus, vel in ſolidis corporis partibus: ſi in illis ſubſtiterit, oriri tunc diariam: ſi in iſtis, febres putridas: at vero ſi in his, hecticam. [35] Hæc & ſimilia ratiocinia, quomodocunque fuerint, in medio relinquam: hoc tamen de Tralliano poſſum aſſeverare, eum accurate & exquiſite ſigna, vel notas morborum ſecundum datam hypotheſin, tradidiſſe, atque curationem morborum ad eandem normam cauſſarum direxiſſe. Cæterum in morbis medicandis fidit multum amuletis. Et inter hæc cummaxime aſſerit exploratum ſibi eſſe de annulo ferreo octangulari, cui ſint inſcripta hæc Græca φεῦγε φεύγα ἰὲ χολῆ, ἡ κορύδαλος ἐσήτει: in capite autem ejuſdem annuli figura inſtar literæ N cum ſenis parvulis circulis, delineabo eam indice c. g. ita ſe habet ſchema  cujuſmodi confectum annulum inquam, ait, multum valere in propellendis doloribus colicis. [36] Ita etiam contra podagram commendat verſum ex Homero, laminæ aureæ inſculptum. [37] Nec minoris facit Altercum, Luna vel cum Aquario vel

Y Piſci-

[33] *Ibidem.* Cap. IV. & VII.

[34] *Ibidem.* Cap. IX.

[35] De his lege libr. XII. in quo copioſe doctrinam de febribus pertractat.

[36] Affectus Colici varias ſpecies memorat: aliam enim putat contrahi ex frigido humore, aliam e flatibus, aliam ex obſtructione indurati ſtercoris, aliam denique ex humore calido & bilioſo. Vide Cap. I. libr. X.

[37] Eſt verſus XCV. Iliad. B.

Ta-

Piſcibus verſante, effoſſum: & certis verbis adjuratum. [38] Sed mitto hanc ſuperſtitionem: ut autem me potius ad alios auctores conferam, incœpti ratio poſtulat. Hos inter ſe ſiſtet primo Nonius. Is ſtatuit omnimodas febres generatim oriri a materia quadam intra vaſa, vel putreſcente, vel efferveſcente: ſpeciatim vero tertianam fieri e flava bile; quartanam ex humore melancholico; quotidianam e pituita, extra vaſa putreſcente; cummaxime vero talem affectum oriri, ventriculo munere ſuo non debite perfungente. [39] Palladius etiam dogmata Galeni amplexus eſt: Ait enim a quaternis humoribus, male conſtitutis, omnigenos morbos exoriri. Ex. gr. Bile flava in vaſis redundante, ac in univerſum corpus ſe diffundente, fieri icterum, opinatur. Ab eadem bile, putrefacta autem, vaſis inhærente, febrem ardentem: ſin vero eadem extra vaſa fuerit, intermittentem tunc febrem oriri. Sinceram itidem bilem in aliqua corporis parte redundantem, putat, efficere herpetem: eroſionem vero huic affectui fore adjunctam, credit, ſi modo dicta bilis fuerit putrida. Pari modo de reliquis humoribus, tanquam cauſſis plurimorum morborum, diſſerit. [40] Supereſt, ut leviter attingam placita Actuarii, hominis præclara eruditione. Is ſtatuit hominem ex duobus contrariis, anima videlicet & corpore, conſtare, quorum alterum cum altero intimam coiviſſe ſocie-

Τετρήχει δ' ἀγορὴ, ὑπὸ δὲ ἰσοναχίζετο γαῖα.

Hunc ita latine reddiderunt. *Turbata autem fuerat concio, ſubtus autem gemuit terra.* Trallianus libr. XI. auctor eſt, dictum verſum aureæ laminæ inſcribendum, quum Luna eſt in Libra: præſtare autem multo, ſi illa in Leone inveniatur.

[38] Hujus feci ſupra p. 126. mentionem.

[39] Hæc ex ejus tractatu de febribus. Cap. II. IV. VI. & VII.

[40] Hæc in ejus conciſa ſynopſi de febribus Cap. V. & VI.

ſocietatem. [41] Animam autem eſſe ſpiritum atque ſubſtantiam ſimplicem, divinam, immortalemque, ac habere intelligentiam. i. e. facultatem conſultandi, dijudicandi, ratiocinandi, ſuadendi, diſuadendi: [42] eandemque parum, aut prorſus nihil commercii cum ſpiritibus noſtris habere. Animam itaque, in abſtracto conſideratam, nequaquam poſſe pati; Verum ſi evenit, ut quarundam paſſionum noſtrarum particeps fiat, fieri id ob ſpiritum, qui nobis eſt, animalem, quo mens, tanquam vehiculo vel miniſtro quodam, utatur: imo adminiculo ſpiritus animalis eam ipſam ſua ſecreta, ſuaſque exerere actiones. [43] Quantum vero ad ſpiritus pertinet, putat, quatuor diverſos nobis eſſe. Primum ventriculo ineſſe, & frigidæ & humidæ quodammodo qualitatis eſſe, eundem in aliis viſceribus poſtea attenuari, perfectionemque nanciſci, dempto ipſi ſuperfluo ſemper humido. Etenim optimum alimentorum in ventriculo elaboratum ſuccum, quem ait ſpirituum noſtrorum & principium eſſe & materiam, tendere ad jecur, ac inibi, nec non in venis, mutari in ſpiritum naturalem. Hoc, juxta ac inſtrumento, arbitratur, animam uti quando concupiſcit varia: hujus beneficio nutriri corpora noſtra: hunc denique cunctarum functionum naturalium auctorem, juxta & actorem, eſſe. De cætero ſanguinem, tranſacta in gibbas jecoris partes diſtributione, ſecundum venam, quam λαξδοειδῆ appellant, diduci: partem itaque ejus loca petere inferiora, partem vero recta pertendere ad cor; ibi eampſe per dextrum ejus ventriculum permeare in ſiniſtrum, eque hoc deinceps per arterias in univerſum corpus propelli: vel ſanguinem,

[41] Libr. 1. Cap. 1. de ſpirit. animal.

[42] *Ibidem*. Cap. III.
[43] *Ibidem*. Cap. V.

(44)

in dextro cordis ſinu per tenuia quædam foraminula eructantem, a ſiniſtro illius ventriculo excipi. Utut hæc ſe habeant, tamen non vult percolatione per dicta foramina duntaxat ſanguinem tenuiorem fieri, ſed multo magis in conſiderationem venire, & continuam ejus commotionem, ipſiuſque cordis calorem. Quæ cum ita fiant progigni interea ſpiritus quiſpiam, a Medicis vitalis appellatus. Hunc e corde, proinde ac e fonte, & inſtrumento vitalitati dicato, procedere, per omnes corporis partes. Hunc, ſi ratio ejus impetum reprimere nequeat, in cauſſa eſſe, ut ira, ſeu formido, ſeu aliæ animi perturbationes oborian-tur. Vitalem autem ſpiritum tum denique in animalis principaliſque ſpiritus ideam tranſire, ſi in finibus cerebri alteratus, transformetur in tenuiſſimam pellucidamque ſubſtantiam. Ejuſmodi ſpiritum deinde reſpectu meatuum nervorum, quorum alii aliis eſſe dilucidiores, obſcuriores, ſeu anguſtiores, &c. plurifariam affici, immutarique: & hinc inde variorum apprehendendi modorum cauſſam eſſe. Quid, quod ipſum ſpiritum animalem in unoquoque inſtrumento ſenſifero, autumat, peculiaris indolis eſſe. Eum enim in oculis luminoſa, in auribus aërea, in lingua, humida: in naribus vaporoſa: in inſtrumentis, tactui dicatis, terrea præditum indole. Tradita ſic cujuſcunque ſpiritus generatione & natura, credit inſuper quemlibet poſſe a vaporibus craſſis caliginoſiſque, a prava ciborum digeſtione ortis, quodammodo incraſſari, fierique turbidum; quare poſtmodum quemque evadere ineptum ad munia ſua obeunda. [44] Quod vero ad ipſum corpus attinet, putat Actuarius, cor hepar & cerebrum præcipuas ejus par-

[44] Libr. II. Cap. XVII. & libr. I. Cap. VI. VII. IIX. IX. XV. XVI. & XVII. e quibus verba ad compendium contuli.

partes eſſe. In primis vero cordi, tanquam naturalis caloris & vitalis roboris theſauro, eſſe primatum referendum. Hepar deinde ſecundo loco ponendum. Id ipſum caloris cordi inſiti magis particeps, quam alias corporis partes, eundemque per venam cavam, quam omnium venarum principium judicat, advehi. Cerebrum denique ſenſum motumque ac actionem ἡγεμονικὴν corpori ſuppeditare. Cæterum has partes principes, cuncta in corpore obvenientia, ſive mala, ſive bona fuerint, inter ſe communicare atque conſortionis quadam lege pati: quippe uniuſmodi in omnibus influxum pariter & conſpirationem eſſe. [45] Quantum vero ad præparationem humorum pertinet, exiſtimat, quatuor in diverſis fieri corporis locis concoctiones generales: primam in ventre, ſecundam in venis meſeraicis & in cava hepatis parte, tertiam in gibberoſa jocinoris parte, atque venis, indidem originem ducentibus, quartam vero in extremis corporis partibus: inque illis fieri partium, nutricatui deſtinatarum, appoſitionem, compagem, aſſimilationem. [46] Sed ſigillatim, perbreviter tamen, de ratione cujuſque concoctionis loquar. Cibum dentibuſque prius manſum, ait, aptum poſtea eſſe ad digerendum. Hunc a ventriculo excipi, qui corrugatus alterat cibum interveniente calore genuino in ſuccum: cujus partem puriorem, chylum dictam, venas meſeraicas, originem ab hepate ducentes, e ventriculo ipſo, eque inteſtinis ſugere, imo veluti emulgere: quam poſtmodum ad cavam hepatis partem deferri, ubi eam in ſanguinem mutari. Quandoquidem vero eum omnigenis, plurimum particulis refertum; hac de cauſ-

[45] De urin. differ. Cap. XII.

[46] *Ibidem.* Cap. V.

ſa veſicam biliariam, in gibbera hepatis parte ſitam, omne, quicquid tenue atque acre in eo ſanguine fuerit, attrahere: ſiquid vero terreſtris melancholicique humoris ipſi ſanguini admixtum, id ipſum ſplenem, e regione jocinori adjacentem, trahere: ſeroſum denique in ſanguine ſuperfluum a renibus ſecerni, ſubque forma lotii deinde foras excerni. [47] Actiones autem cujuſcunque coctionis omnifariam depravari poſſe: interdum vitium inſtrumentis, digeſtioni dicatis, inhærere: ſubinde debilitatam concoquendi virtutem: quandoque intemperiem humorum, ut craſſitudinem, lentorem, &c.: nec non multitudinem, eorundemque pravam computreſcendo contractam qualitatem, in culpa eſſe. [48] De intemperiebus, & ternis facultatibus hominis principibus, ut & de vitali in corde, de animali in cerebro, deque naturali in jecinore, reſidentibus, convenit ei cum Galeno. [49] Quin etiam cauſſam febrium, & reliquos corporis affectus, auxilio doctrinæ Galeni declarat. [50] Quod vero ad naturam nervorum attinet, ſtatuit Actuarius, aliquos, e cerebro, aliquos e medulla ſpinali, originem ducere: & alios ſenſibus, alios motui, deſtinatos. Ineptos eos ad motum fieri, vel ab intemperie qualibet, vel mutilatione, vel diſſectione, vel ab infarto humore: convulſione autem, & tremoribus membra affici, nervis ob plenitudinem, ictum, ſiccitatemque, ſua in principia contractis: quin & convelli, tremereque membra, propter facultatem alternis vicibus partim victam, partim vincentem. Etenim gravibus, ratione

[47] Vide de cauſſ. urinar. libr. II. Cap. II. & de urin differ. Cap. IV.

[48] Libr. II. Cap. III. de cauſſ. urinar.

[49] De Method. Med. libr. I. Cap. III. & V.

[50] Vide libr. II. Cap. I. de Method. med.

ne naturali deorſum tendentibus, facultatem attollentem reniti; atque ita, cum æquis fere viribus & oppugnantia & reluctantia inter ſe decertent, oboriri vitium, quem tremorem vocamus. Convulſionum tria genera eſſe, unum τέτανον vocari, ubi ſtatuarum inſtar ægros, ob nervorum diſtenſionem erectos, ſeu ſedere, ſeu jacere: alterum, ſi ægrotantes circa regionem pectoris magis convelluntur, ἔμπροσθότονον: & tertium, ſi dorſum & ſcapulæ convulſione affliguntur ὄπισθότονον, nominari. [51] Sanguinis e venis miſſionem, ut etiam leviter Actuarii medendi rationem attingam, utilem judicat in plenitudine, ac calidorum humorum putredine, inque iis, quibus excretiones conſuetæ ſunt ſuppreſſæ. Venas porro non caſdem ſemper eſſe incidendas; ſed vitiorum ratione aliis alias eſſe præferendas: alias dum refellere: alias dum humores derivare, animus eſt. [52] Præter hæc ſubinde ex uſu ut arteria, quamquam arduum ſit negotium, quia fluxus ſanguinis poteſt ægerrime ſiſti, incidatur. Namque vehementiſſimos capitis, dentiumque dolores, & maximas lippitudines, & catarrhos cumprimis generari, quoniam ſanguis tenuis, ac ſpiritibus refertus, cujuſmodi præſertim in arteriis contineri, copioſe ad caput deferatur; inde eum ipſum quaſi igneſcere, & ſpiritus ejus propter calorem adauctum quadantenus accendi; inde arteriis acutiſſime vibrandi, juxta & concutiendi, potentiam impertiri. Quæ cum ita eveniant, non poſſe non, quin ante memorati affectus oboriantur. Quod ſicubi ſanguis corruptus putriſ-

[51] *Atque eorum omnium cauſſæ*, ſcribit, *dorſi medullæ ictus, & refrigerationes, ac ejuſmodi quidam humores confluentes, cenſentur.* Libr. I. Cap. XVI. de Method. medend.

[52] Libr. III. Cap. I. de Method. med.

† Cu-

triſque commoretur, † eo loci admovendas hirudines putat: cucurbitulas vero cum ſcarificatione, ſi noxios humores in profundo lateant: citra ſcarificationem autem eas uſu venire, ubi revellere, & ſpiritum craſſiorem fluctuantem exhaurire, diſcutereque cupimus. [53] Cæterum, ut brevis ſim, in methodo medendi perſequitur Galeni ſectam, [54] cujus placita, cum vobis ſatis ſuperque nota, depræſentiarum faciam miſſa.

Attamen non denegabis, inquit *Solinus*, præterquam tibi alibi res momentoſæ eſſent perficiundæ, in præſentia ſummarium doctrinæ Arabum medicorum proponere.

Tum *Hotton*. Equidem, inquit, non ſunt mihi res maximi momenti tamen cuidam amico, aliquos familiares ad cœnulam invitatos, expectanti, me quoque hac veſpera affuturum ſum pollicitus. Et quia ſerius, ac cogitavi, hic permanſi, tempus eſt, ut a vobis diſcedam.

Tum ego. Præmature Medius fidius venies, inquam, ſi nunc abis, crede mihi ſatis temporis tibi ſupereſt. Pauliſper itaque apud nos maneas, velim, expleas, niſi moleſtum tibi fuerit, petitum Solini.

Quandoquidem adeo impenſe flagitatis, inquit *Hotton*, neceſſe eſt, ut morem veſtræ geram voluntati. Sed hæreo in differendo de propoſita quæſtione: neſcio quippe, ubi exordium ſermonis, aut finem offendam; adeo multi enim & auctores, & dogmata ab iis tradita, occurrunt animo meo, quorum tamen impræſentiarum oportet quadantenus mentio fieri. Aſt antequam de iis dicere inſtituam, vos moneam

† Cujus affectus pertractavit libr. 11. Cap. 111. de ſpirit. anim. nutrit.

[53] *Ibidem*. Cap. 11. 111. & 1v.

[54] Cujus gratia vide libr. v1. de Method. med.

neam obiter, neceſſe eſt, pleroſque Arabes & Judæos, qui de Medicina ſcripſerunt, doctrinam Galeni fuiſſe maxime amplexos, eandemque poſteritati propagaſſe: non ſinceram tamen atque integram hanc conſervaſſe, ſed plurimis argutiis inanibuſque quæſtionibus eam ſubinde cumulaſſe adeo, ut nihil ſupra. Poſthæc facite hæc non omnibus ita videri, ſed ea aliquos velut ſubtilitates admirari: verum tamen non ambigo vos inficiaturos, quod ii, qui dictos auctores ex Arabico ſermone in latinum verterunt, non modo complura perparam interpretati, & quod bene Arabice, male reddiderunt latine, ſed etiam dubia & obſcura reddidere, quæ in lingua Arabica, vel Hebræa, ſatis clara ſeu plana ſunt. Verum quomodocunque ea ſint, ego enim litem, ob dictarum linguarum ignorantiam, dirimere nequeo, perſequar propoſitum. Abubeter Rhaſis, is enim mihi primum incidit in mentem, multum ac prolixe tradit omnis generis intemperierum ſigna. Deinde, quid rei portendat omnifaria corporis membratura non tantum univerſim, ſed & ſpeciatim, conſiderata. Ideoque curioſe indagat formam figuramve capitis, oculorum, naſi, imo plerarumque propemodum externarum corporis partium. Quibus perſpectis non judicat modo de dotibus animi, deque pravis hominis moribus: verum etiam de omnimoda corporis valetudine, tum præſente, tum futura. [55] Signa itidem tradit, qui cognoſcendum, quod aliquis quaternario humorum numero abundet. [56] Et, quando de morborum cauſis agit, tunc ſequitur plurimum doctrinam Galeni. In Exemplum ſit Febris diaria, cujus cauſſam ſuadet prius inveſtigan-

[55] De quibus vide ejus tract. II.

[56] *Ibidem.* Cap. XX. & ſeq.

dam, antequam aliquis ei medicinam faciat. Aliquando etenim ejuſmodi febrem oboriri ex abſceſſu calido, vel flatu craſſo, vel humore mordace, vec ſiccitate intenſa, vel intemperie alia calida, frigida, &c. ſimplici: ab intemperie, ut vocant, cum & ſine materia. [57] Sed ſatis de Rhaſi, ad Avicennam me nunc converto. Is Medicinam vocat conſervationem ſanitatis atque curationem morborum, dividit artem in Theoriam inque praxim: illam verſari circa ſex res naturales, circa morborum cauſſas, & circa ſymptomata; hanc vero circa chirurgiam, & diætam & pharmaceuticen. In rebus naturalibus annumerat elementa quaterna, cuique noſtrum ſatis nota: ex quorum compoſitione ac temperie corpora originem ducere. [58] Bina ex his, ut ignem & aërem, appellat levia, totidemque gravia eſſe elementa, ut aquam, ut terram. [59] Temperamentum eſſe qualitatem ex actione & paſſione mutua, contrariarum qualitatum elementorum, ortam. Et quia ſua cuique elemento qualitas, quam ſimplicem appellat, hinc etiam reſpectu exceſſus harum quatuor qualitatum ſimplicium, quaternas intemperies ſimplices: totidem vero compoſitas exoriri, duabus primis in corpore compoſito dominium habentibus, ſeu reliquas virtute antecellentibus. Præter hæc unamquamque dictarum octo intemperierum aut ſine, aut cum materia, conſiſtere: illiuſmodi eſſe, cum qualitate ſolum corpus afficiatur: hujuſmodi vero, cum humor vicinus, in quo una aut binæ qualitates reliquarum poſitæ ſunt, corporis ægitudinis fuerit auctor. [60] Ex-

[57] Vide de Ephemera. Cap. 11.

[58] Vide ejus cantic. prim. part. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

[59] Plura habet lib. 1. Fen. 1. doctr. 11.

[60] *Ibidem* Doctrin. 111. Cap. 1. & cantic. p. 1. §. 18. 19. 20. 21. 22. & 23.

Exempla hujus generis affectuum ubique obveniunt, quamobrem horum narratione ſuperſedeo. Tertium genus ante dictarum ſex rerum naturalium occupare quatuor corporis humores. [61] Porro, quod ad corporis viſcera & membra attinet, arbitratur, hæc quatuor cerebrum nempe, cor, jecur, & teſticulos eſſe primaria, quinimo ipſis primatum debere. Namque cerebrum tutari cor a calore, ut ne inflammetur. Cor vitalitatem toto corpori largiri. Hepatis munia eſſe, ut cibi ad nutriendum reddantur idonei. Et abſque teſtibus eſſet corpus, nullam generationem ſeu propagationem ſobolis futuram. Recenſita membra nunc conſtituunt quartam rerum naturalium claſſem. [62] Quintam vero ſpiritus, quos triplicis generis corpori ineſſe, naturalem utpote, vitalem atque animalem: horum autem quemlibet ex vapore ſanguinis generari. Acceptam imaginationem, memoriam & intelligentiam, debere corpus ſpiritus animalis incolumitati referre. [63] Tandem ad ſextam claſſem redigit ſeptem facultates naturales, ut facultatem (1) generandi ſeu genituram immutandi, (2) fœtum formandi, (3) attrahendi, (4) digerendi, (5) retinendi, (6) expellendi, & (7) aſſimilandi, quicquid corpori pro nutricatu deſtinatum. Dictis addatis duas potentias vitales, quarum alteram auctorem eſſe dilatationis & conſtrictionis cordis & arteriarum; alteram autem variarum paſſionum, ut amoris, ut odii, lætitiæ, triſtitiæ, &c. Adhæc poſuit Avicenna novem facultates animales, ut quinas, juxta numerum ſenſuum externorum, quibus mens percipit: deinde facultatem lacertas artuſve corporis movendi: & facultatem imaginandi, & memorandi, & ratiocinandi.

[64]

[61] P. 1. cantic. §. 56. & ſeq.

[62] *Ibidem.* §. 70. uſque. §. 77.

[63] *Ibidem.* §. 81. 82. 83. & 84.

[64] Hiſce ſex rerum naturalium generibus contraria poſuit ſena rerum non naturalium genera, quæ etiam hodiernam in Medicinam theoreticam recepta ſunt. [65] Cæterum ad digeſtionem ciborum, rite perficiendam, multum facere, autumat, ut homines cibum prius dentibus bene mandant, eundemque ſaliva ſubigant. Quo peracto eum non propter ſtomachi calorem duntaxat, verum etiam ob calorem & jocinoris & ſplenis in chylum, digerendo quaſi, converti. Subtiliorem ejus partem ab inteſtinis attrahi inque venas meſeraicas impelli: poſtmodum ad venam, portam hepatis dictam, pervenire, ubi eundem per totum hujus viſceris parenchyma diſtribui, inibique mutari in ſanguinem, in bilem tum flavam tum nigram, & in pituitam. Nimirum ſuum quiſque humor ibi rudimentum capit, perfectior autem fit in aliis viſceribus, ubi pari modo, ut in promtuario, ad uſum œconomiæ animalis reſervatur. Quemadmodum nunc Chylus ob peculiarem hepatis virtutem in ſanguinem, ita etiam ſanguinem rurſus in mammis converti in lac. [66] Cibum vero nominat, quicquid habet poteſtatem corpus animale ſeu nutriendi ſeu augendi: Medicamentum autem, quod alterandi ſeu vincendi. [67] Cauſſam vocat, quod primo eſt & ex quo provenit aliquis affectus corporis humani v. g. putredo: Morbum eſſe affectum non naturalem corporis v. g. febris: ſymptoma autem, quod antedictum affectum ſequitur, ut ſitis, dolor capitis, &c. [68] Cauſſarum denique alias eſſe primitivas, alias conjunctas, alias efficientes. Hæc cauſſarum genera etiam atque etiam

[64] Ibidem de §. 86. uſque 97. vide etiam lib. 1. Fen. 1. doct. VI. Cap. 1. & ſeq.

[65] De his differit a §. 100. uſque ad finem. tractatus primi.

[66] Vide libr. 1. Fen. 1. doctrin. IV. Cap. 11.

[67] Cantic. part. 1. §. 122.

[68] Libr. 1. Fen. 11. doctrin. 1. Cap. 1.

etiam Avicenna in conplures partitur ſpecies, quas ſi ſingulatim enumerare vellem, Hercule! non unius horæ mihi eſſet negotium. Mitto itaque has: quidni mittam? Enimvero ejuſmodi partitiones ſubtiles perfacile in unum confunduntur, nec non perturbationem non modo memoriæ, ſed etiam menti, important. [69] In explicanda morborum cauſſa amplectitur potiſſimum placita Galeni. Loco exempli in medium afferam Febrim, quam finivit, eſſe calorem extraneum in corde accenſum, & ab eo eundem adminiculo ſpiritus & ſanguinis, per arterias & venas in univerſum corpus iri diſtributum. Speciatim vero choleræ putredinem, eſſe cauſſam febris tertianæ: ſanguinis, continuæ: melancholiæ,. quartanæ: pituitæ tandem quotidianæ. [70] Abhomeron Avenzoar ſcribit, Medicos ſolere unumquemque calorem præter naturam e corpore exeuntem vocare febrem: & ſi æger fuerit intemperiei bilioſæ tantum, febrem tum fore de genere choleræ, quam, ait, vel in venis, vel extra venas, putreſcere. Si in illis computruerit, oriri tunc tertianam continuam; ſine rigore, ſine typo aliquo procedentem: verum ſi extra has, provenire inde tertianam ſimplicem cum rigore invadentem, & ſudore declinantem. Præter hæc a cholera vitello ſimile, a bile praſina, a bile ærugini

[69] Aliquarum cauſſarum ad mentem Avicennæ mentionem feci ſupra in Dialog. II. p. 46. Plura, qui cupit, is adeat libr. I. Fen. II. doctrinam II. in qua fuſe XIX. capitibus omnis generis cauſſas tractat. Dictarum compendium inveniet Cantic. part. II. a §. 175. uſque ad §. 217.

[70] Vide libr. IV. Fen. I. Tractat. II. Cap. I. Ut quadantenus exponatur, quam verboſus, ut & copioſius Avicenna ſit in dandis morborum cauſſis, verbi gratia proferam in medium febrem ephemeram; quam, ſentit, exoriri poſſe, vel a motione ſpiritus ad interiora, vel a nimia triſtitia, vel a multitudine cogitationum, vel ex ira, vel ex vigiliis, vel e ſomno quieteque nimia, vel e gaudio, timore, labore, dolore, ſyncope, fame, ſiti, obſtructione, ingluvie, apoſte-

ni ſimile, peculiares, exiſtimat, provenire febres. Adhæc phlegma putrefactum, & ſanguinem & humorem melancholicum poſſe non modo ſingulatim; verum etiam plurifariam invicem conjunctos, omnis generis febres producere; Namque tertianam, quam vocant non puram, fieri e cholera phlegmate mixta: e ſanguine atræ bili mixta aliam, & ex aliorum humorum mixtura iterum atque iterum alius generis febrim. Non modo dictum numerum humorum quaternarium, ſed etiam pravam ſpirituum conſtitutionem in cauſſa eſſe, ut variæ febrium ſpecies oboriantur. Ita diariam febrim opinatur illorum vitio exoriri. [71] His, quæ utpote ad doctrinam de febribus ſpectant, non diſſimilia ſunt, quæ habet Hali Abbas. v. g. Quartanam, ait, ex humore melancholico, craſſo ſiccoque, maturari neſcio, oriri: ideoque etiam talem ægre ſolvi. Medicationem autem febrium putridarum in hoc conſiſtere, ut calor extinguatur, ut humor putris evacuetur. [72] Cæterum, commendat Medicis Aſtronomiam, quam iis utiliſſimam putat. Aſſertum conatur facere planum auctoritate Hippocratis, cujus librum de variis Lunæ, in ſignis duodenis, ſchematibus profert, atque docet, quid boni, quid mali, ipſius cum his congreſſus portendat? Sed librum hunc puto ſuppoſititium, & haudquaquam tanto auctore dignum. Ejuſdem conditionis eſt liber prædictionum quem, dicit, in capſula ebur-

ſtemate, ficcitate & aſperitate, ſoliditate ac condenſatione cutis a frigore vel aquis adſtringentibus, vel a vino, vel cibis calidis. De his, quomodo nempe unaquæque poſſit febrim diariam corpori importare, copioſe ac prolixe dicit libr. IV. Fen. I. Tractat. I.

[71] Vide ejus librum de febrib. Cap. I. II. V. VI. VII. & XIII., e quibus memoratas rationes contraxi.

[72] Ita libr. de febrib. Cap. XII. XIII. & XXII.

eburnea inventum: commemorat enim talis auctor varias gentes, tempore Hippocratis incognitas. Rabbi Moyſes etiam, ut cæteri, doctrinam Galeni imitatus eſt. Rhaſis curioſus admodum eſt in tradendis omnimodæ membrorum figurationis ſignis, quomodo per eam cujuſquemodi hominis mores aliquis cognoſcere valeat; quod ad cætera attinet, Rhaſis placita Galeni aſſumpſit. Damaſcenus collegit præſagia futurorum eventuum morborum, partim ex Hippocrate, partim ex aliis auctoribus. Cæterum, ſi quiſquam unus veterum Medicorum, unquam curioſus fuit in dimenſione virium medicamentorum, tum mehercule in his Alchindum neminem, arbitror, excelſiorum. Equidem Galenus agnovit quatuor facultatum gradus, ſed obiter hujuſmodi doctrinam tractavit; verum Alchindus eam ad regulas Matheſeos redegit. Et, ut cujuſdammodi cogitatum hujus abſtruſæ ſcientiæ habeatis, ſciatis, velim. Temperatum appellari medicamentum, in cujus compoſitione vel mixtione quatuor qualitates primæ ſunt ad æquilibritatem redactæ. Id nunc ſecundum Alchindi opinionem quinquemodis de æqualitate ſua decedere poſſe. Primum eſſe, ſi exceſſus alicujus qualitatis primæ ſe habeat, ut duo ad quatuor, vel 4. ad 8. v. g. ſi quando calidæ duplio reſpectu frigidæ qualitatis in re quadam exiſtit: ſecundum, ſi caloris triplum, & tunc rationem eſſe ut 4. ad ſex. vel 6. ad 9.: tertiam, ſi quatuor calidi portiones adfuerint; rationem eſſe ut 5. ad 3. vel 9. ad 7.: quartum, ſi duplo adhuc pars una additur, rationem eſſe ut 2. ad 5. vel 11, ad 23.: Quintum tandem, ſi duplum iterum binis partibus augeatur, & rationem hujus eſſe ut 3. ad 8. ſeu 18. ad 36. Quantum vero ad decantatos quaternos facultatum quarumlibet gradus attinet, tunc putat rem quamlibet calidam primo gradu eſſe præſentibus duabus caloris, & frigoris

ris una parte : reliquis interea qualitatibus in æqualitate poſitis. Præterea rem eſſe ſecundi ordinis, quando quatuor caloris, & una frigoris adeſt pars. Tertii porro ordinis, ubi octo caloris & una frigoris: Quarti denique, quando ſedecim caloris, & unica frigoris portio adfuerit. Eadem, ait, rationem eſſe frigido calorem: aut ſicco humidum, dicta proportione, excedente: Nominationem namque unumquodque ſortiri ratione qualitatis inter cæteras dominantis. Hiſce poſitis tradit quot modis medicamenta componantur. Ultro quidem profitetur, innumerabiliter id fieri poſſe: attamen arbitratur omnes propemodum ad ſex genera redigi poſſe. In primum referri, ſi calidum cum calido: in ſecundum, ſi frigidum cum frigido: in tertium, ſi calidum cum frigido: in quartum, ſi temperatum cum temperato: in quintum, ſi temperatum cum calido: in ſextum denique, ſi temperatum cum frigido, miſceatur. Sed, ut ingenue fatear, non modo qualiſcunque facultatum dimenſio, verum etiam doctrina de compoſitione medicamentorum perincerta ſpecioſaque eſt: Et vix, quod probabile, quod verum ſit, habet quicquam. Perpendatis formulam, quæ mihi nunc in mentem venit, ad ejus hypotheſis præcepta, compoſitam: & nullus dubito, quin mihi ſitis aſtipulaturi, nihil exploratæ rationis in ejuſmodi doctrina unquam repertum. Habete exemplum. Cardamomi drachmam unam, aſſerit, habere partem unam caloris, partem mediam frigoris, partem unam ſiccitatis, & dimidiam humoris. Sacchari drachmis duabus eſſe & caloris, & frigoris ſingulorum partes duas: ſiccitatis autem & humoris ſingulorum partem unam. Myrabolanorum Indicorum drachmæ uni, & caloris & humoris eſſe ſingulorum partem dimidiam: frigoris vero juxta & ſiccitatis ſingulorum partem unam. Emblicorum

drach-

drachmis duabus eſſe caloris & humoris ſingulorum partem unam: aſt frigoris & ſiccitatis ſingulorum partes duas. Siquis jam ſubduxerit calculum, tunc innoteſcet quatuor & dimidiam partem caloris in hac mixtura inveniri, & totidem frigoris: ſiccitati vero partes ſex, & humidi partes tres. Quandoquidem nunc tantidem caloris, quanti frigoris, ideoque exiſtimat Alchindus, mixtionem hujuſmodi ratione dictarum duarum qualitatum temperatam: & quoniam duplum. i. e. ſex ſiccitatis, & ſimplum. i. e. tres partes humidi, hinc inde hanc medicamenti formulam eſſe ſiccam in primo gradu. At enimvero, ſi quis negaverit tot gradus, quot Alchindus poſuit, ſeu calidi, ſeu frigidi, &c. rebus memoratis eſſe: perſuaſum enim habeo vix quemquem ejuſmodi hypotheſin ullis rationibus certam indubitatamque effecturum: nonne, dicite ſodes, ſua ſponte omnis inde deducta evaneſcet argumentatio? [73]

Enimvero, inquit *Solinus*. Imo parum abeſt, quin totam, quanta quanta eſt, irritam habeam ejuſcemodi ſcientiam. Sed narrare pergas, obſecro, reliquorum Arabum doctrinam.

Abhenguefit, ſcriptor Arabs, inquit *Hotton*, commentarium de virtutibus medicamentorum confecit, doctrinamque Galeni tamen de iiſdem facultatibus quadantenus amplificavit, atque plurimis exauxit diviſionibus. Dabo qualecunque libelli compendium. Quandoquidem finis Medicinæ ſit ſanitas, officium itaque Medici eſſe, ait, addiſcere ac inveſtigare, ut ad dictum finem perveniat. Bifariam autem, exiſtimat, medicum ad illum pervenire poſſe: agnoſcendo ſcilicet corporis cujuſlibet temperamentum, poſt

[73] Hæc ex *Alchindi* libr. de medicinar. compoſitar. gradib. inveſtigand. Cap. III. VII. IX. & XI. compendifeci.

hoc autem potentias ciborum & remediorum. Verum horum facultates & operationes indagandi, ſtatuit, octo eſſe rationes. Primo, vult, rem conſiderandam ſingulatim, quas operationes utpote naturaliter, & quas ex accedenti, edat. Secundo morbum, cui medendum, an ſimplex an compoſitus? Tertio contrariis morbo ſanandum. Quarto indagandum, ut potentia medicamenti ſit æqualis potentiæ corporis ægritudinis. Quinto, an debito tempore medicamentum operetur? an diu poſtea? ſi hoc modo eveniat, ex accidenti: ſi illo, effectum tunc ipſi proprium, eſſe. Sexto, an in unoquoque individuo, ac eodem tempore virtutem ſuam efficiat, an contra? utrumlibet ob modo memoratam rationem accidere. Septimo diſtinguendum, an medicamen eodem pacto agat in homine, ac in bruto quodam: ſic Altercum turdis, & elleborum coturnicibus, cibum eſſe; haud quaquam vero homini. Octavo denique differentiam eſſe faciendam in medicamento atque cibo. Medicamentum namque mutare alterareve corpus ratione qualitatum primarum aut ſecundarum: atque cibum, quoniam de ſubſtantia ſua aliquid corpori additur, augmentum, ſeu nutrimentum, corpori ſuppeditare. Cæterum fuſe agit de octonis ſaporibus ſimplicibus, ut de pontico, amaro, acido, acuto, auſtero, ſalino, pingui & dulci, quomodo e primis qualitatibus originem ducant, & quæ ſint unius cujuſque ſaporis vires ordinariæ. Quod autem ad ipſa medicamenta attinet, tunc ſtatuit eorum quatuor eſſe genera. In primo collocari, quæ non mutant corpus, quatenus integrum permanent: corpus tamen ab iiſdem immutari, quatenus vitalitatem, ſeu animam exuat, fierique id a venenis, ut a morſu viperarum, propter intenſum calorem: vel ab opio, propter intenſum frigus, aliquod corpus vivens, perimente. In ſecun-

ſecundo, quæ corpus immutant, & corrumpunt; hujus generis eſſe hyoſcyamum attenuando ſubtiliandove nimis: & cantharides putrefaciendo, corpus corrumpentes. In tertio, quæ corpus mutant, nimium eidemque calorem important, ut Euphorbium, ut pyrethrum, ut piper, &c. In quarto tandem genere haberi, quæ in corpus quidem apta ſunt alterationem inducere: vinci tamen ea a corporis robore, ſic cepas, allium, ſinapi, &c. calefacere: ſic lactucam, hordeum &c. refrigerare corpus; verum non in tantum, ut periculum ingens ex eorum uſu metuendum ſit. Quæ in binis prioribus, quia ipſo corpore valentiora ſunt & corpus deſtruunt, hæc pharmaca corrumpentia vel venena potius: reliqua autem, quæ in poſterioribus generibus habentur, quia hæc in corpus, & id viciſſim in illa agit, ſtricte vocanda eſſe medicamenta. [74] Sed ſatis de hoc auctore, ad Meſuem, quem nonnulli pharmacopæorum Euangeliſtam appellant, me nunc convertam ordo differendi poſtulat. Medicamento, ait, vim purgandi eſſe non ratione temperamenti, non quatenus contrarium agit in contrarium, non quatenus ſimile trahit ſimile, ſed quia id cœlitus talem ſortitum eſt facultatem, poſteri dixerunt ob qualitatem occultam. Aſtipulatur equidem Platoni, ſentienti ſingulis rebus Naturam ſingulas indidiſſe proprietates, quarum ratione ſingulares quoque facultates habeant, eaſque ratione formæ & motionis inſitæ; ſiquidem nullius rei actio propria eſſe poſſit ulla, niſi quam forma ipſa excitet ſeu dirigat, verum hæc demonſtrare non eſſe Medici, ſed Philoſophi, altiora contemplantis. Cæterum non inficiatur Medicamentum humores purgare, ſed Naturam, vult, actionem ejus inchoare, limitare, dirigere. Humorum quippe eva-

[74] Vide Cap. I. III. V. & VI. de ſimplicium medicinar. virtutib. in gener. & in ſpecie.

cuationem Naturæ eſſe opus, aſt Medicamentum ipſius Naturæ artificis inſtrumentum. Verum enim vero, utut hæc prolata ſint, adminiculo tamen qualitatum tum primarum, tum ſecundarum, explicat medicamentorum facultates, pariter ac id a prædeceſſoribus, diſciplinæ Galeni Profeſſoribus, factitatum. Porro, quod ad medicamentum generatim pertinet, ſtatuit, quod, quanto id temperamento hominis medio propinquius, tanto id ſalabrius: contra quanto id remotius, tanto malignius habendum. Et, ſi id qualitatibus a medio hominis temperamento plane recedat, tum venenum potius, quam medicamentum dicendum. Suaveolens medicamentum, autumat, fœtido ſalubrius. Fragrantiam enim, partes principes facultatum roborare, ſpiritus inſtaurare, & facultates animamque exhilarare; contrarium autem in fœtore obſervari. Qua de cauſſa vero ſua cuique plantæ ſit virtus, putat eſſe rationem hanc, quoniam ſingulæ e terra alimentum ſibi conveniens attrahant: ita vitem, ait, dulce: Lupinum, nitroſum: cucumerem agreſtem, amarum, ex partibus terræ aduſtis natum, alimentum attrahere. Quid? plantas, exiſtimat, vitiari, ac viribus diminui, nec non ſubinde internecinas ſeu venenificas fieri, ſi quando debito in loco vel humo haud fuerint proventæ: aut ſi in vicinia aliarum ſibi diſſentientium plantarum ſitæ: quin etiam Solis aliorumque ſiderum poſitus, atque contagiones, multum pollere ad peregrinas cuipiam plantæ conciliandas vires. Licet ab initio Meſues negaverit purgantia humorem evacuandum attrahere: verum tamen, an hujus canonis immemor, in ſequentibus poſuit purgans quoddam vi attrahendi ſibi inſita, ac quaſi delectu quodam ex venis, & corporis meatibus, ſenſum fugientibus, proinde ac magnes ferrum, aut ſuccinum feſtucam, cognatum ſibi quemque humorem

rem ad ſe in ventriculum & inteſtina rapere. Purgationis tamen modum, qui per alvum fit, naturam potius, quam eum, qui per os, moliri. Materiam enim ob inſitam gravitatem nullo negotio ad inferiora ruere. Adhæc plures venarum meatus, excrementis expellendis dicatos, ad inteſtina, quam ad ventriculum, ferri. Proinde Naturam non ventriculum, ſed inteſtina, excrementorum evacuationi deſtinaſſe: illius namque munia eſſe attrahere, horum vero expellere. [75] At enimvero, habeat ſe actio purgationis, quomodocunque velit, non inficiaturum, putat, quemquem, evenire non raro, ut purgationi immodicæ ſuccedant febres, aliique affectus. Quapropter autem ejuſcemodi oboriantur, plurifarias reddit Meſues cauſſas. Nempe purgans quoddam, quia præter modum calidum ac acre exiſtit, in corpore ſubinde intemperiem calidam & ſiccam relinquere: vel quia materiam quidem commovit, ſed non expulit, ideoque eam computreſcere, ac febrem excitare: vel quia purgationi immodicæ ſupervenerunt vehementes, aut animi, aut corporis, motiones: vel quoniam frigoris interventu pori corporis fuerunt coanguſtati, atque adeo tranſpiratio inſenſibilis impedita: vel quia calor Solis humores a medicamento commotos inſuper incendit: vel eapropter, quod ea, quæ materiam coquere & expulſioni aptam reddere debebant, non fuerint prius ſumpta; quocirca medicamentum, dum crudam trahit materiam, interdum eam diſſolvat quidem, verum haud evacuet, ſed conculcet potius, & auctor ſit, ut facile putredinem ſubeant humores. Dolorem capitis, opinatur, purgationem efficere, vaporibus a medicamento, præſertim violenter, aut imperfecte vacuante, in caput allatis: ut &

[75] Vide Intentionis. 1. Cap. 1. & 11.

originem ducere poſſe ex cauſſa aliqua externa, ut capitis calore, frigore & ſimilibus. Vertiginem vero, quod aliquando vapores a medicamento moti & ſublati, caput petant, ibique motum rebus agitatis proprium excitent, qualis eſt aquæ in gyrum commotæ, vel vorticis in modum circumactæ. Pari modo & vapores, in cerebri ventriculis & arteriis circumactos, una ſecum ſpiritus circumagere: maxime vero, quo loco nervos, ſenſuum opifices, exoriri. [76] Sed ex his dictis, exemplaris loco propoſitis, non ambigo, vos abunde doctrinæ Meſuæ adeptos: pergerem quidem cæterorum placita perſequi. Sed quid perſequar? hæſito. Enimvero plerique medii ævi ſcriptores eandem cantilenam canunt. Siquis id negotium ſibi dederit, & obiter modo inſpexerit Meſuæ filium, [77] Averroem, [78] Ellucha-

ſem,

[76] Ita in Intention. IV. Cap. I. II. & III.

[77] Verbi cauſſa afferam, quæ habet ſumm. III. Cap. I. de dolore capitis, quem *Sodam* appellat. Ita interpres Arabicum Latine reddit. *Intentio in curatione hujus ægritudinis, ſi ſit complexionalis, & non habens materiam, eſt alterare & ſedare tantum. Et ſi eſt cum materia, circa alterum duorum occupabimur, vel utrumque & ſunt aut abſciſſio cauſſæ, aut ſedatio doloris, aut utrumque.* Cap. II. memorat *Sodam* calidam, vel a ſanguine, vel a bile, originem ducentem. Cap. III. ſcribit. *Loquemur deinceps de ſoda frigida, ſive ſit ſine materia, ſive cum materia phlegmatica, vel melancholica, ſive permiſta, ſive ventoſa.* De reliquis corporis affectibus deinceps pari modo differit.

[78] Is in libro de febrib. ſæpenumero mentionem facit temperiei frigidæ, calidæ, &c. Cap. I. ſcribit. *Incipiemus a mala complexione univerſaliter totum corpus ambiente, quæ febris nuncupatur.* Cap. IV. de diuturnitate acceſſionum hæc habet. *Paroxyſmus longus eſt propter ipſius humoris tarditatem, & paroxyſmi ipſius plus continuantur, quam Choleræ paroxyſmi quia iſte humor putrefactioni eſt magis appropriatus.* Cap. VII. ita de cauſis febrium ratiocinatur. *Et ſcias, quod compoſitio febris eſt a cauſſa locali, aut a cauſſa materiali. Item cauſſæ materiales tres habent modos. Unus eſt, quando duo miſcentur humores, & tunc materia febris fit inter illos duos humores ſimplices, qui ſingulas*

poſſunt

sem, [79] Isaacum Israelitam, hujus filium adoptivum, [80] Serapionem, &c. [81] Inveniet utique

possunt facere febres. Item alius modus est, ut una fiat putrida, & alia hectica. Tertius modus est, ut unus modus faciens febrem sit cum apostematibus, & alius sine. Et aliquando componuntur duæ febres, & miscentur earum paroxysmi absque eo, quod materiæ misceantur: & hoc propter causas locales accidit, sicut possibile est, ut una esset intra venas, & alia esset extra, & in hoc genere locatur febris, quæ hemitritæus nuncupatur. Et aliquando humores febrem facientes erunt vicini, sed non mixti. Et possibile est etiam, ut omnes istæ species ad invicem componantur, &c. Cujusmodicunque hæc fuerint, non dubitat tamen Averrhois Cap. x. sequentia, de Rationis in Medicina instabilitate, scribere. *Necessaria est in hac arte præter universalium rerum cognitionem experientia, propter quam particularia principia habeantur, in eo, quod in unoquoque individuo fieri debet. Et scias, quod ipsa principia scribi non possunt omnia, quia sunt infinita. Et ista pars scientiæ medicinalis nobis vetat perfectionem habere in hac arte, eo, quod magis appropriata est Experientiæ, quam Rationi.*

[79] Is scripsit librum, quem nomine *Tacuini Sanitatis* nuncupat. In hoc agit de sex rebus non naturalibus, quatenus suas quæque vires in corpore Humano edant. Galenicorum ratiocinativo dicendi generi operam dedit potissimum; Mentem enim suam quaternis qualitatibus principibus declarat.

[80] Ille, Cap. I. finivit febrium, quod ea sit *calor, innaturalis, a corde exiens, & arteriis ad omnia membra corporis, ejusque nocens actioni.* Cap. III. XXXI. & XXXIII. statuit caussam febrium esse, quatuor humorum putrorem, vel aliam eorum quoquo modo conceptam vitiositatem. Verum Cap. XXVI. improbat eorum sententiam, qui dicunt, *quod fumus de ebullitione sanguinis, qui adscendit ad caput, sit calidus & humidus; quia fumus ad caput adscendens, si fuerit humidus, eliquabitur in pectoris concavitatem, descendens & de pectore in diaphragma, & ibi apostema generabit, quod vera pleurisis nuncupatur: pars vero fumi, quæ in capite remansit dissoluta, per poros cum sudore, & fumo egreditur; unde dicimus, quod fumus, qui fit ex ebullitione sanguinis, est calidissimus & siccissimus de genere Choleræ rubræ, unde non potest eliquari inferius ad diaphragma, sed in cerebri pelliculis invisceatur, & generat ibi apostema, quod Phrenesis dicitur.* Filius ejus, facta Cap. I. facultatum naturalium, & Cap. XXIV. putredinis caussæ, more sectatorum Galeni, mentione, Cap. XXIX. accessiones febrium, intervallis redientes, oboriri, existimat, ratione materiæ

eos decreta Galeni propagaſſe, & omnimodam corporis valetudinem quaternario elementorum numero, & exinde ortarum temperierum octonario: item quaternario humorum, aut alii atque alii ſpirituum conſtitutioni, aut putredini ſeu exuperantiæ alicujus humoris, &c. retuliſſe. Quandoquidem hæc vobis ſatis nota, melius eſt ut finem orandi faciam; me enim tædet eadem dicere, & vos fortaſſe tædebit eadem audire.

Memoraſti, inquam, ſcriptores Arabes, ſed nunqui fuerunt auctores, qui, Galeno e vita exceſſo, de Medicina latine ſcripſerunt?

Scilicet fuerunt, inquit *Hotton*. Reliqui enim nobis ſunt verſus Q. Sereni, quibus tradit variorum medicationem morborum, verum non eſt curioſus in cauſſis morborum abditis indagandis. Proinde aſſeverare non poſſum, cuinam Medicinæ ſectæ is fuerit addictus. Supereſt etiam Epiſtola Vindiciani, in qua conqueritur de ignorantia medicorum, ſui temporis æqualium. Narrat præterea Imperatori Valentiniano de curationibus quorundam ægrorum a ſe bene peractis. [82] Diſcipulus ejus Octavius Horationus, quamquam perparum ratiocinetur, medius mihi

teriæ omniſariam ſeu motæ ſeu in quiete poſitæ. Verbi gratia: *Si materia*, ſcribit, *fuerit cholerica, tertianam veram generat*, 12. *horas tenens*, & 36. *quieſcens: ſi ſit phlegmatica, amphimeriam facit*, 18. *ſe horis movens*, & 6. *quieſcens: quod ſi melancholia, quartanam generat, quæ* 24. *horis movetur*, & 48. *quieſcit. Cauſſa diverſitatis harum gravitas & levitas eſſe materiæ ad putredinem convenientis.* Parilia fere habet Cap. XLI.

[81] Is etiam, ut cæteri, Cap. XII. ſtatuit, febrem diariam oriri e ſanguine, ſine putrore tamen, calefacto: Cap. XIII. Tertianam a putredine bilis: Cap. XIV. quotidianam a phlegmate putrefacto & a calore immodico: & Cap. XV. Quartanam ex aduſtione aut ſanguinis, aut bilis, &c.

[82] Hæc Epiſtola Libro Marcelli de medicam: eſt præfixa.

hi habetur. Namque Hippocratis ſubinde defendit partes; aliquando Aſclepiadis placita, interdum etiam Methodicorum, amplexus eſt, quandoque videtur Galeni ſectam ſequi. [83] Marcellinus, pari modo ut Scribonius Largus & Nicolaus Myrepſus, monumentis prodidit, medicaminum compoſitiones & virtutes, omiſſo ratiocinativo dicendi genere. Conſtantinus Afer Græcorum pariter & Arabum eruditum pulverem attigit, & more iſtius ſeculi, quo vixit, docte ac enucleate ſcripſit. Et ut vobis exemplar doctrinæ ejus ſit, dabo aliqua, de quibus nunc recordor. Medicinam bipartitus eſt in Theoriam & Praxin. Theoriam eſſe perfectam rerum, ſolo intellectu inveſtigandarum, notionem, ſubjectam rerum peragendarum memoriæ. Praxis vero eſſe monſtrare, ut ea, quæ quis in Theoria addidicit, ſeu ſen-

[83] Exempli gratia adducam quædam loca, ut e Præfat. libr. 1. *Ineſt nobis*, ſcribit, *calor ignitus, qui cum ſe in altioribus præcordiorum locis repentina aliqua neceſſitate commoverit, & velut advectus tempeſtate, loca aliqua naturaliter quieta turbaverit, vaporem acriorem procurat, & tum quidem ex altitudine ſtomachi febrium ferit originem.* Cap. XIII. taxat nonnullos methodicos, quod calidis & chalaſticis adjutoriis, ſæpe ipſam hepatis ſubſtantiam diſſolverint. Cap. XXI. libr. II. *Fit itaque Rheumatiſmus, licet de phlegmate ſpeciali, natura frigidæ quam maxime fiat, attamen ex aliis humoribus calidioribus aliquando commotiones exſuſcitat: frequenter autem hoc phlegma, licet natura ſubpingue ſit, velut eſt vulnerum ſanies, attamen cum ſe inter articulorum conjunctiones, uſu commotionum viſcaverit, tunc tardi greſſus, tunc dolores vitandi, tunc tormenta graviora ſuccedunt.* Libr. III. de mul. paſſ. ſecundum Methodicorum hypotheſin loquitur, ut Cap. II. *Sunt variæ & diverſæ cauſſæ matricem frequentius alterantes, quæ licet ſub duabus præcipue principalibus paſſionibus, conſtrictionis, vel laxationis comprehendantur, tamen etiam ſub certis accidentibus, alias cauſſas efficiunt.* Uſurpat etiam more Methodicorum vocabula, medicamentorum, ut encolpiſmi, encatiſmatum, chalaſticorum. Libr. 4. Aſclepiadis opinionem de humorum ſecretione, cujus ſupra pag. 253. mentionem feci, amplectitur.

ſuum ſeu manuum operatione, ſint hominis ad utilitatem dirigenda. Theoriam diviſit tripartito, (1) in rerum naturalium, (2) in non naturalium, & (3) earum, quæ præter naturam ſunt, cognitionem. Rerum naturalium in numero ponit elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, actiones & ſpiritus. Ex his tria, ut elementa, temperamenta & actiones eſſe ſenſibilibus juxta & inſenſibilibus ſecum communia: reliqua quaterna vero ſenſibilibus tantum eſſe propria; dicta ſeptem autem ideo naturalia vocari, quia in cauſſa ſunt, ut quoddam corpus animatum ſubſiſtat. Sex res, a medicis non naturales appellatæ, ſatis notæ ſunt. Præter naturam tria eſſe ut morbum, morbi cauſſam, & ſymptoma. Elementum dicit eſſe ſimplicem minimamque corporis compoſiti particulam: & quod ad ejus numerum attinet, aſſentitur veteribus, quaternarium elementorum numerum ſtatuentibus. [84] Ita etiam in tradenda corporis cujuſmodicunque conſtitutione plerumque Hippocratis, Galenique placita eſt amplexus. An vero quædam ipſi ſingularia ſint, dijudicabitis, ſi quando dicenda exempla vobiſcum reputaveritis. Spiritum, ait, eſſe corpus ſubtile, in corpore humano e corde ortum, in arteriis delatum, ad vitalitatem corpori inducendam. Hunc reſpirationis pulſuſque auctorem: hunc, poſteaquam a cerebro in nervos derivatus, motionum ſenſuumque quorumlibetcunque cauſſam eſſe. Et hoc præſente corpus vivere, abſente vero mori, apparere ex hoc, quia motus ventris & oris, labrorumque ac pectoris in agone indicent, ſpiritum e corpore exire foras. Duplicis generis hujuſmodi ſpiritum in corpore ineſſe: alterum vocat vitalem, & hunc nutrimentum ab aëre cape-

[84] Vide ejus locor. commun. libr. 1. Cap. 11. & 111.

capere, animationemque in corde indipiſci, e quo deinceps in univerſum corpus didi, & pulſus & anhelitus, atque adeo vitæ, auctorem eſſe: alterum appellat animalem, quem ab illo primordia generis ducere, atque in cerebro naturam ſuam ſortiri, inibique efficere cogitationem, memoriam, providentiam: & ex hoc per nervos in reliqua corporis membra demiſſum, ſentiendi movendique poteſtatem nanciſci. Non uniuſmodi ſingulis hominibus ſpiritum, quem medium cerebri ventriculum incolere: ſed ſuum quibuſque ſingularem, eſſe. Aliquos enim præditos ſpiritu ſubtili, claro ac puro: talemque eſſe cogitationis, bonæque perceptionis, atque rationis & auctorem, & diſpoſitorem; aliquos vero habere ſpiritum, contrario, ac dixi, modo conſtitutum, eundemque levitatis, ſtultitiæ atque amentiæ auctorem. [85] Quantum ad corporis partes ſpectat, putat alias eſſe temperatas, ut cutim, ut cuticulam: alias intemperatas, quia plus aut minus quaternis principibus qualitatibus refertas; univerſe tamen ſi illæ conſiderentur, calidas eſſe eas, quæ ſanguinis ſint conſortes: frigidas autem, quæ hujus exortes. Sigillatim vero ſi viſcera, ſi membra corporis aliquis cum animo ſuo conſideraverit, apparere tunc, ratum habet, renibus, ſplene, jocinore, &c. Cor calidius eſſe. Frigidarum partim, ut oſſium, cartilaginis, tendonum & nervorum, &c. pilos longe frigidiſſimos: humidiſſimam pinguedinem: & ſicciſſimos pilos & oſſa. [86] Ex facultatibus naturalibus quatuor magni pendit appetendi, continendi, digerendi, expellendique facultates. Has in pleriſque corporis membris ineſſe. Abſ-

[85] Ita philoſophatur in libro, cui titulus eſt de animæ & ſpiritus diſcrimine.

[86] Hæc locor. comm. medic. Libr. 1. Cap. VII.

Abſque illis enim ſi eſſent hæc neutiquam functiones ſuas obire poſſe. In ſumma dictas quatuor Naturæ tam ſanitatis conſervandi, quam infirmitatis ſubveniendæ ergo, ancillari. [87] Cordis arteriarumque motionem, quam anteceſſores ejus cum dilatatione conſtrictioneque follis compararunt, ait, non ita ſe habere penitus; ſed illam a facultate cordis, aërem appetente, perfici. Hanc, dilatato corde, aërem ad ſe e pulmonibus trahere: arterias vero eundem beneficio dictæ facultatis e corde ad ſe attrahere, cujuſmodi attractionem flatus dici, ſicque deinde per univerſum corpus diſtribui. [88] Quandoquidem in Africa, ubi Conſtantinus vixit, in more eſt poſitum, ut mancipia ſæpenumero veneant, emturientibus auctor ſuggerit ſigna, qui cognoſcendum an mancipium ſanum, nec ne? Et primo calore corporis effici, putat, qualiſnam humor cæteros, qua qualitate qua quantitate, præcellat. Tradit deinde alia cujuſquemodi corporis conſtitutionem ſignificantia. v. g. Alopeciam indicare cerebri intemperiem: vocem raucam, lepram: balba verba, copiam phlegmatis in cerebro: halitum oris fœtidum, putredinem humorum, &c. [89] Quod vero ad morborum explicationem pertinet, arbitror, Conſtantinum ex ſententia Galeni dixiſſe. Quatuor qualitates principes, totidemque corporis humores, & exortæ inde omnis generis intemperies, faciunt in declaranda morborum cauſſa ſynectica utramque paginam. v. g. Venenum canis rabidi, aſſerit, propter nimiam ſiccitatem & vim deſiccandi, qua id refertum, cerebro admodum nocere: hinc horrorem aquæ, & cætera ſymptomata, exoriri. [90] Apo-

[87] *Ibidem* libr. IV. Cap. IV.
[88] *Ibidem* Cap. V.
[89] Plura, ſi deſiderentur, leges libr. I. Cap. VII. d. loc. comm.
[90] *Ibidem* libr. VII. Cap. XX.

Apoplexiam ut & Epilepſiam a ventriculorum cerebri, propter abundantiam phlegmatis, obſtructione naſci. In illa tres cerebri ventriculos ſubito oppilari: qua de cauſſa membra, ſenſui ac motui voluntario dicata, ob denegatum facultatis ſentiendi movendique influxum, torpida, & quaſi inanima, jacere. In hac, Epilepſia videlicet, non adeſſe omnium, ſed quorundam, cerebri ventriculorum, & nervorum, membra corporis moventium, obſtructionem. [91] Si verum eſt, ut perhibent, [92] Conſtantinum ſeculo decimo in Medicina inclaruiſſe, conficitur inde variolas, non eſſe novum morbi genus: quippe laudatus auctor earum facit mentionem, & præterea addit, veteres eas ignis carbones, *Siri*, & filias ignis, appellaſſe. Cauſſam autem earum a menſtruo, quo putat fœtum in utero nutriri, deducit: & quia id quibuſdam rebus refertum, quæ non ex uſu nutricatus infantis ſint, has deinceps in corpore collectas ad corporis exteriora propelli, ubi tandem vel ab aëre contagioſo, vel ab errore in diæta commiſſo, ebullitionem humoribus inducente, tandem aliquando activæ reddantur. [93] Quemadmodum Conſtantinus Africanus, eodem fere modo in declarandis morborum cauſſis procedunt auctores ſcholæ Salernitanæ, nec non liber, qui titulo Macri ſuperbit, ubi hic vires medicamentorum peculiaribus gradibus, pariter ut Galenici aſſolent, dimenſus eſt. Gariopontus quoque plurimum ſectatur Galenum. Dictionem ſententiæ meæ argumentari poſſum exemplo monopagiæ, quam, ſtatuit, a bile rubra & ſanguine oriri. [94] Ita etiam ſenſit Epilepſiam proveni-

re

[91] Ibidem libr. IX. Cap. VII.

[92] Mercklinus in Lindano redivivo & alii, quos indicat.

[93] Vide loc. comm. med. libr. VIII. Cap. XIV.

[94] Ita libr. I. Cap. III. „Si Cholera rubea & ſanguine „ mixto,

re ſanguine viſcido atque felle nigro, cerebrum, animæ habitationem, petentibus. [95] Phrenitidem veram, ait, e ſanguine vel cholera: ſpuriam vero e phlegmate & cholera, fieri. [96] Podagram, cujus duas ſpecies eſſe, calidam utpote & frigidam, exoriri putat ex aliquo quaternorum humorum. Neque vero ex his, tanquam per ſimplicem ſupervenientem materiam ſolum, ſolere rheumatiſmos fieri; ſed ſubinde in cauſſa eſſe quatuor qualitatum primarum intemperiem ſeu ſimplicem, ſeu compoſitam. [97] Febrem eſſe calorem immodicum, cordis arteriarumque actiones naturales lædentem. Tria poſuit febrium genera: unum in ſpiritibus: alterum, in humoribus: & in ſolidis, tertium. Febres, quæ in ſpiritibus, appellari diarias. Ex humoribus vero v. g. e phlegmate intra vaſa putrefacto, & id quidem a calore præter naturam a corde procedente, fieri amphemerinam ſynocham: Phlegmate autem extra vaſa putrefacto oriri quotidianam intermittentem: Et cauſonem, cholera rubra in vaſis putrefacta: eadem vero extra vaſa, tertianam intermittentem. Eadem reliquorum humorum excedentium conditio eſt, quos vel ſimplices, vel & omnifariam mixtos, arbitratur, febres efficere. E ſolidis, ut carne, pinguedine, venis,

„mixto, una pars capitis in acu-
„tum dolorem venerit. Mono-
„pagiam Græci dicunt: ſi &
„oculus ſimul cum una parte ca-
„pitis, Hemicraneum ab eis di-
„citur, ex eiſdem cauſſis, qui-
„bus & ſuperior paſſio naſci-
„tur.

[95] *Ibidem.* Cap. VI. Tria hujus morbi, ait, genera eſſe, ut Analepſiam, catalepſiam, & Epilepſiam. Analepſiam dici eo, quod ſacras capitis partes ſenſu privet. Epilepſiam, a mentis & ſenſus oppreſſione, quibus occupatis etiam corpus poſſidetur. Catalepſiam vero eſſe paſſionem epilepticorum cum febre, quæ epilepticis non eſt, quos ſpumas per os & nares digerere, quod catalepticis non ſolet uſu venire.

[96] *Ibidem* Cap. VIII.

[97] Vide libr. IV. Cap. III. IV. & VII.

(98)

nis, arteriis & nervis, præter naturam calefactis, fieri tertium genus febrium, hecticarum ſcilicet. [98] Aliquando Gariopontus more Methodicorum ratiocinatur, quod liquet, cum dixerit omnes febres typicas eſſe vel ſtrictas, vel ſolutas, vel mixtas. Item ſudorem eſſe utilem, ſi ſolutio paſſioni inſuerit: ſin vero ſtrictura, attendendum tunc ad infirmitatis magnitudinem. [99] Reſtat quidem, ut poſterioris ævi ſcriptores, ut Rogerium, Rolandum, Arnoldum de villa nova, Petrum Aponam, Gentilem Fulginatem, Franciſcum Pedemontium, Gordonium, Guainerium, in ævo, quo vivebat, a quibuſdam Monarcham Medicinæ vocatum, Savonorolam, & ſexcentos alios, recenſeam. Verum, quoniam omnes prope, qui uſque ad ſeculum XVII. inclaruere, Doctrinam Galeni, & Arabum, illius placita mirum in modum amplificantium, profeſſi ſunt; ea de cauſſa ego horum recenſione ſuperſedeo, ſiquidem coram vobis diu multumque de dictorum placitis diſſerui. Oblivioni tamen non tradendi ſunt morbi totius ſubſtantiæ, quos Fernelius primo in Medicinam invexit. Senſit enim triplicem morborum in partibus *ſimilaribus* * differentiam. [100] Primam eſſe ſitam in materiæ immoderatione, alteram in intemperie: tertiam denique in formæ ſeu totius ſubſtantiæ corruptela. Etenim, quoniam tria ſunt, ut materia, forma & temperamentum, ex quibus pars unaquæque *ſimilaris* conſtitui-

[98] Vide libr. VI. Cap. I. VII. & ſeq.

[99] *Ibidem* Cap. VIII. & libr. VIII. Cap. XI.

* Quarum denæ ſpecies ab Anatomicis enumerantur ut os, cartilago, ligamentum, membrana, fibra, nervus, arteria, vena, caro, & cutis. Hæ rurſus dividuntur in *ſpermaticas*, ſanguineas & miſtas. Vide Anatomiam *Bartholini* in Procem. ut & alios auctores, qui copioſe de hujus generis partibus diſſeruerunt.

[100] Vide Patholog. libr. I. Cap. VII.

ſtituitur, perque hæc quoque ſubſiſtit atque conſervatur: ita etiam hæc tria in cauſſa, ut dicta pars aut bene, aut male, ſubſiſtat. Namque illorum trium integritatem & moderationem, partis eſſe ſanitatem, eorundemque contrarium i. e. immoderationem, morbum. Totam autem rei ſubſtantiam, ſtatuit, eſſe perfectionem & integritatem, qua res unaquæque conſiſtit. Hæc quoties immutetur, & de perfectione decedat, rem totam continuo perfringi: ipſamque illius deceſſionem, morbum eſſe totius ſubſtantiæ, ſeu hujus cujuſdammodi corruptionem; cujuſdammodi inquam, quia ſi ea fuerit penitus corrupta, inſimul tunc ejuſdem interitum propediem affuturum. Cæterum totius ſubſtantiæ morbum, ſive ſimplicem eſſe corruptionem, ſive putredinem: illam eſſe ſpiritus innatique caloris, qui præcipua eſt partis ſubſtantia, diſſipationem ac extinctionem; hanc vero ſubſtantiæ partis diſſolutionem. Hujuſmodi morborum præterea duo genera poſuit, altero manifeſtos, ut ſcabiem, phthiſin, &c. altero occultos, complectitur. Hos rurſus tripertitur in peſtilentes, contagioſos atque venenatos. Occultos autem nominat, quia corruptelam & perniciem ab occultioribus vel involutioribus, iiſque maxime externis, cauſſis habeant: eſſe enim harum aliquas, tota *eſſentia* nobis contrarias & infenſas, ſi modo quicquam earum nos, ut decet, attingat, id tum omnino lædere aſſiduumque incrementum ſumere: aliquas vero tota ſpecie nobis eſſe adverſarias; & harum alias cum aëre ſpirando trahi, ut Peſtilentiæ, &c. morborum contagioſorum ſemina: alias extrinſecus nos attingere, ut canis rabidi, vel alius venenatæ beſtiæ, virus: alias intro ſumi vel cibi, vel potus, vel medicamenti ſpecie. Præterea dari venenum, quod halitu nos ferit, omnium præſentiſſimum: quod, quum

multo

multo tenuiſſimum ſit, ſpiritu hauſtum, celerrime per pulmones in cor, viſcus vitæ nobiliſſimum, & in arterias, in univerſum denique corpus obrepere, primumque ſpiritus, deinde humores, poſtremo partium ſubſtantiam, labefactare. [101] Quomodocunque hæc a Fernelio poſita fuerint, Sennertus tamen inficiatur putredinem, ulcera maligna & ſpiritus diſſolutionem, eſſe in numero morborum totius ſubſtantiæ referendas: quoniam dictorum cauſſas ad qualitates principes referre queunt; verum e diverſo, ſi maligna & venenata cauſſa læſionem vel affectum in parte ſimilari excitet; &, ſi idem affectus ſaneſcere remediis, reſpectu qualitatum principum agentibus, neſciat; ſed id fiat occulto modo, vel ratione totius ſubſtantiæ, in tali remedio ſingularis; tunc non dubitat ejuſcemodi affectum ad morbos totius ſubſtantiæ referre. [102]

Verum, inquam, ne ſequius accipias, velim, quod ego tibi hodie adeo moleſtus ſim. Scire ad hæc percupio, ecquod ratiocinii in Medicina habeant Chinenſes? Da itaque nobis, quamvis te importune flagitem, quæ tibi de illorum doctrina conſtant.

Tum *Hotton*. Procul dubio, inquit, in memoria etiamnunc habetis, me debere hac veſpera amicum inviſere, cauſor igitur ſeriorem veſperam, quæ mihi impedimento eſt, quo minus negotium, mihi injunctum, curatius diſſerere queam: attamen, utut ſit, reddam ſummarium eorum, quæ ex tractatu *ten Rhyne* de Acupunctura didici. Is enim, ut noſtis, modum pungendi, & rationes, quare operatio inſtituitur, a Sinenſibus accepit. Sed ad propoſitum. Hu-

[101] Hæc excerpſi e libr. II. Cap. IX. X. & XI. de abdit. rer. cauſ. & verba ad compendium contuli.

[102] Plura vide apud dictum *Sennertum* in Inſtit. libr. II. Part. I. Cap. IV.

midum *radicale*, Chinenſes, auctoritate codicis *Daykio* innixi, credunt tripilicis eſſe generis, unum debile, alterum debilius, debiliſſimum appellant tertium. Triplex hujuſmodi humidum autem, perſuaſum habent, in utriuſque brachii arteriis reſidere: originem vero illius eſſe a pectore ad brachium utrumque. Humidi *radicalis* debilis arterias in utroque brachio a pectore originem ducere, deſinere autem in medio digito: debilioris arterias indidem incipere, at finire in extremitate pollicis a parte exteriore: debiliſſimi tandem arterias in utroque brachio a corde oriri, terminare vero in apice minimi digiti in parte exteriore. Singularum porro arteriarum ab initio ad finem longitudinem eſſe trium pedum & ſemiſſis, & ſummam omnium humidi radicalis arteriarum, pedum viginti & unius. Non diſpar eſt ratio calidi innati, cujus arterias, credunt, in utroque brachio a capite originem capere, finire autem digitorum in extremitatibus. Et hoc trifariam in corpus didi diſtribuive. Primi, quod appellant calidum innatum forte, arterias, in utroque brachio inchoare ab apice digiti indicis, has vero finire in extremitate naſi. Debilis, quod alterum calidi innati genus eſt, arterias, oriri in brachio utroque a minimo digito utrinque, verum terminare hoc in interioribus angulis. Tertii tandem, debiliſſimi puta, arterias, incipere quoque in ambobus brachiis, circa extremitatem digitorum annularium utriuſque manus: finire autem in utroque hirquo exteriori. Longitudinem arteriarum, ſingulatim conſideratarum, eſſe quinque pedum; ſummam vero omnium ſex, tres namque in utroque brachio habentur, triginta pedum. Quemadmodum in brachiorum, ita etiam in pedum, arteriis ſeu venis, arbitrantur, triplicem calorem nativum atque humorem primigenium dominari. Etenim calidi innati fortis

tis originem a naſo putant, & finem in extremitatibus digitorum pedum eſſe intrinſecus. Calidi debilis, quod in utriuſque pedis arteriis, principium eſſe ab internis hirquis, finem vero in extrinſeca minimi digiti utriuſque pedis parte. Calidum debiliſſimum oriri itidem ab hirquis internis, at vero terminare inter penultimum & antepenultimum pedis utriuſque digitum. Quamlibet harum arteriarum longitudinem eſſe pedum octonoriam: & quandoquidem in utroque poplite ſint arteriæ ſenæ, efficitur inde, omnium longitudinem in ſumma eſſe quadraginta octo pedum. Pari modo diſſerunt de pedis arteriarum humido primigenio. Quamlibet ejuſmodi arteriarum longitudinem ſtatuunt ſex pedum cum dimidio, omnium autem ſummam novem & triginta. Exhiſce dictis conſtat arterias, tum calore innato, tum humore primigenio, refertas, numero duodenas eſſe. Præter memoratas internas, ſtatuunt quoque, quatuor externas arterias, in quibus etiam ejuſdem generis calidum & humidum contineri ſeorſim. Eadem vero conjunctim duodecim vaſis ineſſe. Primum vaſorum genus, vitali ſpiritu plenum, CLXII. pedes: aſt alterum, ſpiritibus orbum, CCCLXV. pedes, longum. In illis ſecundum naturam in primis calidum nativum, quod ſurſum ferri, reperiri; verum in his præcipue humidum inveniri primigenium, quod potiſſimum duci deorſum. Qui motus, ſi æqualis fuerit, quin &, ſi dictus humor & calor in ſanguine ſecundum naturam invicem mixti, efficiunt, juxta Chinenſium opinionem, corporis incolumitatem. Contra, atque dixi, ſi fuerit, propediem affuturam corporis ægritudinem. Cæterum in curatione ægrorum vilipendunt ſanguinis miſſionem. Argumentantur namque ex inciſa vena non pravum modo, ſed & bonum, cruorem, prodire. At enimvero in con-

feſſo eſſe, ſanguinem vitalitatis fontem: & quanto magis quiſpiam ejus jacturam faciat, tanto & eundem imbecilliorem futurum. His de cauſſis e re Medici judicant, ut ſanguis quoquo modo a colluvie ſua depurgetur; cummaxime autem a flatibus, quos plerorumque affectuum, quibus corpus eſt obnoxium, & auctores eſſe, & actores. Fieri autem ſanguinis correctionem non melius poſſe, exiſtimant, quam uſtione *moxa* inſtituenda: aut punctura acus, ad id negotium affabre effectæ, varias per corporis partes peragenda. [103]

Hoc loco *Solinus*. Venia ſit dicto, inquit, Tuam ſcientiam non fugit Cleyerus, qui quondam Bataviæ Indorum medicinam tractavit?

Quinimo, inquit *Hotton*. Is ſcripſit etiam ſpecimen Medicinæ Sinicæ.

Eum ipſum volo, inquit *Solinus*. Pervelim, præterquam non moleſtia tibi aſpergatur, ut quædam exinde nobis tradas. Scire namque avemus, an ipſi ſint aliquæ circa Medicinæ Theoriam ſingulares opiniones?

Enimvero, inquit *Hotton*. Incredibile eſt, quam multæ ſint. Sed quotus quiſque hominum eſt adeo extemporalis orator, ut ſuis quaſque locis extemplo reddat. Tum ego. redde modo, inquam, obnixe precor, quam poteris: Flagramus quippe varietate Theoriæ Medicæ.

Vobis rurſus auſcultem, inquit *Hotton*, neceſſe eſt. Verum, ubi occipiendum, ubi finiendum ſit, hæſito: uſque adeo enim rerum dicendarum copia varietateque obruor. At, quamvis memoratus auctor, ob

[103] Hæc e *ten Rhyne* Mantiſſa ſchematica, & libello de acu punctura excerpſi, & inde feci dictorum qualecunque breviarium.

ob tot accepta a Chinenſibus fragmenta, ejuſdem-modi res nonnunquam complexu ſuo continentia, perturbate ſcripſerit, periclitandæ ſunt ingenii vires. Chinenſes in hoc univerſo tres præclaras, ſtatuunt, ſubſtantias, ſupra cœlum, infra Tellurem, in medio autem hominem, quem utrarumque priorum eſſe participem. Similiter, atque de univerſo dixi, dividunt corpus humanum triparitio. Supremam complexu ſuo continere, quicquid eſt ſuper ſeptum tranſverſum: mediam, quicquid eſt illud inter & umbilicum; infimam denique, quæ ſub umbilico pedibus tenus reperiuntur. Aliquando, de dictis corporis regionibus diſſerturi, metaphora utuntur, ac in illa ponunt varias nebulas, in iſta pluviam, in hac vero lacum & ſtagna, quæ ex dicta pluvia confluxere. Ita etiam convenientiam dari, contendunt, pulſum inter & dicta tria jamjam memorata. Supremo pulſui, quem etiam nomine cœli, quia is cum ſuprema corporis regione conſentit, nuncupant, dominari calorem primigenium. Infimo, quæ Terræ nomine inſigniunt, quemque cum infima corporis regione convenire, dominari humidum *radicale*. Medium tandem appellant vocabulo hominis, quoniam hic in medio mundo ſitus, & ei ſit conſenſus cum media corporis regione. [104] Hæc duo, calidum primigenium puta, & humidum radicitus infixum, ſunt ex ſententia Chinenſium principia omnium rerum intrinſeca. His, credunt, cuncta in uni-

[104] Quandoquidem ii, qui Cleyeri Specimen Medicinæ Sinicæ Francofurti anno. M. DC. LXXXII. ediderunt, id magna in membra, ægre ab aliquo pervolvenda, diſpertiverunt: &, ut ne videar me mea opinionum commenta evulgaſſe, cogor ideo paginas operis, quod quadruplicis generis alphabeto impreſſum, citare. Hæc itaque, quæ jam prolata, hauſi e part. II. pag. 3. 4. & 85.

verſitate rerum animari. Ex horum omnifariam facta mixtione exoriri omnium, quæ in hoc univerſo ſunt, affectiones & viciſſitudines, tam generationis quam interitionis cauſſa, obortas. Quinimo ab eorum omnimoda conjunctione, ſeu congreſſu, dependere tum incolumitatem tum infirmitatem corporis. [105] Præter hæc duo principia ponunt Chinenſes quinque elementa, ut arborum, ignis, terræ, metallorum & aquæ. Hæc, arbitrantur, hoc pacto & ordine producta. Ab humido fertili, quod ſentiunt e cœlis primitus demiſſum, ſingulari modo enatas arbores: ex his, puta aridis, ignem ſeu ſpiritus igneos: ab igne, quoniam poſt ſe plerumque fæces vel cineres relinquit, terram: ex terra, metallum: ex metallo aquam: ex hac rurſus arbores; & ſic ſingula, ſecundum eorum doctrinam, inter ſe reciprocantur. [106] Opinantur præterea eum, qui ſciendi eſt cupidus corpus hominis eſſe ſicut minorem mundum, oportere gnarum eſſe differentiæ, quæ cœlum inter & terram eſt, ut & conformitatis, quam ſex ſpiritus cum quinque moventibus. i. e. elementis, habent. [107] In cœlo eſſe novem ſtellas & planetas, in terra novem magnas earum partes, nec non novem famoſiſſima deſerta: pariter in homine novem membra, & totidem vias, ineſſe. [108] Admirabilia, quin dicam incredibilia, proferunt de conſenſione neceſſitateque, quam perſuaſum habent, quinque corporis principibus membris intercedere cum quinque aliis hujus univerſi rebus. Et, ut explanatius percipia-

[105] *Ibidem* pag. 2. 65. & 76. Porro utriſque eſſe triplicis generis diverſitatem vel gradus: primum magnum, alterum exiguum, & deficientem tertium, appellant; quos gradus, ſentiunt, ſe in utriuſque manus pulſibus explorare poſſe vide. pag. 7.

[106] *Ibidem* pag. 6.

[107] Vide Part. 1. pag. 16.

[108] *Ibidem*. pag. 34.

cipiatis, quid velint, neceſſe eſt, ut rationes eorum ſubjiciam. Cor, credunt, corporis eſſe perfectionem, reſpondere id Marti, æſtati, meridiei, auſtro, elemento ignis, ſapori amaro, colori rubro: delectari milio carneque ovilla, odi calorem, recondere ſpiritus, dominari ſanguini, liquorem digerere in ſudorem, indicem ejus eſſe linguam: habere diminuti humidi *radicalis* viam ad manus a corde: cum plenum, ſomniare timenda & monſtroſa, cum vacuum flammas, ignem, lucem; quando calidum, pulſum eſſe ſolidum: ſi frigidum, ſubtilem: ejus inteſtinum vel adjunctum, eſſe lactes, quos habere a manibus ad caput magni caloris primigenii viam naturæ igneæ. Hepar conſentire cum Jove, Vere, tempore matutino, oriente, elemento arborum, vento, ſapore acido, colore cœruleo, gaudere ſemine lini & carne gallinarum, odi ventum, recondere animam, imperitare ſanguini & nervis, liquorem digerere in lachrymas, feneſtras ejus eſſe oculos: habere deficientis humidi *radicalis* viam naturæ aëreæ a pedibus ad pulmonem: plenum ſylvas & montes, vacuum herbas ſubtiles & gramen, ſomniare; ſi calet, triſtitiam gignere, ſi friget, defectu ſpirituum laborare; ejus membrum adjunctum eſſe fel: hoc itidem eſſe naturæ arboreæ, & habere viam diminuti caloris primigenii a manibus ad caput. Renes ſeu veſicam de proprietate convenire cum Mercurio, Hyeme, nocte, ſeptentrione, elemento aquæ, frigore, ſapore ſalſo, colore nigro, gaudere fabis & carne ſuilla: odi ſiccitatem, recondere ſpiritus generoſos, imperare oſſibus, laticem mutare in urinam, feneſtras ejus eſſe aures: habere imminuti humidi rad. viam naturæ aqueæ a pedibus ad pectus: quando plena, renes graveſcentes, quando vacua, hominem ſomniare ſe tranſnatare aquas metu: ſi calet, alvi fœces & uri-

nas ſpiſſas eſſe, ſi friget, evacuari præter modum omnia: ejus membrum adjunctum eſſe ureteres, habereque magni caloris primigenii viam naturæ aqueæ a capite ad pedes. Pulmonem reſpondere Veneri, autumno, veſperæ, occidenti, elemento metalli, ſiccitati, colori albo, gaudere oryza & carne equina, odio habere frigus, abſcondere corpus, moderari aëreos ſpiritus: humores mutare in mucum, feneſtras ejus eſſe nares: habere humidi radic. viam a pectore ad manus: ubi plenus fuerit, arma & bella, ubi vacuus, ſomniare rura aquea & campos: ſi calet aut friget, efficere ut pellis aut incaleſcat, aut frigeſcat: inteſtinum magnum eſſe illi adjunctum, idque habere lucidi caloris primigenii viam a manibus ad caput. Lieni, alibi dicit ſtomacho, conſenſionem eſſe cum Saturno, & cum poſtremis duo de viginti quorumque quatuor anni temporum diebus, & cum media inter quatuor cœli cardines parte, cumque elemento Terræ, tepore, ſapore dulci, colore flavo: eundemque proſequi odio teporem, oblectari tritico & carne bubula, recondere animos, dominari carni: humores permutare in ſalivam, feneſtram ejus eſſe os: habere magni humidi radic. viam a pedibus ad cor: ſi plenus fuerit, cantum & læta, ſi vacuus, cibum ac potum, & rixas ob cibum, ſomniare: ſi calet, mox pingueſcere, ſi friget, indicare defectum alimoniæ: ejus inteſtinum eſſe ſtomachum, quem habere puri ac lucidi caloris primigenii viam a capite ad pedes, naturæ itidem terreæ. His quinque membris principalibus adjungunt portam vitæ, quam, volunt, igni cordis ſuppetias venire, & concurrere in ordine ad gignendam terram: ſubjici igni forinſecus advenienti, naturam habere aqueam, eſſeque una cum tertia corporis parte, quæ ei in loco inteſtini eſt, perfectorum ſpirituum domicilium, formæque alicujus mem-

membri expertem; habereque diminuti caloris primigenii viam naturæ igneæ a manibus ad caput. [109] Præter hæc opinantur Chinenſes ſuam quibuſque membris invicem eſſe, aut cauſſam, aut effectum, aut neceſſitudinem, aut minus; quæ indicaturi metaphorice utuntur vocabulis matris, filii, hoſtis & hoſpitis. Ut cordis matrem, ferunt, eſſe hepar: filium, ſplenem & ſtomachum: hoſtem, renes: hoſpitem, pulmonem. Jecoris matrem eſſe renes: filium, cor: hoſtem, pulmonem: hoſpitem, lienem & ſtomachum. Renum matrem eſſe pulmonem: filium, hepar: hoſtem, ſplenem & ſtomachum: hoſpitem, cor. Pulmonis matrem eſſe lienem & ſtomachum: filios, renes: hoſtem, cor: hoſpitem, jecur. Lienis tandem & ſtomachi matrem eſſe cor: filium, pulmonem: hoſtem, hepar: hoſpitem, renes. Eandem, putant, rationem quinque elementorum eſſe. Ex. gr. Elementi aquæ matrem eſſe metallum: filium, arbores; hoſtem, terram: hoſpitem vero, ignem, &c. [110]

Hoc loco *Solinus*. Profecto, inquit, hæc mira ſunt opinionum commenta. Pleriſque ex noſtris ea haberi, reor, ſicut irridicule dicta, quæ ne ſpeciem quidem veritatis præ ſe ferunt. Verum acquieſcant Chinenſes in ſuis commentis, nos interea oblectamur, ducimurque eorum auditione. Sed incidit jam in mentem ſanguinis circuitus, quem gloriantur, ſibi ante quatuor millia annorum innotuiſſe. [111] Pande nobis, obſecro, an ſimilia, velut Europæi, de eo ſtatuant?

[109] Vide Part. 1. pag. 8. uſque 14. Part. 11. pag. 6. 7. 8. 11 49. 85. uſque 87. & iterum pag. 101. & 102. e quibus dictas opiniones excerpſi, & ad qualecumque compendium contuli.

[110] Ita Part. 11. pag. 11.

[111] *Ibidem*. pag. 85.

Tum *Hotton.* Iucredibile dictu, inquit, quam inauditam de eo habeant opinionem. Et ut eum poſſitis mente percipere, oportet primo indicare reſpirationem, quatenus ea cum ſanguine atque ſpiritibus de motu reciproco conveniant. Sentiunt enim intervallo unius in ſtatu naturali reſpirationis fieri quatuor, vel quinque ad ſummam, pulſus, & eodem temporis ſpatio calorem primigenium, vel ſpiritus & humidum radic. vel ſanguinem progredi in corpore ſex digitorum longitudine. Ex quo confici, putant, intra XXIV. horas noſtrates, (nam Chinenſes diem & noctem in duodenas partes partiuntur) quibus tredecim millia & quingentas reſpirationes fieri, ſanguinem abſolvere intra vaſa iter octoginta & unum mille digitorum. Nolim, credatis, adeo longas vias in corpore eſſe: verum Chinenſes credunt ſanguinis circuitum reſpondere, cœlorum per domos quinquagenas, converſioni: hinc arbitrantur ſpatio unius diei & noctis ſanguinem quinquageſies circuitum ſuum perficere. Quandoquidem nunc, ut modo narravi, ſpatio unius reſpirationis fiunt quatuor vel quinque arteriarum pulſationes, & ſpatio diei ac noctis contingunt tredecim millia & quingentas reſpirationes; effici hac ratione, autumant, non fieri plures pulſus, eodem temporis ſpatio, in ſtatu corporis naturali, quam ſexaginta ſeptem millia & quingent, nec pauciores, quam quinquaginta & quatuor millia. [112] Quantum vero attinet ad rationem circuitus, ut is ſcilicet contingat, perſuaſum habent, dari duodecim in corpore humano vias ordinarias, vel membra, per quæ ſanguinem, & ſpirituum vehiculum, humidum *radicale* ſc. circum ire. Dictæ autem viæ hæ ſunt, ut via pulmonis, majorum

[112] Vide Part. 1. pag. 7. Part. 11. pag. 15. 79. 80. 90. & 95.

14. 13500 (3576

rum inteſtinorum, ſtomachi, lienis, cordis, lactium, ureterum, renum, pericardii, tertiæ partis corporis, fellis & hepatis. Ex ſex viis quinque membrorum præcipuorum, ut pulmonis, ſtomachi, cordis, renum & jecoris, nec non pericardii, arbitrantur, deduci humidum radic. plus aut minus intenſum; e ſenis autem viis membrorum reliquorum deduci calorem primigenium, magis aut minus intenſum. Poſthinc tres vias humidum devehentes ordiri ab ipſis membris, ut a corde atque pectore, & in manibus finire: totidemque vias a pedibus oriri, terminareque in membris. Itidem tres vias eſſe a capite ad pedes, ac totidem a manibus ad caput, quibus, putant, calidum, per corpus diſtribui. His addatis vias, humido deſtinatas, plerumque magis introrſum, ad partem corporis anteriorem, ut ad pectus, ventrem, &c.: e diverſo caloris vias potius extrorſum, ad partem corporis poſteriorem, ut ad dorſum, &c. ferri. Tandem ſingulis duodenis viis aſſignant ſemitam quandam, cujus ope membrum quodvis ad aliud, inter ſe reciprocum, ferri. [113] Præter has duodecim ordinarias, finxerunt etiam octo extraordinarias, ad circuitum ſpectantes, vias. Has oblique, ſentiunt, in ſe recipere, quicquid in illis exuperarit. Primam, appellant, congregationem caloris primigenii, eamque oriri infra ſpinam dorſi, pergereque occipitio & vertice tenus: ingredique cerebrum & terminare verſus maxillæ ſuperioris dentes. Secundam, congregationem humidi radic. dictam, oriri ex anteriore parte, infra deflectere circa ventrem & viſcera, aſcendere ad guttur, ad caput, terminareque

[113] Part. 11. pag. 12. 84. & 95. Ut autem aliquis perceptionem humorum circuitus, prout Chinenſes eum tradunt, habere poſſit, curavi a Cleyero effictum exemplar ficti circuitus, ut per duodecim vias ordinarias abſolvatur, heic apponere.

reque propter oculos. Tertiam, radicem duodecim viarum dictam, oriri prope pubem infra umbilicum dextrorsum & sinistrorsum, pergere stomachum usque & pectus. Quartam oriri e lateribus infra, eamque corpus, cinguli instar, omnium pulsuum vias, cingere includereque. Quintam e medio calcaneo oriri,



oriri, inde extrorſum ferri, aſcendereque tranſverſa ad os, & infra aures: hanc, credunt, calorem dextræ & lævæ corporis partis moderari. Sextam itidem, putant, e medio calcaneo provenire, ac progredi ad pectus & guttur: imo ad ipſos oculos uſque; hanc ab utraque parte humidum interius regere. Septimam exoriri e loco, ubi concurrunt caloris viæ, a calcaneo incipere, vergereque ad ventriculum, lienem, caput, aures. Octavam denique oriri e loco, ubi concurſus viarum humidi ab interiori talo aſcendit oblique ad ventrem, deinde ad pectus, & tandem ad partem verticis anteriorem. [114] De cætero faciunt etiam ad modo dictorum intelligentiam tempeſtates anni, juxta & tempus menſtruale. Annum non modo quadripartitum, ſed etiam quinque partitum, reddunt. Statuunt namque quælibet quatuor anni tempora conſtare e ſeptuaginta & duobus diebus, qui quater multiplicati efficiunt ducentos octoginta & octo dies: reliquos inſuper eſſe extremitati cujuſque tempeſtatis duo de viginti dies, quos quater quoque multiplicatos, efficere quintum anni tempus, ſimiliter, ac priora, ſeptuaginta & duos dies complexu ſuo continens: & hos, ſi ſupra memoratis addantur, efficere annum Lunarem trecenorum & ſexagenorum dierum. [115] In quolibet anni tempore nunc, credunt, peculiare elementum, & unum e corporis viſceribus, rerum potiri. v. g. tempore verno elementum aëris ſeu arboris, & hepar: æſtivo, ignem & cor: autumnali, metallum & pulmonem: brumali, aquam & veſicam: in fine autem cujuſlibet annuæ tempeſtatis, terram & ſtomachum, tenere dominatum. Non modo hæc quinque anni tem-

[114] Vide Part. II. pag. 98.

[115] *Ibidem.* pag. 8. & 19.

tempora, verum etiam menſes anni, volunt, eſſe obſervandos. Horum quippe ratione ſpiritus, propter diverſitatem caloris & humidi, quæ modo adaugeri, modo diminui, identidem variari. Namque prima & ſecunda Luna ſpiritus caloris occipere, habereque tepidum Veris tempus: tertia & quarta, eos reddi magnos & perfectos, habereque calidum Æſtatis tempus: quarta & quinta, incipere humidum radic. & ejus ſpiritibus tunc principatum deferri, obtinereque humidum Autumni tempus: ſeptima & octava, ſpiritus humidos evadere pleniores, atque tempus nanciſci frigidius: nona & decima, ſpiritus humidos apparere longe perfectiſſimos, indipiſcique tempus brumæ maxime algidum: undecima tandem & duodecima Luna, ſpiritus naturales caloris parvos quidem videri, & tempus frigidum indeptare; ſed eos magis ac magis deinceps augeri, redauſpicarique, ac ſubire rurſus ſimiliter, atque jamjam narravi, priſtinam viciſſitudinem. [116]

Hoc loco ego. Peto veniam interfationis, inquam. Abſtruſiorem memoraſti Sinenſium Phyſiologiam hominis. Sed, videturne Tibi, Vir Doctiſſime, eorum Pathologiam cum illa congruere.

Ad quod *Hotton*. Congruere in unum, inquit, pleroſque eorum ſententias, & inter ſe reciprocari, mihi ſaltem ita videtur. Verum id dolendum eſt, eos in dictionibus nimiopere tropis, in primis vero horum affectionibus, ut catachreſi, hyperbole & allegoria, uti: quas cum nimis valde adhibeant, dicendo rem frequentiſſime obſcurant. Sed ad propoſitum meum redeam, neceſſe eſt. Quantum ad quinque elementa, e quibus corpus humanum compoſitum, attinet, magnopere refert, ajunt, ut inter ſe mutuam conſer-

[116] *Ibidem.* pag. 107. & 18.

ſervent æquabilitatem: ex his quippe unum ſi fuerit modo cum cæteris inæqualiter temperatum, protinus morbum apparere. [117] Et eorum vitium eſſe in hoc poſitum, ut aut vincant, aut vincantur: illius generis appellant exceſſum, hujus vero defectum unius aut plurium elementorum. [118] Præſertim vero oportere medicum cum animo ſuo calorem primigenium, & humidum radicitus infixum, conſiderare. Illius enim malignitatem corpori importare perturbationem, & quatuor partium moleſtias, faciei ruborem, maculas, deliria, inconditoſque ſermones, &c. hujus autem febrem malignam, gravitatem, oculorum ventriculique dolorem, venenoſos ſpiritus pervadere cor, & frigus deficiens dilatari abſque obſtaculo in quatuor partibus; imo ejus humidi venenum deprimere, & quaſi abrumpere, ſpiritus. [119] Cæterum ſtatuunt tres caloris primitivi, totidemque humidi radic., vias eſſe: in his morbum ſubſiſtere: has, nec non earum origines, morbum ſuſcipere: totum diſcrimen in eo poni, quod illius viæ efficiant calorem extrinſecum, & pulſus celeritatem: hujus vero frigus extrinſecum, & pulſus tarditatem. [120] Dictis ſex viis ſuperſunt quinque vitia, quæ læſionem efficiunt, dicenda. Primum fieri ab interiori vento vel vitio vacui, unde in corpore calorem oboriri, verbi gratia. Cor, tali vitio affectum, cognoſci poſſe e colore rubro. Jecur quidem, omnium colorum dominum & auctorem, in ſe cœru-

[117] Part. 1. pag. 16.

[118] Part. 11. pag. 30.

[119] Part. 1. pag. 44. & 32.

[120] Quod vero ad nominationem dictarum ſex viarum attinet, ſcitu eſt caloris primitivi vias appellari nomine magni, lucidi, & diminuti caloris: humidi radicitus infixi vias, nomine magni, deficientis, & diminuti humidi. Vide Part. 11. pag. 25.

ruleum; verum ejus via, cum cor ingrediatur, efficere rubrum: ſi ſtomachum, flavum: ſi pulmones, album; ſi veſicam, nigrum colorem; nec non in cauſſa eſſe, ut calor in utroque latere, &, cum oppleantur, dolor progignantur. Secundum a caloris æſtu, quo ſiquis lædatur, eum tunc odio habere odorem & fœtorem. Equidem ſuum cuique membro eſſe odorem, tamen omnis generis odorum principatum cordi delatum. Cor quidem in parenchymate ſuo producere odorem aduſtum: verum tamen ejus viam, ſi ea ſtomachum ingreſſa fuerit, ſuavem: ſi hepar, carnis ſimilem: ſi pulmones, fœtorem carnis putridæ inſtar, efficere. Tertium ex alimentorum nimietate & defatigatione nimia: eum, qui hoc vitio laborat, ſapore amaro oblectari: indicium hoc eſſe morbum eſſe calidum a corde, quod calori dominatur, & a ciborum gravitate, unde corpus obdormiſcere. Quartum eſſe, ſi corpus maligna febris corripuit, ægrotans nugas garrivit, ſedem ejus malignæ febris eſſe in pulmone. Quale vitium autem ut declararent Chinenſes, hanc habent hyypotheſin: nempe cuilibet viſceri, quorum quinque momoravi, peculiarem eſſe ſonum: omnium tamen vocibus & ſono imperare pulmonem. Nam, ſi via pulmonis hepar ingrediatur, eam tunc gemitus: ſi cor, loquacitatis & riſus: ſi ſtomachum, cantus: ſi veſicam, ſingultus: in ſe ipſo vero pulmonem fletus, eſſe cauſſam. Quintum tandem eſſe, ſi v. g. æger propter humorem interiorem lædatur, cujus indicium eſſe ſudationem jugem: viam quippe veſicæ occupaſſe cor; &, quandoquidem veſica humoribus dominatur, inde contingere, ut, ſi ejus via hepar ingrediatur, eadem tunc lachrymas: ſi cor, ſudorem inſtabilem: ſi ſtomachum, ſalivam nimiam; ſi pulmonem, copioſum narium mucum; in ſe ipſa autem urinam,

urinam, producat. * His, quæ paulo ante de febri maligna dixi, addatis, febrem malignam oboriri, ſi quando quatuor anni tempora non ſervent proprietatem ſuam, ſed contrario, ac decet, modo ſe habeant: potiſſime tamen talem febrem a quinque cauſſis oriri, (1) generari ab interiori vento, quoniam ſudor, ob malignitatem venti, læſionem accipiat: &, ſi ea accidat in calore primigenio, pulſum apparere natantem & crebrum, eo, quod læſio ſit in motu ſanguinis, & ſpirituum, qua de cauſſa calorem ſurſum tendere; ſin vero in humido radic. ſit, ejus malignitatem tunc pulſum mollem ſubtilem & debilem prodere: (2) naſci a frigore, malignitatem ejus eſſe cauſſam, & ægrum haud ſudare: inde fieri, ut corpus doleat; & quia hic morbus ex caloris primitivi & humidi radic. nimietate exoritur, ideo pulſum eſſe intenſum, rarum, & calidum in primo & tertio loco: (3) progigni a calore primigenio & humido radic. natantibus: ideoque in tertio & primo loco pulſum ſentiri natantem & crebrum, quem ſignificare cor a calore lædi: (4) exoriri a peſte ſeu tempore, motum hujus morbi omnes vias permeare, atque omnia tempora, quia contrario modo procedunt, percurrere: inde fieri, ut, qui tali morbo laborant, ratione ſpirituum multitudinis, aut ocyus, aut tardius convaleſcant; tandem (5) produci ab humido tepore, quem, ſi calori primigenio infuerit, indicare pulſum mollem ac debilem: ſin autem humido radicali, pulſus tunc eſſe parvos & celeres. In ſumma vero, ſentiunt, in maligna febri, duas malignitatis ſpecies reperiri: alteram in calido primigenio, alteram in humido radic. poſitam. † Præterea morbum, putant, quinque modis progigni, nimi-

* *Ibidem*. pag. 32. & ſeq. † *Ibidem*. pag. 60. 61. & 63.

rum vitio vel vacui, vel repletionis, vel latrocinii, vel exiguitatis, vel *rectitudinis*. Exempli gratia proponam Cor. In hoc, vitio vacui ob ventum, naſci morbus: vitio repletionis, quia id cibo, labore & defatigatione oneretur: vitio exiguitatis, cor affici frigore, unde maligna febris: vitio latrocinii ſi cor affectum fuerit, morbum oriri ex humore & frigore, ſi non mortalem, ſaltem periculoſiſſimum: vitio denique *rectitudinis* morbum, quoniam ſit ipſius cordis, ſua ſponte curari. Eadem conditio eſt reliquorum viſcerum primariorum. Has quinque modis cujuſvis viſceris vitioſitates, credunt, ſe pulſu dignoſcere poſſe, quare ſpecies pulſus ſolent quoque antedicta vitiorum nominatione nuncupare: & quia inſuper vel duritiem, vel mollitiem in pulſu obſervari, hinc harum ratione quodlibetcunque membri principalis vitium duplicant, & probant inde bis quinis morbis membrum quoddam laborare, i. e. decem modis id affici poſſe. Quæ cum ita ſe habeant', confici ex his, putant, decem diverſi generis morbos cujuſcunque membri dari. [121] Præter hos, ſentiunt, dari quinque extorum nobilium morbum, quem vocant aggregationis ſpirituum. Hepatis ab aggregatione ſpirituum morbum, nominant pinguedinem ſpirituum: aſſimilari hunc inverſo calici, naſci ſiniſtro in latere, eſſeque diu immedicabilem, concitare tuſſim, & frigido-calidum morbum. Cordis morbum appellant nomine trabis caſus immobilis: ejus locum eſſe ſupra umbilicum: cor in hoc affligi ac contriſtari: affectum itidem de genere tardorum eſſe. Stomachi morbum nominant vaſculum ſpiritibus repletum; & quia ſtomachus eſt in medio, malum hoc in cavitate ventris reſidere, ac manibus &

[121] Part. 11. pag. 23. 24. & 26.

& pedibus dominari. Siquidem vero illud vaſculum non recipere a ſtomacho colorem flavum, & ſtomachum recipere humido-calida, & inſuper uſu alimentorum caro haud generari, ſed potius icterum; hinc ejus in loco oriri malum aggregationis ſpirituum ſtomachi. Pulmonis ægritudinem vocant *cié puén*, hanc reſidere infra latus dextrum, importareque corpori metum, anhelationem, & tuſſim diuturnam. Veſicæ morbum nuncupant nomine *puén tuy*, hunc infra reſidere, atque ſingultum excitare. [122] De amentia diſſerturi diſtinguunt hanc a delirio. Si humidi radic. malignitas interior effecerit, ut foras egrediatur, & inde caloris gravitas, eam tunc in cauſſa eſſe, ut aliquis deliret, & propter calorem obortum ægrotus commoveatur: &, quia malum ſolidum & intra plenum, propterea delirantem parum dormire, nec eſurire: verum gloriari de auctoritate ſua, cantare, lætari, &c. Verum, ſi ejuſdem humidi plenitudo, & redundantia in actum eruperit; vocatur gravitas humidi, fieri tunc amentiam, quam in triſtitia poſitam: eadem fere de hac proponunt, quæ noſtrates de melancholia. Amentiæ porro eſſe quinque ſpecies. Primam fieri a calore, & ægrum tunc inſtar mortui ſtercus egerere. Secundam ab humido radic. tertiam ex vento: quartam ex tepore; quintam tandem vocant equi amentiam, hanc intervallis venire, & efficere hominem manibus ac pedibus reptantem. [123] Quantum vero ad eventum morbi attinet, Chinenſes præſagiunt, imo prædicunt, quod, ſi morbi irrepant in vias naturali ordine ſibi ſuccedentes, aut ad viam, a qua prior vinci nequeat, v. cauſſa, ubi malum ſuum cor tranſmiſerit ſtomacho,

[122] *Ibidem.* pag. 35. & ſeq.

[123] Vide pag. 65. part. II.

tanquam filio: aut hepati, ceu matri: aut ubi cor a pulmone, veluti hoſpite, abs quo ſuperari nequit, malum receperit, contingere tum, ut ejuſmodi morbi, quia non radicitus infixi, ſed congruenter naturæ procedunt, facilius curentur. E diverſo, ſi morbi malum in viam exonerent, quam vincere queunt, e. g. Si cor pulmoni, hic hepati, hoc ſtomacho, hic renibus, hi cordi, hoc rurſus pulmoni, malum tranſmittat, evenire, ut tales morbi, quoniam nullum corporis membrum ſuffert bis a ſibi contrario lædi, ſi non lethales, ad minimum diuturni, evadant. [124] Ad ipſam medendi methodum quod ſpectat, decernunt quæſtionem, an plenitudo, an vacuitas ſit in cauſſa, ut membrum aliquod ægrotet: illam e velocitate, hanc vero e pulſus tarditate, apparere: illi mederi non poſſe, niſi evacuatio in filiis inſtituatur, neque huic, præterquam mater oppleatur, vel reſtauretur. Verbi gratia, miram dictu proferam allegoriam; hujus enim, ut noſtis, Chinenſes ſunt admodum ſtudioſi. Hepar aëreum, inquiunt, ſi a corde igneo invaditur, filius invadit matrem, & vacuitatis vitium eſt in hepate aërco; ideo matrem hepatis reſtaura, i. e, veſicam aqueam, & ſolves filium, i. e. igneum cordis pulſum. At ſi hepar invaditur a pulſu veſicæ aqueo, mater invaſit filium, i. e. aqua arbores, & multitudinis vitium eſt in jecore: idcirco hic matrem hepatis, h. e. veſicam evacuare oportet, & ſolvere filium hepatis, i. e. cor. [125].

Mihi

[124] Ibidem. pag. 9.

[125] Rationem hujus curationis addunt. *Namque*, ajunt, *ſi hepati arboreo vacuo velis mederi per pulmones metallicos, inducendo pulſum illorum, cum hepar intus habeat aquam, & ex hepate fiat ignis, qui ſolvit metalla, unde arbores non ferunt metalla, ac proinde ſic morbos non curabis, ſed augebis.* Eadem ratio eſt reliquorum membrorum

Mihi ſane, inquam, Chinenſium de morbis explicandi ratio movet admirationem, quia tam affabre ficta, & mentem ſuam plerumque verbis involutis explicant.

Tum *Solinus*. Chinenſium doctrina, inquit, te ad admirationem traducit, quoniam tot rebus, quas credunt inter ſe admirabiliter reciprocari, referta. Putaſne eoſdem viciſſim admirari quorundam noſtratium doctrinam, qui mira de ſeptenario numero, aliarumque rerum de incredibili cum hominibus conformitate, convenientia, conſenſu, &c. diſſeruerunt. Quid alias nunc e tanta opinionum diverſitate eruitur, quam, quod illi ſuis, nos noſtris delectemur, ſententiis. Verum, ut ne a propoſito declinemus, audiamus ex *Hottone*, quid Chinenſes amplius in medendi methodo advertant?

Ad quod ille. Quandoquidem Chinenſes, inquit, ita natura comparati, ut ab homicidio, atque ab omni violento ſanguinis profluvio, abhorreant, ratio hæc eſt, quare ſanguinis miſſionem non inſtituunt. Adde his eorum argumenta, quæ afferunt. Scilicet, nimium ſanguinis caldorem, aut vim, non magis ejus miſſione temperari, quam bullientis aquæ

brorum vel vacuitatis, vel plenitudinis vitio laborantium. En aliud ratiocinium. Si oriens i. e. hepar fuerit plenum, & occidens, i. e. pulmo vacuus, neceſſe erit, reſtaurare boream, i. e. aqueam veſicam, quia auſtri ignis & arborum orientalis filius, i. e. cor, & veſica hepatis mater, eſt: deinde auſtrum, i. e. cor, evacuare. Hanc ob cauſſam jubent quinque elementa in æquilibritate ſervare: arbores porro ad orientem, metalla ad occidentem, ſpectent. Igitur ſi vis naturalem in metallis plenitudinem ſervare, *fac æqualitatem in igne; ſi vis ignis habere æqualitatem; fac conſervari æqualitatem in terra; ſi vis arbores retinere ſuam plenitudinem connaturalem, fac ſervent metalla ſuam æqualitatem; ſi vis ignem retinere ſuam connaturalem plenitudinem, fac aquam obſervare ſuam æqualitatem.* Vid. part. 11. pag. 28. & ſeq.

fervor, inſtituta quoquo pacto detractione, ſolvat. Niſi aliquis bullienti frigidam affuderit fervorem vix imminutum iri cauſſantur. Argumentantur inſuper, ſanguinis detractione, vim morbi quidem minorem fieri, ſed morbum ideo non tolli, ergo ſupervacuam ejuſmodi. Medici namque eſſe, malum, in corpore obortum, extinguere: id autem fieri ſanguinis purgatione, & ſpirituum congruentium temperatione. In his duabus, purgatione nempe & reſtauratione, quas naturæ maxime conſentaneas, judicant, vertitur potiſſimum eorum curandi ratio. Clyſteres, cucurbitæ, epithemata, unctiones, &c. vix uſu veniunt. Hæc, quia extrinſecus applicantur, ideo minus in morborum internorum curatione efficere. Urinæ inſpectionem vilipendunt, quippe hanc nihil, quod exploratum ſit, prodere, præterquam aliæ res adminiculentur. Has inter in cujuſvis affectus ſignificatione eminere pulſum. Huic, quomodocunque prave conſtituto, medentur tantum, atque ad hujus inſtaurationem, ſeu ad ejus, in naturalem ſtatum reſtitutionem, cogitationes ſuas dirigunt. [126] Hæc habent de generali pulſus curatione præcepta. Septem exteriores pulſus, ubi intra & extra habuerint calidum primigenium, purgandi ſunt per inferiora. Octo interiores pulſus, ubi habuerint intrinſecus & extrinſecus humidum *radicale*, ſudatione ſunt relaxandi. Septem exterioribus pulſibus, ſi calor primigenius extra, & humidum radic. intra, fuerint, cito ſubveniendum eſt ſudatione. Octo interiores pulſus, ſi ſunt infra, ſunt abigendi. Perhibent enim calorem primigenium intra, & humidum radic. extra, celeriter deſcendere. [127]

Hoc

[126] *Ibidem.* pag. 72. & ſeq.

[127] Part. 1. pag. 27.

Hoc loco ego. Tu ſæpenumero, inquam, mentionem feciſti pulſus, quem, ut ex relatione aliorum didicimus, Chinenſes ſingulari modo tractant. Da, amabo, quid de hoc ſentiant?

Siquidem Chinenſium Medicina, inquit, maxima ex parte in cognitione pulſus poſita, facile inter nos liquebit, multa admodum mihi incumbere dicenda, ſi de omnibus, quæ pulſus gratia monumentis prodidere, ſigillatim verba fecerim. Igitur, ut tamen vobis quædam perceptio hujus doctrinæ ſit, dabo quædam paſſim e Cleyero excerpta. Chinenſes tanquam pronunciatum habent, quod cupidus conjiciendi morbos, vitam, & mortem perfecte, debeat in primis habere ſingularem, ac exactam, pulſus notitiam: [128] ſine hujus enim cognitione vix ullum præclarum facinus a medico perpetratum iri. Ut autem aliquis eo uſque pertingere poſſit, neceſſe eſt ſcire, pulſum a Chinenſibus in utraque manu in tribus locis explorari. Primus locus eſt ſub carpo, alter infra eminentiam oſſis cubiti ſeu radii, tertius ſecundo verſus cubitum proximat. [129] Hæc tria pulſuum loca, ſtatuunt, reſpondere tribus paulo ante memoratis corporis regionibus. Supremo utriuſque manus pulſui convenire cum ſuprema corporis regione de cujuſmodicunque corporis ſtatu: imo pulſum, qui iſtic loci obſervatur, indicare morborum ſtatum, qui in hac reſident. Reliquarum & pulſus & corporis regionum, ajunt, eandem eſſe conditionem; hac tantum exceptione, quod pulſus lævæ, ſiniſtram: & dextræ, dextram corporis partem, ſeu bene, ſeu male conſtitutam, prodat. [130] Et hæc non modo generatim, ſed ſpeciatim, credunt, ſe in peculiari manus, obſervationi pulſus

[128] Vide part. 1. pag. 1.
[129] Part. 11. pag. 5. ubi auctor tradit delineationem utriuſque manus, & nomina cujuſque pulſus regionis.
[130] *Ibidem.* pag. 85.

deſtinato, loco, poſſe quoque peculiarium viſcerum conditionem, explorare. Licet aliqua ſit diſſenſio inter veteres & recentiores Chinenſes, de viſceribus, quæ ex unoquoque loco utrique ſciſcitantur: tamen, ut prolixam ſententiarum dictionem effugiam, indicabo modo recentiorum opiniones. Hi enim primo lævæ loco aſſignant pulſum cordis, & lactium: ſecundo, pulſum hepatis & fellis: tertio, renum & ureterum; primo autem dextræ loco, pulſum pulmonis & inteſtinorum craſſorum: ſecundo, ſtomachi & lienis: tertio denique, pulſum portæ vitæ, & infimæ partis corporis. [131] Præter hæc, ſentiunt, in locis manus ſiniſtræ teporem, ventum & frigus reſidere, & morbos ex his oriundos vergere extrorſum: verum in locis dextræ ſiccitatem, humorem & æſtum; & ſi quis morbus a dictis exoriatur, eum tendere introrſus. Statuunt inſuper pulſus, qui extrorſus tendunt, ſeptem eſſe ſpecies, ut pulſum natantem, plenum in extremitate, in medio vacuum, crebro-acutum, plenum chordæ tenſæ ſimilem, intenſum, & exundantem. Hujus generis multos in læva adverti, habereque naturam caloris primigenii. Porro pulſuum, qui introrſum ſpectant, octo dari ſpecies, ut pulſum parvum, profundum, remiſſum, raro obtuſum, tardum, cadentem, molli-ſubtilem, & debilem. Hos plerumque in dextra obſervari, indolemque humidi *radicalis* nactos. Præcipuam rationem, quare pulſus tot modis varient, ſitam eſſe non modo in calore primitivo, & humido radicitus infixo; ſed etiam in quinque elementis. Et, quia utriuſque generis pulſus, in ſummam redacti, quindecim ſunt, inde argumentantur, tres pulſus ſpecies ſub cujuſlibet elementi ditione eſſe. [132] Ex his ſex pulſus, ratum habent,

[131] *Ibidem.* pag. 5. & Part. 1. pag. 1. & ſeq.

[132] Part. 1. pag. 25. 15. & 16. Namque pulſum natantem,

habent, ſubire mutationem, ut profundum, raro-obtuſum, & brevem, quos habere triplex humidum radic., & in humido radic. habere calorem primigenium: pulſum natantem, crebro-acutum, & longum habere triplicem calorem primigenium, & in hujuſmodi calore humidum *radicale*. Etenim, niſi aliquis exteriorum juxta & interiorum pulſuum deſtructionem fuerit ſcrutatus, vix quemquem vacuitatis & plenitudinis cognitionem habiturum. [133 Præter dicta pulſuum genera, opinione non ſolum, ſed & ad veritatem ſibi perſuadent, ſingulorum corporis membrorum principum, quorum quinque enumerant, ſingulos eſſe, aut naturales, aut eorundem naturæ contrarios, pulſus. Sic renum pulſum naturalem, dicunt, profundum in loco, paulo ante memorato, inveniri: remiſſum & languidum, ſi vitioſus fuerit. Hepatis pulſum naturaliter chordæ extenſæ eſſe ſimilem: huic autem adverſarium, natantem, raro-obtuſum. Cordis pulſum naturalem eſſe exundantem: contrarium, profundum. Stomachi pulſum eſſe remiſſum & languidum: contrarium, ſi quando chordæ extenſæ ſimilis fuerit. Pulmonis tandem pulſum naturalem eſſe natantem, ligni fluctuantis inſtar: contrarium, exundantem, magnum. Et hos non ſemper ita ſe habere, ſed ratione quatuor anni tempeſtatum alio atque alio modo variari. Sic renum pulſum, præter eum, qui ſibi familiariſſimus eſt, tempore verno ſimilem eſſe chordæ tenſæ: æſtivo, eſſe exundantem: autumnali, parvum ac natantem: brumali,

tem, raro obtuſum & debilem, elemento metallorum: tenſæ chordæ ſimilem, intenſum, cadentem, elemento arborum: crebro-acutum, profundum, molli-ſubtilem, elemento aquæ: in extremis plenum, in medio vacuum plenum exundantem, elemento ignis: parvum, remiſſum, tardum, elemento terræ, ſubjectum.

[133] Ibidem. pag. 19.

† Vide

mali, profundum & crebro-acutum. Eandem, ajunt, reliquorum viſcerum rationem. † Dictos naturales cujuſvis viſceris pulſus, ſentiunt, poſſe ob quinque vitioſos pulſus decem mutationes ſubire. Scilicet, pulſus vacuus, plenus, exiguus, latro, vel rectus (hæc nomina quinque vitioſorum ſunt) poteſt bifariam affici, aut ratione duritiei, a calore primigenio, aut ratione mollitudinis, ab humido *radicali*, proveni-entis. v. g. Pulſum vacuum poſſe inſimul aut durum, aut mollem, eſſe. Eadem cæterorum eſt conditio. ‡ Non modo generaliter, verum etiam ſingillatim, de antedictorum pulſuum ſignificationibus diſſerunt. Sed ecquis adeo extemporalis orator, ut omnes enarrare poſſit: [134] Præter dictos quindecim ordinarios.

† Vide. Part. II. pag. 13. 18. & Part. I. pag. 7.

‡ Part. II. pag. 26.

[134] Verum, ut aliquis Chinenſium pulſus doctrinam mente capere poſſit, breviabo quadantenus, quæ Cleyerus memoriæ mandavit. Part. II. pag. 103. & ſeq. Ex ſeptem pulſuum externorum in tribus utriuſque manus locis natans eſt primus. (α) Hunc percipere digitum deorſum deflectere, & ad ſuperficiem abundare in modum folii cepæ: eum generaliter indicare morbum ex pulmonum vento ortum: ſingulariter autem in loco primo manus ſiniſtræ, ventum, calorem, capitis dolorem: in dextræ guttur aduſtum, nares oppletas; in ſecundo loco ſiniſtræ, oculorum rubedinem, perturbationem, & dolorem: in dextræ, ventris vacuitatem, ſiccitatem, ſitim; in tertio lævæ, aurium ſurditatem, obſtructionem: in dextræ, meatum urinæ obſtructum. (β) In medio ruptus & in extremis plenus. Hunc generatim ſignificare ſanguinis fluxum & vacuitatem: ſingulatim vero in loco primo ſiniſtræ, ſanguinis intra pectus congregationem: in dextræ cruciatus pectoris internos; in ſecundo ſiniſtræ flatuum confuſionem vomitionemque ſanguinis: in dextræ, inteſtinorum tumorem; In tertio ſiniſtræ & dextræ, puris & ſanguinis loco urinæ mictionem. (γ) Acuto-creber, tactui videtur proinde ac uniones rotando decurrerent. Hunc generaliter indicare vomitum, cui ventus dominans adverſari: ſingulatim vero in loco primo ſiniſtræ, cordis calorem, linguæquæ violentiam; in dextræ, pellis & pilorum arefactionem; in ſecundo ſiniſtræ, capitis dolorem, oculorumque tumorem: in dextræ, nariumæ calorem, oriſque

rios, Chinenſes commenti ſunt, novem extraordinarios pulſus, quos, credunt, ſtatis anni temporibus ſubinde procedere, quos plerumque nomine viarum pulſus

que fœtorem; in tertio ſiniſtræ, ſtomachi debilitatem atque renum dolorem: in dextræ, aquam intercutem infimæ partis corporis. (δ) Plenus & ſolidus, cum elevetur, habet exceſſum. Hunc generatim cordis ſuffocati calorem indicare: ſpeciatim vero in loco primo ſiniſtræ, faciei ruborem ac venti generationem: in dextræ pellis aduſtionem, mejendi difficultatem; in ſecundo lævæ, morbum congregationis ſpirituum, in dextræ, cordis dolorem; in tertio ſiniſtro meatum urinæ oppilatum: in dextræ, difficultatem mingendi. (ε) Chordæ extenſæ inſtar. Hunc generaliter ophtalmiam, & nervorum, propter celerem motionem, ſignificare defatigationem: ſingulariter autem in loco primo ſiniſtræ, capitis dolorem, cordiſque ſuſpenſionem: in dextræ, calorem primigenium condenſatum, & alligatum; in ſecundo ſiniſtræ morbum congregationis ſpirituum ex cibi indigeſti: in dextræ, ſtomachi deſtructionem, & faſtidium ingens; In tertio ſiniſtræ ventriculi dolorem, gravitatemque renum: in dextræ, flatum veſicæ. (ζ) Intenſus excedit, & cum elevatur, oppido eſt celer. Hunc generatim indicare, flatus in corpore primatum tenere: ſigillatim autem in loco primo ſiniſtræ, cordis dolorem, cui frigus adverſatur: in dextræ, tuſſim; in ſecundo ſiniſtræ, ſtomachi deſtructionem, & faſtidium ingens: in dextræ, motus nervorum celerrimos; in tertio ſiniſtræ, ſurditatem: & in dextræ, umbilici contractionem. (η) Exundans, cum elevatur, infra admodum magnus eſt. Hunc indicare generaliter dominium caloris, & ex eo ortum dolorem: ſingulariter vero in loco primo utriuſque manus, pectoris ac cordis calorem & triſtitiam: in ſecundo ventris perturbationem, ciborumque vomitum: & in tertio loco dolorem pedum, meatumque urinæ conſtipatum. Sic cæteras octo pulſuum ſpecies, qui alias intrinſeci dicuntur, hoc pacto enumerant. (α) Pulſus parvus, quem ſe ita habere, perinde ac ſiquis filum ſericum palpet. Hunc generaliter indicare affectus ex ſanguinis corrupti defluvio ortos, item triſtiam: peculiariter tamen in loco primo ſiniſtræ, frigus cordis vacuum, debilitatemque: in dextræ aſcenſum ſpirituum vacui frigoris; in ſecundo ſiniſtræ, oculos videri quaſi flores gignant: in dextræ, cor & ventriculum dolore oppleri; in tertio ſiniſtræ, ſudoris inhibitionem, in dextræ vero, alvi fluxum. (ε) profundus, quem prope os inſtar mollis Goſſypii deprehendi. Hunc quidem generatim morbum, ex frigidorum ſpirituum copia natum, indicare: ſpeciatim autem in loco primo

ſiniſtræ

pulſus nuncupant. Cleyerus putat hos non conſtituere novum quoddam pulſus genus, ſed potius novas qualitates, quas ante nominatis eſſe ſuperaddendas.

[135]

ſiniſtræ cordis dolorem, ſpirituumque anguſtiam: in dextræ, tuſſim; in ſecundo ſiniſtræ morbum congregationis ſpirituum & cibi nondum digeſti; in dextræ, ſpirituum anguſtiam, cordiſque dolorem; in tertio utriuſque manus, urinæ ſubtilitatem, ac renum gravitatem. (γ) Remiſſus, e magno & tardo compoſitus. Hunc generaliter calorem, & putridum ſtomachi teporem: ſingulariter autem indicare in primo loco utriuſvis manus humerorum concuſſionem & dolorem; in ſecundo, ſpirituum congeriem, alligationem lumborum, & ventriculi dolorem; in tertio, vacuitatem veſicæ, tinnitumque aurium. (δ) Obtuſo rarus, ab initio is vacuo, in fine pleno, eſt ſimilis. Indagaturo talem videri, perinde ac aliquis cultro ſuperficiem arundinis ſæpius rodat. Hunc generaliter ſignificare morbum ex defectu, & corruptione ſanguinis: ſingulatim vero in loco primo utriuslibet manus, cordis atque pulmonis vacuitatem, & debilitatem; In ſecundo ſiniſtræ lateris ac viſcerum obſtructionem: in dextræ, aquam in ventre, a cibis non mitigatis, exortam; in tertio ſiniſtræ, ventris fluxum ex frigore; in dextræ, murmur inteſtinorum itidem ex frigore. (ε) Tardus, quem generatim indicare ſpiritus aëreos ex frigore natos: ſigillatim loco primo utriuſque manus, ſupremarum partium frigus & vacuitatem; ſecundo, dolorem in media corporis parte e frigore; tertio, magnum imæ corporis partis frigus. (ζ) Cadens, talem prope os validum reperiri, ictumque eſſe inſtar demerſæ rei. & mox iterum emergentis. Hunc generaliter ſpirituum veneniferorum aggregationem prodere: ſingulariter autem in Primo utriuſlibet manus, ſpirituum in pectore congregationem; in ſecundo, ſpirituum in inteſtinis congeriem oculorumque obſcuritatem; in tertio ſiniſtræ, cibos non concoctos; in dextræ, profluvium alvi. (η) Molli-ſubtilis, quem ſimiliter eſſe, ac ſi quis tangeret goſſypium intra aquam. Hunc univerſe indicare intenſum, infimarum corporis partium, frigus: ſigillatim vero in loco primo alterutrius manus, vacuitatem debilatemque ſudorem tollentes; in ſecundo ſpirituum imbecillitatem, & triſtis iræ diſperſum; in tertio, oſſium, ob malignitatem frigoris, tarditatem ſeu ſtuporem. (θ) Debilis. Ab hoc digitum, ſicut a lana, leviſſimo tactu affici. Generatim hunc ſignificare morbum, e vento cum ſpiritibus colligato, ortum: ſpeciatim vero in loco primo utriuſcunque manus, ſpirituum caloris primitivi vacuitatem, & inopiam; in ſecundo loco, nervos ſpiritibus tranſitum impedientes,

[135] Commemorant insuper sedecim pulsus monstrosos. Appellantur ita, quia plerumque mortem antecedunt, & hujus sunt prænuncii. [136] Ex omnibus autem pulsibus eum, qui radice caret, i. e. qui in infima pulsus regione adverti nequit, maxime lethalem judicant. Eadem ratio est pulsuum duorum in pedibus observandorum. Horum alterum pertinere ad stomachum, & ad pedis superficiem intra pedis pollicem, explorarique altius prope ipsum os fore: alterum pertinere ad renes, invenirique circa os exstans ad latus, ferrique interius supra calcaneum.

tes, in tertio, dolorem cutis & spiritus defectionem. Vide etiam *ibidem.* pag. 42. & seq.

[135] Nomina eorum, qui proprio loco egrediuntur, hæc sunt. (1) Pulsus longus, similem hunc esse hastæ vibratæ. (2) Celer: utrosque dictos esse a calore primigenio. (3) Brevis: similem hunc inveniri grano oryzæ. (4) Vacuus, quem non dissimilem, globo fili serici. (5) Alligatus: hunc crebro & cumulatim venire, redireque. (6) Vicarius: hunc quamquam se elevare annitatur, tamen id interdum violenter peragere. (7) Trahens: hunc non inveniri, præterquam quispiam valde premat locum. (8) Motus: hunc cum elevetur, evanescere. (9) Subtilis: hunc ire redireque valde debiliter, similiter se habere, ac si quis gossypium tangat. Hos septem esse ab humido *radicali.* Quid rei significent, ibidem pag. 105. indicatur.

[136] Primum (α) vocant ranæ saltantis pulsum. Hunc spatio unius respirationis nunquam apparere integrum, semel tantum pulsare. (β) Piscis caudæ immotæ pulsum, quia proinde movet digitum, ac piscis natans movet caput immota cauda. (γ) Pulsum absconditi gladii, quia apparet & disparet celeriter, uti gladius derepente vibratus subito evanescit. In una respiratione fieri duas tantum pulsationes (δ) Pulsum versi floris, Lusitanice *Golfaon* dicti. Illum ab initio parvum, postea oblique descendere, atque in una respiratione semel modo pulsare. (ε) Pulsum, jusculi pinguis instar sursum ebullientem. Hunc ab initio parvum, dein magnum, semper tamen debilem. In una respiratione accidere XII. ictus. (ζ) Calicis orificium. Hunc duo extrema tantum attingere, in medio vacuum: in una respiratione fieri. IIX. vel IX. ictus. (η) Pulsum, gallinæ rostri, grana carpentis, instar. Hunc advenientem esse celerem, & digitum pungere. Intercapedine unius respirationis interdum. III. subinde. VIII. vel IX. pulsationes

neum. [137] De cætero, tanquam enuntiatum habent, pulſum tardum, frigus; & celerem, calorem, indicare. In numero autem tardorum habent, quod ſi ſpatio unius reſpirationis tres vel pauciores: in celerem vero, quod ſi ſex vel plures, contingant ictus. Namque naturæ convenientem eſſe, ſi dicta temporis intercapedine arteriæ quater, ſi quinquies, pulſarint; ſi aut plus aut minus fuerit, extemplo morbidum corporis ſtatum, pronunciant. [138].

Tum *Solinus*. Sæpenumero ſum admiratus, inquit, de ſubtilitate deque vaſtitate ſcientiæ pulſus, quam ſeu Herophilus, ſeu Galenus, ſeu alii tradiderunt: [139] Verum nunc demum intelligo, Chinenſes in tradenda pulſuum doctrina omnium, qui unquam aliquid hujus gratia literis prodiderunt, fuiſſe

nes contingere. (θ) Pulſum domus ſtillicidii. Advenientem eſſe plenum, abeuntem debiliſſimum: intervallo unius reſpirationis fieri tres ictus. (ι) Projecti lapidis pulſum. In hoc, tempore unius aut duarum reſpirationum, unicum duntaxat ictum obſervari. (κ) Pulſum ſolutæ chordæ. In hoc contingere, ut tempore complurium reſpirationum ſemel appareat. (λ) Pulſum herbarum. In una reſpiratione obſervari IX. vel X. ictus: hunc deficere, & cum elevetur, impleri. (μ) Pulſum terræ globulis ſimilem. Hunc plenum & magnum animadverti, carere autem & principio & fine; in una reſpiratione IX. vel X. pulſationes contingere. (ν) Pulſum deſtruentem, ſimilem eſſe duabus fabis aquæ innantibus. Advenientem plenum, abeuntem tardum eſſe: tempore unius ſpirationis fieri VII. vel IIX. ictus. (ξ) Pulſum poli. Advenientem magnum, abeuntem vero eſſe plenum: ſpatio unius reſpirationis fieri duas pulſationes. (ο) Pulſum motui complicationis ſimilem. Una reſpiratione contingere X. ictus, dein ſiſtere ad tempus, parvum hunc ſine capite, nec redire poſſe, (π) Pulſum chordæ diſtentæ ac perſonanti ſimilem. Spatio unius reſpirationis exhibere. I. III. vel IIX. ictus, antequam ſubſiſtant: venientes creberrimos, abeuntes minus celeres, eſſe.

[137] Part. II. pag. 4. 91. & 92.

[138] Part. I. pag. 7. & Part. II. pag. 25. & 70.

[139] Hujus gratia vide ſupra Dialogum. X. pag. 219.

ſe longe ſubtiliſſimos. Sed ſit hæc talis, qualem eſſe volunt; ego inter ea ſum ſciendi cupidus, ecquas habeant præceptiones venam tangendi?

Complures admodum habent, inquit *Hotton*; maxime autem illæ nituntur hypotheſibus, paulo ante a me allatis, e quibus illas deduxerunt. Dictis addatis, Medicum ſanum, a curis liberum, jejunumque matutino tempore ægrum viſitare, oportere: adhæc anquirere de ſexu, æger an mas an fœmina? Nam hanc in primo & tertio loco alium, quam illum, pulſum habere. Præterea an brevis an proceræ ſaturæ? an obeſus, an gracilis æger: item an puer? hunc enim intercapedine reſpirationis naturaliter habere octo arteriarum pulſationes. His & aliis probe prius conſideratis Medicus Chinenſis, poſt aliquantum apud ægrum moram, jubet, ut manum in pulvinari deponat, deinde tribus dextræ digitis, tria læ-væ ægri loca primo attingit: diſponit autem ſuo quemque digitum ordine. Primum digito medio tangit locum medium, qui eſt infra os cubiti, ubi id nonnihil eminet; deinde primum locum, qui ſub carpo eſt, indice: & poſtea tertium, qui infra dictum os ſecundo loco proximus, annulari digito. Pari ratione procedit digitis ſiniſtræ, loca ægrotantis dextræ ſciſcitaturus. In primis vero explorat, an pulſus e tertio loco, ubi humidum radic. rerum potitur, aſcendat ad primum, ubi calor primigenius primatum tenet: vel an contra, ac dixi, e primo ad ſecundum locum deſcendat? vel an aliquis pulſus in alterius locum irrepat? vel an propius extra ſuum locum evagetur? Præter hæc, quomodo pulſus ab oſſibus & carne veniat pellis ad ſuperficiem? ſpiritus enim auctores, ut pulſus ſubeant ejuſmodi mutationem: deinde, qui abeat aut recedat a pelle ad carnem, oſſa & ſanguinem. Porro, quo pacto pulſus adveniens

niens contingat manum, & recedens quo modo quieſcat. [140] Quandoquidem vero infantium morbi, ut tradunt, pulſu dignoſci nequeant: proinde medici in primis vultus colorem obſervant. Rubrum cordis, flavum ſtomachi, cœruleum hepatis, album pulmonis, nigricantem renum ſeu veſicæ, ægritudinem prodere. Deinde tribus dextræ digitis, ſiniſtræ infantuli capitis parti: vel e diverſo dextræ parti, tribus lævæ, admotis, indagant, an calorem ſentiant: ſi ita fuerit, ſignum hoc eſſe, aſſerunt, a maligno vento infantulum lædi, ideoque nares obthuratas, vel tuſſim, vel calorem, adeſſe. E diverſo, ſi frigus ſentiant, indicium hoc eſſe, infantem extra a frigore, & intra ab alimento, lædi: hinc vomitum, ventriſque profluvium, ut & calorem externum. Si duo priores digiti tantummodo incaluerint, ſignum eſſe, ſupra calorem, & infra frigus, dominari. Cæteris, brevitatis cauſſa, ſuperſedeo. [141] Habent quidem Chinenſes ſigna, quæ ex omnis generis linguæ colore, & ſitu macularum diverſo, hauſerunt, [142] ut & habent ſigna ex obſervatione colo-

[140] Vide Part. II. pag. 16. & 71. & 80.

[141] *Ibidem* pag. 82. Hæc infantium ſemeſtris & junioris ætatulæ morbos explorandi ratio. Paulo aliter, atque memoratum eſt, procedunt in natu majorum infantium morbis inquirendis. Scilicet conſpiciunt ægri infantis tres indicis articulos: ſi maſculus eſt capiunt lævæ, ſi fœmella, dextræ manus indicem; fricant hunc quodammodo, ut clarius & venulæ, & lineamenta, & color, appareant. Colorem violaceum, calorem: rubrum, frigus: Cœruleum, timorem panicum & ventum: album, ſanguinis defectum: nigrum, maliguitatis aliquid in medio eſſe: flavum, affectum ſtomachi, ſignificare. Color qualiſcunque in infimo articulo conſpectus, ſecundum Chinenſium opinionem, manifeſtat morbum curatu facilem: in medio, graviorem: in ſupremo, ſin mortem, affectum ſaltem curatu difficilem.

[142] De quibus peculiarem libellum, prioribus in calce annexum, *Cleyerus* in lucem edidit.

coloris, ſoni: appetitus, ſomnii, & ex aliis corporis qualitatibus, deſumpta, quæ forſitan noſtratibus clinicis ſubinde uſui futura. [143] Sed quis omnia narrabit? Quod ſupereſt ſatis temporis vobiſcum verſatus: multam quippe in diem vobis cum ſum hodie ſermocinatus. Et quia inſtanter rogaſtis, ſerius, quam cogitavi, de conſortio, ubi me etiam hac veſpera affore, promiſi, detentus ſum. Idcirco brevibus dicam, jubeo vos valere.

[142] Hæc ſiquis ſcire aveat, is pervolvat Cap. xx. vel Part. II. pag. 47. & ſeq. ubi ſatietatem hujus doctrinæ inveniet.

DIALOGUS. XV.

De Doctrina Paracelſi.

EGo, Hagam comitis cum negotiorum cauſſa profectus eſſem, adibam ad Helvetium. Forte evenit, ut ibi præſto eſſet le Mortius, in inclyta Academia, quæ Lugduni Batavorum eſt, in Chymia Profeſſor longe celeberrimus. Aderat & Anonymus quidam, Medicinæ haudquaquam imperitus, Galenicæ tamen addictiſſimus. Multum una eramus, maxime nos quidem exquirentes varia, quæ ad Theoriam atque ad praxin Medicinæ pertinerent. Tandem in quæſtione erat, quod Chemia, ars antiquiſſima, non ſtatim, ſed abhinc ſeſqui ſeculo fere, in Medicinam modo ſuſcepta.

Ad quod Le MORTIUS. Veſtrum neminem, arbitror, ignorare, hiſtoriam fabularem tum Perſarum tum Ægyptiorum, artem Chemicam, late ſumptam, Diabolorum inſtitutioni, mulieribus primum traditæ, acceptam referre. [1] Licet ego nunc neuti-

[1] En quæ *Syncellus* in Geograph. hujus gratia monumentis prodidit. „ Cæterum operæ quo„ que pretium eſt Zoſimi Pana„ politæ

quam inficier, id figmentum a Magis, a ſacerdotibus, aliiſque ſapientiæ Profeſſoribus; hi enim potiſſimum Chemiæ olim operam navabant, excogitatum, vulgum ab hac arte arcendi cauſſa: nec non ut ea, juxta ac cæteræ Mathematicæ artes, in majorem hominum, & admirationem, & venerationem veniret: invaleſcente tamen credulitate, ſuperſtitionis matre, Magia, cujus pars Chemia habebatur, exoſa hominibus, contemtuque laborabat, quaſi vero cunctarum effectionum, quæ captum vulgi ſuperant, machinator eſſet Diabolus duntaxat. Hujuſmodi præjudicata vulgi opinio tantum valuit, ut multum ac diu Chemia ſub paucorum eruditorum umbra delituerit. Namque honos, teſte Tullio, [2] alit artes:

„politæ Philoſophi, divino cultui magis ac magis augendo, „ex ejuſdem ſcriptis Libro Imuthi nono teſtimonium his verbis conceptis adjungere. Referunt ſacræ ſcripturæ, hoc eſt „libri, o mulier, Dæmonum „genus quoddam eſſe in mulierum conſuetudinem venire ſolitum: horum mentionem agit „Mercurius in Phyſicis, ac omne „ferme tam certæ, quam obſcuræ auctoritatis volumen, de „illis nonnihil ediſſerit. Hoc itaque veteres, & ſacræ ſcripturæ, affirmant, Angelos quoſdam mulierum cupidine tactos, „in Terra delapſos Naturæ operа eas edocuiſſe, eapropter, „quod prava quæque, & inutilia eis revelaſſent, cœlo extorres perpetuo exilio damnatos „ferunt. Ex his gigantes ortos eædem ſcripturæ teſtantur: „primumque artium hujuſmodi „documentum eſt Chemia: libi „brumque hunc vocat Chema, „unde & Chymiæ nomen factum. Etiam Perſæ, teſte *Thoma Hyde* de relig. vet. Perſar. crediderunt Diabolos metallorum mineraliumque omnifariam peractarum operationum auctores eſſe. Ita Cap. XIII. quatuor Diabolos memorat, ut Saſta, Bushi aſpſerésh, Ukiderugi, & Askânesh-derugi, quibus, ait, commiſſum eſſe negotium corrumpendi metalla, eaque rubigine afficiendi corrodendique, ac exedendo vitiandi. Et Cap. XIX. ſcribit. „Eſt autem Shahrîvar „nomen angeli, qui præeſt igni, „& omnibus metallis ac mineralibus, eiſque bene mundandis, „& omnibus rebus ac negotiis, „tam hoc menſe, *Auguſto ſc.* „quam quarto ejuſdem die factis „ac faciundis.

[2] Tuſculanar. Quæſt. libr. 1.

tes: omneſque incenduntur ad ſtudia gloria: jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur.

ANONYMUS. Bone Deus, quam tu longe Chimiæ principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quæ exſpectabam a te, de ſeriſſimæ Chimiæ in Medicinam receptione: ſed facile patiar te hunc diem vel totum in iſto ſermone conſumere: ſunt enim hæc, ut mihi videntur majora, quæ aliorum cauſſa complecteris, quam ipſa illa, quorum hæc cauſſa præparantur.

Le MORT. Erras ſane, ſi id credis. Indicare enim volui ſeculo ſeptimo, & ſequentibus Arabes inprimis auxiliante Chimia complura excogitaſſe remedia ægritudinum: atque illorum in veſtigiis multos Europæos magis ac magis inſtitiſſe, donec Theophraſtus, cognomine Paracelſus, miſſo ſectatorum Galeni, cujus placita potiſſimum apud medicos, ubique terrarum tantum non vigebant, ratiocinio, novam, inauditamque hactenus, in Medicinam introduceret ratiocinationem, experimentis Chemicis maxima ex parte nitentem.

BARCH. Quandoquidem in præſentia facitis Paracelſi mentionem, pervelim, ut aliquis veſtrorum exhibeat epitomen Doctrinæ ejus. Fieri id poſſe non dubito, niſi onerum mole diſtractiſſimus excuſarit iſtiuſmodi laborem.

HELVET. Ego impræſentiarum vaco negotio. Profer itaque aliquid in medium de eruditionis tuæ fonte. Nos te diſſerentem lubentes auſcultabimus.

BARC. Deprecor hanc veniam: cauſſor etenim memoriolam: hinc inhabilis ſum ad memorandum Paracelſi dogmata. Tu vero, Mi Helveti, hoc negotium in te ſuſcipias, velim & quis te melius id poteſt. Enimvero tu a teneris unguiculis es primorum Chemicorum diſciplinæ innutritus.

HELV. Fatear equidem me, poſtquam ex ephebis

exceſſerim, utcunque operam Chemiæ dediſſe: verum id, quod vis conſequens, certe non dat, ut poſſem extemporalem de placitis Paracelſi diſſertationem facere: Tamen, quia impenſe flagitas, periclitabor ingenii quantulicunque vires. Sed ad rem. Paracelſus, quamvis apud adverſarios male audiat, eundem utpote omnium bonarum artium rudem, impium, gloriabundum, qui omnes omnium ſcientiarum doctores fere præ ſe contempſit, bibacem, & neſcio quid amplius eidem a moleſtiſſimis doctrinæ ſuæ exactoribus crimini datum; [3] tamen non fuit adeo ſtolidus, nec irreligioſus, &c. ut inimici ejus monumentis prodidere. Sed, quid vobis purgem Paracelſum de inſimulatis facinoribus malis? ſupervacuum hoc eſt: ſiquidem Bitiſcus in præfatione operum Paracelſi, latine in lucem editorum, id negotium pererudite tractavit, abſolvitque. Verum ut vobis exhibeam exemplum pietatis, quæ omnium virtutum eſt fundamentum, judicate ſodes, quid magis pium dici poteſt, quam, cum Paracelſus Diaboli fraudes, peſſimorum quorumque hominum conamina prava, ſpernens, ſtatuerit, non hominibus, divorum in numero poſitis, non bonis angelis, multo minus ipſi Diabolo ejuſdemque aſſeclis; ſed ſoli Deo, cujus providentia adminiſtretur mundus, oportere unumquemque ſe in clientelam commendare. [4]

ANON. Tu tamen haud diffitebere ſermonem ejus

[3] Inprimis vero *Thomas Eraſtus* in diſputationibus & libro de Auro poculento, & *Oporinus*, Paracelſi amanuenſis, ejus facta carpſerunt. Si plura cupis, adeas, velim, *Sennerti* librum de Chymicor. cum Ariſtotelic. & Galenic. conſenſ. & diſſenſ. De his, cujuſcunque modi fuerint, *Bitiſcus*, qui opera Paracelſi Latine in lucem edidit, Paracelſum excuſavit in præfatione, operibus hujus præfixa, quæ tanquam apologia pro Theophraſto habenda.

[4] Vide ejus fragment. de morb. inviſib.

(5)

ejus, & arrogantiæ plenum, & jactantiæ, atque insuper ei plurimum insulsitatis ac rusticitatis esse admixtum. Præter hæc eundem semel atque iterum ac sæpe non modo Galenum. Avicennam, &c. sed plerosque dictorum sectatores maledico dente carpsisse. Ecquis vestrum legit unquam, quas Paracelsus in præfatione in librum *Paragranum* habet basilicas atque imperiosas edictiones, quin insimul hominis stoliditatem superbiamque derideat. Quid jactantius, quid insolentius, quid insulsius excogitari potest, quam cum Paracelsus præ se ferret, glorioſiusque de se ipso prædicaret, tantum utpote se esse, ut cæteri medici, qui veterum Medicinam profiterentur, non digni, qui corrigiam calceamenti sui solverent. [5].

Le Mort. Haud benigne cum Paracelso agis, sed tuo sermone ejus dicta mire exagitas. Quod tu Paracelso das crimini, hoc alius dat laudi: quod tu superbiam, hoc alius magnanimitatem vocat; ita suos quisque habet, vel vituperatores, vel laudatores. [6]

Barch. Mittamus viri mores, & alia, ad vitam quoquo modo transactam: Verum velim potius, ut Helvetius narratione Doctrinam Paracelsi delibet.

Helv. Quandoquidem enixe postulas, pingui itaque, ut ajunt, Minerva pertexam, quod exorsus sum. Communem rerum omnium materiam, informem, omnium proprietatum expertem, quam veteres Chaos, Paracelsus appellat Mysterium magnum. Id, ait, unicam esse rerum omnium caducarum matrem. Etenim peracta ejus prima sejunctione in conspectum prodivisse quaterna elementa, ignem scilicet, aërem, aquam, atque terram. [7] Verum

[5] Ita in paragrano 11. Tractat. 1. de Philosoph.

[6] Tali Paracelsi excusatione adversus ejus reprehensores utitur *Bitiscus* in memorat. Præfat.

[7] Libr. 1. text. 111. 1v. & x1. Philosoph. ad Athenienſ.

(8) Phi-

tamen, utut hæc ſint, non vult aquam, quatenus humida, ſeu ignem, quatenus urens, &c pro elemento habendum. Id enim, quod in conſpectum, ſeu in ſenſus externos, venit, eſſe modo elementi cujuſvis receptaculum. Id ipſum etenim, quod elementum conſtituit, eſſe merum ſpiritum, & vigere vivereque in rebus, pariter ac animam in corpore. Primam quippe elementorum materiam nihil aliud, quam vitam eſſe, ac matricem ſui fructus. Hæc quatuor elementa, ſtatuit, omnium creaturarum matrices. [8] Quomodocunque dicta nunc fuerint, alibi tamen poſuit, unicum tantum modo eſſe elementum, atque hoc in quatuor diverſa corpora diviſum, [9] pari modo, ut jamjam de myſterio magno diſſerui. Non contradictio hæc doctrinæ, ſed vocabuli eſt tantum. Quemadmodum Myſterium magnum in quatuor elementa, ita rurſus, ſtatuit, quodlibet elementum in tres partes diviſum, in ſalem puta, quem Balſamum: in Reſinam, quam ſulphur; & in liquorem, quem *Gatoronium* vel Mercurium, nominat. Hæc tria unumquodque corpus conſtituere. Præter hæc tria nec plura, nec pauciora in corporibus inveniri. Ex his tribus cuncta corpora originem ducere. [10] Peracta Myſterii magni primo in quatuor elementa ſejunctione, ſtatuit, hanc inſequi ſecundam, ex ipſis elementis procedentem, disjunctionem. Etenim univerſum, quod in igne latuit, in cœlos transformatum, ſingula aſtra conſtituiſſe. Aërem, quo nihil ſubtilius creatum, eſſe fata-

[8] Philoſoph. ad Athen. libr. II. text. II. & III. Hoc autem, in Philoſ. de elem. aër. Cap. I. nominat elementum, quod vim habet refrigerandi & calefaciendi. Et Paramir. libr. I. Cap. IV. ſcribit. *Elementum eſt matrix ſui fructus.*

[9] Id eſt ejus partem aliam in terra, aliam in aëre, aliam in igne, aliam denique in aqua habitare. ita libr. Azoth. Cap. II.

[10] Ita in Labyrinth. medicor. Cap. III.

fatalium inviſibilium ciſtam, atque inde proveniſſe *Dimeas* ſaxa, *Durdales* arbores, *Neafarenos* terræ poros, & *Meloſinias* ſanguinem humanum, incolentes. Ex aqua, cujus ſecretionem totam nondum factam, originem duxiſſe piſces, animaliumque quorumlibet carnem: item ſal, corallium, &, cæteras æquoris plantas: quin & Nymphas, Sirenes, *Dramas*, *Lorind*, &c. E terra omnis generis plantas, metalla mineraliaque: nec non *Gnomos*, ſylveſtres, & lemures. Ex *Sylphis* gigantes, ex pygmæis nanos, ex nymphis *Sirenes*, progenitas, atque horum quemque velut illorum monſtra conſiderandum. [11] De cætero Paracelſus quadruplicavit ſingula elementa, ratus quatuor ignis, totidem aquæ, &c. genera, exiſtere. Quod paradoxum vult ita intelligendum. Nempe, ignem quidem unum eſſe, verum ejus aliquantam reperiri portionem in aëre, in aqua inque terra. Ita etiam aërem in igne in aqua atque terra. Reliquorum eandem eſſe conditionem. [12] Ut elementorum, ita comparatam pariter primarum qualitatum naturam. Namque ignem, & aërem, & terram, & aquam habere ſuum humidum. Sicci & calidi frigidique in cæteris elementis parilem rationem eſſe. [13] Haud diſpari ratione diſſerit de quadruplici firmamento ſecundum quaternos mundos, in quatuor perfectas eſſentias diviſo. Animadvertendum hic eſt, vocabulo firmamenti Paracelſum aſtra, vel univerſum cœlum ſtelliferum; voce mundi quadruplicis, cœlum, terram aquam atque aërem, indicare. [14] Licet Paracelſus paſſim poſuerit cœlum, ut & ſingula aſtra ex elemento ignis

[11] Hæc in Philoſoph. ad Athen. libr. 1. text. XII. XIII. XIV. & XV.

[12] de Peſtilitat. tractat. II. Cap. III.

[13] Paramir. libr. II. Cap. VI.

[14] Philoſoph. ad Athen. libr. II. text. XIX.

(15)

orta: attamen alibi ſtatuit, coruſcum Solem nihil aliud, quam ſal perſpicuum & tranſparens, ex tribus primis extractum & clarificatum: Lunam eſſe Sulphur: & corpus tenebrarum, liquorem. [15] Spirituum, quorum quemlibet peculiarem habere facultatem imaginandi, & quos generatim *Scayolas*, vel non Adamicos, nominat, credit quinque genera exiſtere. In aqua Nymphas, &c. in igne *pennates*, Salamandras: in aëre, Sylveſtres: in terra *gnomos*, lemures pygmæos incubos, &c. inhabitare; quinti autem generis multa millia exiſtere. [16] Hos non Adamicos, putat, ſanguinem quidem & carnem & oſſa habere: verum tamen hæc longe alterius indolis, ac noſtra, eſſe. Eorum enim corpora adeo ſubtilia eſſe, ut & murum ſeu portam clauſam penetrare poſſint. Et tamen non eſſe ſpiritus, quia loquuntur, edunt, bibunt, ambulant, & gignunt liberos. [17]

ANON. Vah! quantum eſt ſapere. Eugepæ! Thalem talento non emam Mileſium. Nam ad ſapientiam hujus nimis nugator fuit. [18]

BARCH. Noli interfari, quæſo. Latet tibi, quod omnis opiniones, quantumvis abſurdæ ac ſtolidæ pleriſque habeantur, a quibuſdam tamen, qui iſtiuſmodi admirantur, iiſdemque favent, ſuſceptæ propaga-

[15] Libr. Meteoror. Cap. III.

[16] De Peſtilitate tractat. II. Cap. I.

[17] Libr. de Nymph. Sylphis, &c. tractat. I. Cap. II. *Etſi vero utrumque ſint*, philoſophando pergit, *ſpiritus ſcilicet, & homo; illorum tamen nullum ſunt. Homines enim eſſe nequeunt, quia ſpiritualiter ambulant. Spiritus eſſe non poſſunt, quia edunt, bibunt, carnem & ſanguinem habent. Sunt ergo creatura peculiaris, ab utraque priore diverſa, & ex gemina illorum natura mixtio una facti ſunt, ſicuti compoſitum quoddam ex dulci & acetoſo, quorum tamen nullum eſt: aut veluti duo colores, ſub ſpecie una.*

[18] *Plautus* in captiv. act. II. Scen. II.

pagatæque fuerint. Pergas itaque mi Helvetii cætera tradere.

HELV. De principiis rerum Paracelſus alibi aliter, ac dixi, philoſophatur. Tradit enim Deum, per verbum FIAT, primo aquam creaſſe: ex hac autem prodiiſſe Sulphur, Mercurium & Salem: Et ex his tribus denique omnis generis corpora originem duxiſſe, ipſo quaternario elementorum numero non excepto. [19] Sulphuris præterea in homine quaternas ſpecies eſſe. Rubrum, album, flavum & viride. Rubrum in carne in ſanguine inque viſceribus principalibus: flavum in adipe, in medulla inque omento: album in cerebro, in oſſibus inque venis: & viride in Bile. Mercurii tres ſpecies dari, ut gravis in carne: levis in pulmone: & mediocris in oſſibus. Salis tandem quatuor ſpecies eſſe. Dulcem ſalis partem in carne: ſalſam in ſanguine: amaram in felle: & acidam in extremitatibus membrorum. [20] Sulphuris proprium eſſe, flagrare: Mercurii pondus: & ſalis ſaporem, ſuppeditare. Alibi ſtatuit ſal omnibus rebus formam & colorem conciliare: ſulphur autem corpus, incrementum, digeſtionem, &c. Cæterum gubernatricem ſalis eſſe Lunam: at ſulphuris gubernatorem eſſe Solem. Utroſque planetas porro adminiculo & Sulphuris & Salis gignere Mercurium. [21]

ANON. Oho! quos fluctus in ſimpulo excitavit Paracelſus; quaſi vero memorata tria principia ſui conſilii eſſent inventa: cum tamen longe ante fue-

[19] Vide tract. 1. Cap. III. de peſtilit. de trib. prim. Eſſ. Cap. 1. Paramir. libr. 1. Cap. 11. & ſeq. De baln. Piper. Cap. 1. & alibi.

[20] Fragment. tom. 1. titulo *Conceptum aliud, &c.* & Paramir. libr. 1. Cap. 11. ſcribit, *quod Sulphur eſt, flagrat; quod fumat, eſt Mercurius, & quod in cinerem abit, eſt Sal.*

[21] De Peſtilitate tractat 1. Cap. IV.

rint Iſaaco Hollando, ut & Baſilio Valentino, cognita. Et hic promiſcue utitur vocabulis ſalis & corporis, Sulphuris & animæ. Mercurii & ſpiritus. Sed quid plura referam? ſi quid boni Paracelſo eſt, habet id, dum alienis plumis ſuperbit, compilando utpote aliorum ſcrinia eruditionis. Cætera nil niſi nugalia theoremata.

Le Mort. Injuſte reprehendis ac incuſas Paracelſum plagii. Is enim ipſe [22] citat Hermetem, ut teſtem ſeu auctorem, memoratorum trium principiorum. At enimvero tute non es neſcius, neminem vocari plagiarium, ſi ingenue, per quos profecerit, profeſſus fuerit.

Helv. Ita res ſe habet. Verum ego cætera perſequar. Conſtitutionem proprietatemve cujuſlibet corporis. Paracelſus poſuit, in dictis tribus principiis ſitam, appellavitque hanc vocabulo peregrino *Yliadum*. Idem, quod indicare ſatagebat, ſignificare poterat per vocabulum Temperamenti, jamdudum uſu receptum. Dictum *Iliadum* duplicis generis eſſe, alterum elementorum, alterum hominis: in illis dicta tria inveniri ſimpliciora, in hoc contra magis compoſita. Ex hoc *Iliado*. i. e., temperie vel mixtura varia corporis valetudinem tum adverſam tum ſecundam provenire. [23] Alio loco dicit *Yleidum* eſſe aëris elementum: in animalibus vero ſpiritum, per omnia membra pertranſeuntem. [24] Quantum vero ſpectat ad corpora ex elementis concreta, exiſtimat Theophraſtus, ea nihil aliud, quam vaporem coagulatum eſſe: vaporem autem iſtiuſmodi: e liquore mercurii, qui varius eſt, ac jugiter evaporat, ortum habere: & quamprimum exhalando aërem

[22] Libr. 1. de generat. rer. natur.

[23] Tom. 1. fragment. 19.

[24] Libr. 11. Tractat. 11. Cap. 11. in explicatione de Tartaro.

(25)

aërem peregrinum contigerit, protinus eundem coagulari. Quamdiu nunc materia, unde ejuſmodi vapor prodit, æſtuet, tamdiu quoque rem quamque incrementum capere: e diverſo ceſſante æſtuatione, ceſſare etiam evaporationem, &, quod conſequens eſt, incrementum. Materiam, quæ ſuppeditat vaporem, ligni incremento deſtinatum, appellat *Derſes*: e qua herbæ proveniunt, *leffas*: e qua Metalla, *Stannar*: e qua lapides, *Enur*: Et hæc ſunt dictarum rerum prima materia: [25] Ultimam autem, quam *prædeſtinationem* vocat, eſſe ſine elemento, & ſine eſſentiæ præſentia: imo concreta cuncta, ut ortum e vapore duxerint, ita rurſus in interitione in modum vaporis reſolvi. [26] De cætero mira incredibiliaque memoria prodidit de *Eveſtro*, quem ait, ſpiriritum eſſe, Aſtronomiam docentem: eſſeque aut mortalem, aut immortalem: ut & auctorem cujuſcunque vaticinii. Vates namque & divos adminiculo *Eveſtri* vaticinatos, ac quælibetcunque miracula perpetraſſe. Verum enimvero, ſint hæc quomodocunque poſita, adſtruit Paracelſus inſuper differentiam inter *Traramen* & *Eveſtrum*. Hujus naturam jamjam indicavi, at illius *Trarames*, ait, proprium eſſe, ut ſuggerat acumen, & quid ratio ſit. Denique *Turban* magnam eſſe eſſentiam ejuſmodi, quæ præſagiat univerſa in quatuor mundis futura. Quicquid autem monſtroſe, & contra naturam, aut conſuetum communemque hominum opinionem, futurum, id per *Eveſtrum* vatem cognoſci: atque id ſumi, adumbrareque ſe interveniente *Turban* magna, Adhæc *Eveſtrorum* naturam & numerum infinitum. *Eveſtrum* eſſe, quod noctambulones comitetur: *Eveſtrum* præmon-

[25] Philoſoph. ad Athenienſ. libr. III. text. III.

[26] *Ibidem*. libr. II. text. XVII.

monſtrare & bonum & malum: *Eveſtrum* cogitata inquirere, atque omnimodas operas ſine corporali motione perficere: uſque adeo *Eveſtrum* eſſe rem admirabilem, & originem omnium. quæ unquam notatu digna in Aſtronomia, in vaticinio, inque Medicina obvenere. Imo nullam eſſe naturæ cognitionem, niſi intellectus ex *Eveſtro* petatur. Quid? quod neminem oportere Theologiæ operam dare, niſi intelligat, quid ante memorata ſint. Namque *Turban* magnæ Deum mandata dediſſe de *Trarama* inſtiganda, ut *cagaſtricum*, i. e. depravatum cujuſvis intellectum ex *aquaſtrica Necrolica* exſtinguat. [27]

Anon. Euge! quam multa Syrorum olera. Ego Hercule veſtri Paracelſi, quem non injuſte Planetiadem, ſicut olim a vagando Didymus, [28] Cynicæ ſectæ philoſophus, cognominatus, itidem cognominem: ego inquam, ejus imaginariam ſupinamque eruditionem titivillitio non emptitem. Nihil ſanum profecto, nihil doctum, ſed monſtroſum, ſed Barbarum eſt tantum non omne, quod literis mandavit. Quantam licentiam tribuit ne ſibi in fingendis vocabulis novis: Quaſi vero vocabula deeſſent ad ejus abſtruſa, quin dicam abſurda, dogmata, proferenda.

Le Mort. Et tu, more ſannionum, elephantum ex muſca, ut ajunt, facis. Pro ingenti crimine habes, quod Paracelſus doctrinæ novæ gratia, nova identidem vocabula excogitarit. An ſcientiam tuam fugit, quod dialecticorum quoque verba nulla ſint publica, quod ſuis utantur. Etenim id quidem commune omnium fere eſt artium: aut enim nova ſunt

[27] *Ibidem.* text. XVIII. & ſeq. ad finem libri. Item libr. Azoth. Cap. II.

[28] Ejus mentionem facit *Plutarchus* libro de oracul. defectu.

(29)

ſunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. [29]

BARCH. Licet non approbem, quod Paracelſus ſæpenumero citra neceſſitatem nova vocabula excogitarit, atque complures opiniones falſas de plurimis rebus habuerit: inde tamen non ſequitur totam ejus doctrinam eſſe abdicandam. Verum, mi Helveti, non hæc, utut ſint, deterreant te de incœpto tuo. Perſequere modo, ſi allubeſcit, cætera tradere.

HELV. Hominem, Paracelſus ſtatuit, e Limbo procreatum. Per limbum intelligit non modo tellurem, ſed univerſum mundum. Quandoquidem vero ex hoc homo duxerit originem, ideoque merito minorem mundum vocari. Eſſe etenim eadem in homine, ratione cujuſdammodi conformitatis, quam quæ in magno mundo ſunt. In cœlis eſſe viam lacteam, planetas, Zodiacum, &c. in Tellure omnis generis metalla mineraliaque reperiri, eque terra provenire meliſſam, cheiri & ſexcentas alius generis plantas. Hæc & ſimilia quoque analogice in homine repertu eſſe non difficilia. [30] Quid? quatuor ventos cardinales in homine ſtatuit. Orientis regionem terminare in fine ſtomachi, & hic Eurum potiri rerum: Occaſum prodire e regione monoculi, adſcendere ad inteſtinum color, terminareque juxta fundum ventriculi, & eouſque Zephyrum procedere: Boream provenire e media ſpinæ dorſi regione, & tendere verſus ventrem: in parte Septentrioni oppoſita, ſcilicet circa regionem umbilici, exoriri Auſtrum.

[29] Ita *Cicero* Academ. Quæſt. libr. 1.

[30] Vide *Paramir.* libr. 11. Cap. 11. *Paramir.* libr. 1v. de Orig. morbor. matric. *Paragrani* tractat. 11. de Aſtronom. & *Labarynth.* medicor. Cap. 1v. & Tractat. 1. Cap. 1. de Lunaticis. & Philoſoph. Sagacis. L. 1. Cap. 11.

ſtrum. [31] Septena pulſus genera in homine, totidemque in Mundo majori, reperiri: atque hæc nihil aliud, quam ſeptem planetarum motiones eſſe. Pulſum autem, ait, eſſe menſuram temperaturæ corporis, ſecundum ſex locorum, a planetis occupatorum, conditionem. Duo pulſus genera quæ in pedibus conſpiciuntur, eſſe Saturni & Jovis: duo in collo, Veneris & Martis: duo in utriſque temporibus, Lunæ & Mercurii: Solis autem pulſum in ſiniſtro latere ſub corde eſſe. Ad ſummum cœlum & terram eſſe unum hominem, nec plus nec minus in utriuſlibet ipſorum natura exiſtere. Quæ cum ita ſint, ſummopere commendat Medicinæ ſtudioſo; quin dicam, nimis inculcat, ſcientiam ſuperorum atque inferiorum, qua ſibi conformia, qua diſcordia ſint: & quatenus his omnibus analogia quædam, vel neceſſitas intercedat cum homine. [32] Sed ad limbum. Hunc ſtatuit, Deum homini, viro puta, ab initio inſeviſſe, adeo, ut is in poſterum ipſe eſſet limbus, e quo proles futurorum hominum originem caperet: Fœminam vero ipſi adjunctam tanquam matricem, in qua tenerum fœtum ad ſimilitudinem hominis fingi formarique. Quo pacto autem formamentum hominis in matrice fiat, id aciem oculorum indagare non poſſe. [33] Ita etiam ſe habere genituram,

[31] Hæc in Tom. 1. in tractatu de Collica.

[32] De Peſtilitate tract. 1. Cap. 111. & paſſim in ſcriptis ſuis. Ejuſmodi analogiam vocat *ibidem*. Cap. v. artem ſignaturæ. Hanc Medico ſcitu admodum neceſſariam judicat. Ex hoc fonte plurima morborum remedia eruta, verbi cauſſa. Carduum, quoniam ea planta habeat aculeos, *ſignaturæ* ratione indicare, in ſe reconditam eſſe quandam virtutem adverſus pectoris laterumque punctiones. Perſicariam maculis inſignitam ſanguineis eandem ob rationem valere pro vulneribus recentibus. Reliquorum, quæ brevitatis cauſſa omitto, eadem conditio eſt.

[33] *Paramiri* libr. 1v. de Matrice.

turam, ſine qua nullum animal progigni. Albicantem etenim, lentoreque aliquanto prædítum, humorem, qui vulgo ſemen audit, non eſſe verum ſemen genitale, ſed modo involucrum ſeu receptaculum ejus: inviſibile enim id natura ſua exiſtere, & mole ſua vix magnitudinem piſi æquare. [34] Præterhæc ſuam cuique ſexui eſſe genituram; & quoniam utræque inæquali ſemper portione permiſceantur, effici hac ratione, ut homines forma inter ſe plerumque ſint diſſimiles. [35] Quod autem a parentibus, decente corporis membratura, dotatis, nonnunquam gignantur claudi, vel ſimili corporis vitio affecti, in cauſſa eſſe, quod interior homo imaginationis curvus, vel alio quodam vitio laboret. [36] Homini inſuper duplex corpus eſſe, alterum a cœlo ſtellato, a terra alterum: illud, pariter ac ſingula aſtra, non indigere nutricatu; hoc vero oportere in dies alimentis nutrire. [37] Quid? quod opinatus eſt, alimentis: v. g. bolo panis ſanguinem, carnem & cæteras corporis partes, qua tales, ineſſe inconſpicuas. [38] Cæterum & alio modo conſiderat nobis duplex corpus eſſe; unum e genitura, alterum ex alimentis originem ducere. [39] Ita etiam aſſerit nobis duplicis generis ſcientiam ſeu cognitionem boni ac mali eſſe, nominatque hanc Tincturam, quia hæc aliunde, proinde ac in Chimicis e rebus variis, deri-

[34] *Ibidem*, lib. II. Cap. I. & de Morb. tartareis. Cap. II.

[35] Tractat. II. Cap. VI. de generat. homin.

[36] Libr. III. de origin. morbor. inviſib.

[37] *Paramiri* tractat. III. Cap. II. & III. de ente Naturali. & *ibid.* libr. II. Cap. VIII. de orig. morb. ex trib. ſubſt. dicit homini etiam eſſe corpus inviſibile, quod non ex Limbo, ſed ex inflatu Dei, productum.

[38] Modus pharmacand. tractat. III.

[39] *Paramiri* libr. I. Cap. VII. de orig. morb. e trib. &c.

derivatur: Unam, quantum ad animalem naturam attinet, nobis ex aſtris: alteram, quæ plus quam naturalis, a Supremo eſſe Numine. [40] Humanum corpus quamquam ſtatuerit e quaternario elementorum numero compoſitum: [41] alibi tamen aſſerit, dictorum elementorum qualitates primas, quæ plurifariam invicem mixtæ temperamenta conſtituunt, nihil quicquam ad Medicum ſpectare. [42] Eadem conditio eſt temperamentorum, quæ nominationem a quaternario humorum ſunt ſortita: Horum in loco autem ponit (1) acorem, quem natura frigidum ac ſiccum exiſtentem inprimis in atra bile reſidere: (2) dulcorem, frigidum & humidum, phlegmati: (3) amaritiem, naturæ calidæ & ſiccæ, bili: (4) ſalſitudinem, indolis calidæ & humidæ, potiſſimum ſanguini, præſto eſſe. [43] His utcunque poſitis, alibi tamen iterum admittit quatuor humorum genera, ut (1) ſanguinem in venis, (2) humidum in carne, (3) viſcidum in nervis & (4) pinguedinem in arvina. Præter hæc tria alia homini ineſſe, perque univerſum ejus corpus diſtributa: appellat hæc nomine Mercurii, ſulphuris & ſalis. [44] Quid? quod alibi docuit hominem eſſe vaporem coagulatum: coagulationem quippe corporis fieri a ſolis vaporibus, & membris ſpermaticis e genitura oriundis: quin etiam omne alimentum non niſi vaporem ex liquoribus condenſatum eſſe: hunc dicit intus in corpore rurſus, proinde ac glacies a Sole, diſſolvi liqueſcereque, ac ita in omnes corporis partes didi. Id enim, quod homini pro nutrimento eſt, nunquam coagulari: quod autem

[40] De Peſtilitate tract. 1. Cap. 111.

[41] Libro de Hydrop. Cap. IV.

[42] *Paramir.* libr. 1. Cap. IV. de orig. morb. e trib. &c.

[43] *Ibidem.* tract. 111. Cap. x. de Ente Natural.

[44] Lib. 11. Cap. 111. de Peſte, cum additionib.

autem in corpore craſſeſcit, id eſſe tanquam ſtercus conſiderandum. [45] Porro, quantum ad nutrimentum attinet, ſtatuit quatuor elementa hoc homini miniſtrare: abſque his enim ſi homo eſſet, ne diem quidem ſupervivere ipſum poſſe. Enimvero hominem ideo edere, quia e terra: ideo bibere, quia ex aqua: ideo reſpirare, quia ex aëre: ac ideo calorem eidem opus eſſe, quia ex igne originem duxit. [46] Quod ſupereſt alimonium eſſe id ipſum, quod nos ipſi ſumus: id eſt, neceſſe eſt, ut habeat partes corpori noſtro aſſimiles, quæ amiſſarum locum explere queant. Deinde non quamlibet corporis ſeu expletionem, ſeu ſaginationem eſſe proprium alimonii, ſed inſtaurationem vel redintegrationem partium: quæ, ut dixi, quoquo modo fuere abactæ, quas Paracelſus, pro ſua conſuetudine, nomine vocat inaudito, membrorum interitum. Quo conceſſo definivit famem, quod ſit index adventus mortis in interitu membrorum. [47] Adhæc, ventriculum quidem ſolum Reipubl. corporis cauſſa operari, ac cibos vincere: verum enimvero, excepto hoc ventriculo, ſuum quæque membra habere inſuper ſtomachum, qui quod prius in ventriculo mitigatum, de novo ſecernat, quod ſibi utile: reliquum vero intactum amoliatur. [48] Præterea opinatur Theophraſtus ciborum digeſtionem, æque fieri poſſe in ore, ac in ventriculo: Verum totum utriuſque rationis diſcrimen in eo ponitur, quod, qui in ore cibos mitigant, non cacent, ſed mingant duntaxat: & tali modo complures divos, ac Eremitas vitam tranſegiſſe: Cacare autem eos,

[45] Philoſophiæ ad Athenienſ. libr. III. text IV.

[46] *Paramir.* libr. IV. de orig. morb. matric. & *Paragrani* tractat. II. de Aſtronomia.

[47] *Paramiri.* libr. I. Cap. VII. de orig. morb. e. 3. &c.

[48] *Ibidem* libr. III. tractat. IV. de orig. morb. e tartaro.

qui in ſtomacho cibos digerant. Hujus generis ruſticum: at illius, nobile eſſe nutrimentum; ſiquidem id, quod in os ingerimus, non minus digeſtionem ſubire, quam, quod ad ventriculum glutiendo amandavimus. [49] Cætera vocabulis digeſtionis & putrefactionis promiſcue utitur: ait enim digeſtionem eſſe putrefactionem: & putrefactionem eſſe mutationem alterationemque ciborum in ſubſtantiam a priore alienam; perfici autem hanc adminiculo ignis, quem omnis generis eſcas in ſe habere abſconditum. [50] Quod autem tot diverſa digeſtionum genera, diverſæque excrementorum ſecretiones peragantur, oportere nos acceptum opus beneficentiæ magni Archæi referre. Namque hujus munia eſſe, cibum peragere, purum ab impuro ſejungere, calorem ſuum cuique parti mittere, diſpenſareque cætera, quæ cuique ſunt parti neceſſaria. [51] Quod vero attinet ad doctrinam de ſpiritibus hominis, tunc ſciatis, velim, Paracelſum ponere homini duos eſſe ſpiritus, quorum alterum appellat ſpiritum vitæ, primo generis humani parenti a Deo inſpiratum: alterum, ait, duxiſſe originem e limbo, i. e. chaos, vocatque eundem naturalem: hunc naturalis: illum divinæ, ſcientiæ auctorem; hunc una cum homine interire: illum vero interitionis neſcium. [52] Dictum naturalem alibi vocat vitalem, adſtruitque eundem per ſingula corporis viſcera, perque artus diſtributum, omnis generis motionum, quæ in corpore eveniunt, auctorem eſſe: [53] Præſertim vero magnifacit iſtam por-

[49] *Ibidem.* tractat. II. & de modo pharmacandi tract. III.

[50] De Peſtilitate. tract. I. Cap. V.

[51] Paramir. libr. IV. de orig. morbor. matric. & de mod. pharmacando. tract. III.

[52] Philoſoph. ſagac. lib. II. Cap. I. & de Lunatic. tractat. I.

[53] Libr. I. Cap. I. de virib. membror.

portionem ſpiritus, quæ ſeptem principaliora corporis viſcera, a Paracelſo planetas vocata, incolit. Et ratione hujus homini ſeptenas diverſi generis eſſe vitas; quarum tamen nullam genuinam ſeu veram eſſe adeo, ut cum vita, quam anima ſuppeditat, comparari poſſit. [54] Porro diſtinguit ſpiritum, voluntatis auctorem, a ratione, quam mens, ut aſſerit, producere: perſuaſum quippe habet, in infantibus, quoniam perfectam non habeant voluntatem, non ineſſe ſpiritum, hunc enim generari in iis, qui perfectam habeant voluntatem, atque ejus ſubſidio agant; proinde concludit, eundem non aſtra in homines immittere, ſed ſuum quoſque homines ſibi efficere. Etenim ut ex ſilice ignis, ita ex voluntate cujuſque hominis hujuſmodi ſpiritus, progigni. Non uniuſmodi hunc, aſt alius atque alius indolis, in quolibet homine reperiri. Verum tamen quomodocunque natura ejuſcemodi ſpirituum ſit, intercedere tamen, arbitratur, alteri cum altero ſubinde aut neceſſitatem, aut inimicitiam: hinc evenire nonnunquam, ut homo in hominem ſine ſontica cauſſa magnum aut amorem, aut odium mutue habeat. [55] Alio loco Paracelſus dictis duobus ſpiritibus adjungit tertium, quem appellat ſidereum, quem primordia generis ex aſtris ducere. Reſpectu horum triplicis generis ſpirituum, homini cuique triplicis generis quoque ſapientiam eſſe. Primam appellat carnalem ſeu animalem: alteram ſidéream, ſeu intellectum terrenum: utraſque has eſſe interitui obnoxias; tertiam denique ſpeciatim ſpiritalem, quam a Deo homines derivare, atque hanc eſſe immortalem [56] Quantum

[54] *Paramiri.* tractat. III. Cap. VII. de Ent. nat.

[55] *Ibidem.* libr. IV. Cap. III. & IV.

[56] Libr. II. Cap. I. Philoſoph. Sagacis.

ſpectat ad potentiam aſtrorum, habete, Paracelſum haud retinuiſſe perſeverantiam ſententiæ ſuæ. Etenim ſubinde adſtruit nullum jus in homines habere aſtra, nec quicquam nobis imprimere: ſed hominem omnibus planetis potiorem; [57] interdum vero contrarium aſſerit, quod ſcilicet mores noſtri, naturarumque proprietates ab aſtris formentur, & ſtellarum potentias plus, quam medicum ſæpenumero apud ægrotos, polleant. [58] Incredibile auditu fortaſſis vobis habebitur, quæ Theophraſtus ſtatuit de mirabili portentoſiſſimaque Saturni invidia: eum utpote aliquando invidia in tantum excandeſcere, ut cuncta ſibi obvia vorare, putrefacere, ac quoquo modo corrumpere cupiat, ut ne cuiquam ex uſu ſint: Ideoque eundem quoque omnium morborum eſſe auctorem. Contagionem ejus ad hominem perventam efficere, ut hic evadat mendax, doloſus, caninus, avarus, & neſcio quid amplius. [59] Sed miſſam faciam Saturni, reliquorumque ſiderum, portentificam poteſtatem.

ANON. Bene agis. Enimvero portenta loqueris.

HELV. Verum tamen non ſuccenſebis mihi ſi pauca, quæ adhuc in memoria habeo, narravero.

ANON. Quorſum iſtuc? Tute ipſe es hoſpes, quem inviſimus, quemque leges in ædibus ſuis dare, at neutiquam accipere, oportet.

HELV. Hæc profaris, ut ſtomachoſus, ſed ad rem. Paracelſus opinatur duplicis generis ſudorem in corpore eſſe: alterum per poros, per emunctoria alte-

[57] *Paramir.* tract. 1. Cap II. III. IV. V. VIII. de ente aſtror. & *Paramir.* libr. II. Cap. VII. de orig. morb. c. 3. &c.

[58] *Ibidem.* libr. I. Cap. IV. de orig. morb. c. 3. &c. & de ente Aſtror. Cap. XI. partic. II.

[59] Vide libr. II. Cap. II. de Peſte.

alterum manare. Per emunctoria intelligit inguina, aures & mamillarum latera, ſeu alas. Hujus generis ſudorem eſſe de natura ſulphuris, verum non uniuſmodi: Antimoniale enim per inguina: Arſenicale per alas: perque aures Marcaſitam, ſecerni. At illius generis ſudorem eſſe tantum evacuationem ſuperfluorum univerſi corporis humorum. [60] Mulierum menſtruum habet pro veneno teterrimo pernicioſiſſimoque: [61] Imo Diabolos ex hoc aëreo & igneo veneno in aëre araneas excludere procreareve. Et quod magis mirabimini, nullum, aſſerit, menſtruum eſſe, quod non muliebri ſemine ſit perfuſum atque commixtum: hinc inde progigni omnes pulices, araneas, aſellos, teredines, erucas, & ſexcenta alius generis inſecta. [62]

Anon. Scitum Hercle hominem! Nunc demum intelligo, quamobrem fœminæ ſint potiſſimum pulicibus refertæ.

Le Mort. Tu iterum cavillare cum Paracelſo, ac falſe dicis. Conſiderato enim ævo, in quo vitam vixit: conſideratis hominibus, quibuſcum Paracelſus plurimum, ceu perhibent, verſatus eſt, non mirum tunc & tibi, & mihi, videbitur, quod adeo multa vaniloquia vir memoratus operibus ſuis inſeruerit. Quotuſque noſtrum opinione non ſolum, ſed ad veritatem ſibi perſuadet, plurima fortaſſis in juventute, cum judicium ejus nondum limatulum eſſet, literis

[60] Libr. I. Cap. V. & hujus libr. additament. Cap. VII. & fragment. libr. III. Cap. V. de Peſte.

[61] *Paramir.* libr. IV. de orig morb. matric.

[62] De Peſtilitate tractat. IV. Cap. II. Porro ſcribit, *ſicut Mumia Vini, & Magnes Vini, qui nihil niſi ignis ſunt, venenum Menſtrui alliciunt: ita Mumia quoque, i. e. ignis hominis, & Magnes ſanguinis, i. e. ſpiritus vitæ, venenum peſtis ex veneno menſtrui mulierum attrahit. Sicut enim ex veneno menſtrui mulieris Baſiliſcus oritur: ita ex eodem peſtis quoque in homine gignitur.*

teris a Paracelſo mandata, quæ deinceps ætate provectus improbavit. In horum numero habeo productionem homunculi artificialis e ſemine genitali viri, quod cucurbitæ ſigillatæ immiſſum, in fimo equino tantiſper putrefaciendum, jubet, quouſque incipiat moveri ſeu vivere: poſtmodum oportere hunc homulum arcano ſanguinis per quadraginta ſeptimanas nutrire: Quibus peractis generari verum & vivum infantem, cæteris, qui a fœminis naſcuntur, prorſus ſimilem, præterquam quod longe minoris ſtaturæ ſit futurus. Præterea hunc homuncionem, ſi quando ad maturiorem ætatem pervenerit, aut pygmæum, aut gigantem, evaſurum. [63] Ejuſdem conditionis eſt generatio incuborum atque ſuccuborum, quos itidem ſtatuit e genitura, quam homines ſomniando cum voluptate emittunt, produci: nocturnos nempe ſpiritus hanc ſuſcipere, atque inde ſupra memoratos producere. [64] Non minoris ſunt facienda ſigilla, amuleta, charactere & vocabulis barbaris expreſſa, & complura alia, anilem redolentia ſuperſtitionem. [65] Quamvis hæc & ſimilia nemini id ætatis probentur, inde profecto haud ſequitur, ſingula viri placita eſſe ex Medicina ejicienda. Non araneas, quæ e quolibet-

cunque

[63] His adde, quod ſcribit, hoc unum eſſe ex maximis ſecretis, quæ Deus mortali, & peccatis obnoxio, homini patefecit. Eſſe enim miraculum, & *magnale* Dei, & arcanum ſuper omnia arcana, & merito in ſecretis habendum. Et quamquam hoc hactenus, hominibus notum non fuerit, fuiſſe tamen id Sylveſtribus, & Nymphis, & Gigantibus ante multa tempora cognitum, quos inde itidem ortos. vide libr. 1. de gener. rer. natural.

[64] Sperma autem tale, putat, ex imaginatione in amore *Hereos* natum; quem nequicquam aliud eſſe, quam quod ſibi aliquis per phantaſiam in animo fingat fœminam, ac eam quaſi comprimens ita cupidinem ſuum expleat. vide libr. 111. de orig. morb. inviſib.

[65] Quorum ultro citroque in ſcriptis ſuis: in primis vero in Archidoxis magicis, memi-

nit.

(66)

cunque flore venenum; ſed apes, quæ & e venenoſis floribus mel, colligunt, imitari debemus. Nullum credo unquam auctorem fuiſſe, imo in poſterum futurum (imbecillitas hæc mentis humanæ eſt), qui non doctrinæ ſuæ habeat aliquod erronei inſertum, quod quiſpiam e poſteris Momi maledico dente carpere poſſit.

BARCH. Mittamus ſannas, reprehenſioneſque: non verba, non menda, ſed viri doctrinam, aucupemur. Proin mi *Helveti*, redi, obſecro, ad propoſitum, a quo te propter interpellationem hujus, declinare oportuit.

HELV. Non vos per longa exorſa tenebo, verum occipiam tradere Paracelſi opinionem de *Ente*, cui, miſſo ſcholarum more, inuſitatam ſignificationem tribuit. Definivit enim *Ens*, quod ſit cauſſa ſive res, vim habens corpus regendi. Quina, ſtatuit *Entis* genera. Primum appellat *Ens* Aſtrorum, ſecundum, *Ens*, veneni: tertium, *Ens* naturale: quartum, *Ens* ſpirituale: quintum denique, *Ens* Dei. [66] Alibi mentionem inſuper facit Entis *Pagoyci*, nec non feminis. [67] Ita etiam aſſerit *Entis* aſtrorum omnifariam conditionem venenoſam eſſe. Quod ſanguinem ſolum lædit, eſſe indolis *Realgaricæ*: quod caput, Mercurialis: quod oſſa atque venas, ſalinæ: quod aquam intercutem, auripigmenti: quod febres, amaræ. [68] *Ens* ſpirituale vocat, quicquid ſine materia in vivente corpore ex cogitationibus gignitur. [69] Cæterum, quod ad *Ens* veneni pertinet, arbitratur Paracelſus, unicuique rei alimentariæ ineſſe

[66] *Paramir.* de v. *entib.* morb. no. VII. & VIII.

[67] Ut de Peſtilitate. tract. IV. Cap. I. *Paramir.* tract. I. Cap. IV. de *Ente* aſtror.

[68] Ejuſdem *Paramir.* Cap. XI.

[69] Vide *Paramir.* de v. *entib.* no. VIII. & tractat. IV. Cap. I.

(70)

tum eſſentiam, tum venenum. [70] Vocabulo Eſſentiæ ſignificavit id, quod ad hominem ſuſtentandum eſt aptum: veneni contra, quod ad deſtruendum. [71] Quæ cum ita ſint, argumentatur, nullum morbum ſine peculiari veneno oboriri: [72] Venenum autem hocce in homine produci ex digeſtione putrida, [73] quam vocabulo Barbaro appellat *Hirbel*, & cujus tres ſpecies tradit. Putredinem in ſanguine, vocabulo *Hirbel Aquaſtri Cagaſtri*: putredinem in carne, *Hirbel* ignei: putredinem denique in ſtomacho, inque extis reliquis, *Hirbel Ares*, nuncupat. [74] Quid? quod ulterius ratum habuit, cum ea, quæ corpus ſuſtentandi cauſſa, tum ea, quæ medicationis ergo, aſſumuntur: priuſquam ad alterutrum finem accommodata evadant, oportere putrefactionem ſubire; qua peracta immutari illa, transformarique in ſubſtantiam, naturæ noſtræ magis, accommodam. [75] Ut autem aliquis ad cognitionem cujuſcunque veneni perveniat, neceſſum eſſe, ut intelligat cujuſmodi ſit, quod per loca, ſecretioni humorum dicata, excernatur. Namque, quod cutis per poros exſudat, eſſe Mercurium reſolutum: quod e naribus effluit, ſulphur candidum: quod in auribus ſecernitur, Arſenicum: quod in oculis, ſulphur: quod per veſicam excernitur, ſalem reſolutam: quod per anum, ſulphur putrefactum. [76] Morbum quemlibet, ait, flagellum, quo Deum homines caſtigare, commonefacereque, ut ſalutem curationemque non Divis, Ethnicorum more, nedum Medi-

[70] *Ibidem.* tractat. II. Cap. I.

[71] *Ibidem.* Cap. VIII.

[72] *Ibidem.* tractat. I. Cap. IX.

[73] *Ibidem.* tractat. II. Cap. XIX.

[74] Libro *Azoth.* Cap. II. §. 2.

[75] *Paramir.* libr. I. Cap. VI. de orig. morb. e 5. &c.

[76] Ejuſdem tractat. II. Cap. XII. de *ent.* venen.

Medicinæ ; at Divinæ ejus clementiæ referant acceptam. [77] Imo morbum quoque eſſe purgatorium : Dæmones ejus eſſe medicos imperitos. [78] Ad duo genera morbos redegit, ad naturales ſcilicet, atque ad flagellum : [79] vel ad materiales, & ſpirituales. [80] Morbos, qui ex Ente Naturali prodeunt, diſpertitus eſt iterum in quatuor genera. Primum, ait, complecti morbos diuturnos, quorum cauſſam a ſideribus : ſecundum, acutos, quorum cauſſam, ab alimentis : tertium, naturales, a temperamentis ; & quartum, morbos tingentes, quorum cauſſam ab humoribus, derivandam. [81] Quod vero ad morbos, qui poteſtatem Divinam ſpeciatim agnoſcunt, attinet, exiſtimat horum cauſſam nequire a Medico indagari. [82] Alio loco ſtatuit *Iliadum* omnes corporis ægritudines efficere. Nempe, quoties ſingularis in corpore fuerit oborta ſive ſecretio, ſive corruptio tunc affectum hujuſmodi ex *Iliado* originem duxiſſe. At enimvero, quando univerſum corpus affectum, ut in Apoplexia, &c. morbum talem ex Elementis prodire, propter liquoris Naturæ, ſeu Balſami, reſolutionem. [83] Adhæc opinatus eſt, morborum, quorum naturam generatim in pondere, numero & menſura ſitam, [84] ſemina duplicis eſſe generis : alterum nominat *Iliaſtrum*, *Cagaſtrum* alterum : illud

[77] *Ibidem* tractat. v. Cap. v. de *ente* Dei.

[78] *Ibidem*. Cap. III.

[79] *Ibidem*. Cap. II.

[80] Ejuſdem *Paramir*. tractat. IV. Cap. II. de *ente* natur.

[81] Paramir. tract. III. Cap. XI. partic. I.

[82] *Ibidem*. tract. V. Cap. VIII.

[83] Libr. II. tract. II. Cap. III. de Tartaro §. 3. & Cap. 4. §. 2. *Yleidum* autem Cap. II. §. 2. dicit eſſe aerem elementa em, & in nobis eſſe ſpiritum, qui per omnia membra tranſire debet. Quod ſi pori, per quos ipſe tranſire debet, ſint obſtructi, morbos tunc originem inde ducere.

[84] Paramir. lib. I. Cap. I. de orig. morb. c. 3. &c.

originem capere e primitiva materie, ex qua utpote cuncta corpora ſui generis primordium ducunt; hoc vero adeſſe exacta rei cujuſquam corruptione: Illius generis morbos, eſſe hydropem, aurigonem, podagram, &c. aſt hujus, peſtem, pleuritidem, febrem, &c. [85] Præter hæc Paracelſus, ad propiora progrediens, ſtatuit morbos non in quaternis Peripateticorum, ſed in tribus elementis, Sulphure nempe, Sale & Mercurio, quæ vocabulo ſubſtantiæ nuncupat, conſiſtere. Dicta tria conſiderat, tanquam cauſſas plerorumque morborum generales, non ita ſub forma minerali in corpore exiſtentes; verum ut tres natura diſtinctos humores, ad memoratorum indolem quadantenus conformatos. Quicquid enim ad deflagrandum idoneum, hoc ſulphur: quicquid ad evaporandum, hoc Mercurium: quicquid ad convertendum in Salinum corpus, hoc appellat Sal. [86] Efficere autem ſulphur febres, aliquas, apoſtemata, icterum, &c. idem vero putrefactum ſi fuerit, ob defectum ſalis, efficere pleuritidem, febres tum ſtomachi tum jecoris, hemicraneam, oculorum, dentium auriumque dolores, &c. Mercurium adſcendentem, cum exitum quærat, & eum invenire neſciat, efficere, maniam, phrenitidem, veſaniam, apoplexiam, artuum quorumque tremores, &c. Sal vero, poſtquam fuerit aliis rebus obviam factum, coagulari, concitareque calculum, podagram, variorumque viſcerum obſtructiones: at enim, ſi idem ſubtiliter comminutum attenuatumve, efficere tunc ſcabiem, ulcera omnimoda. Eryſipelatem,

[85] Labyrynth. medicor. Cap. XI. & libro *Azoth.* Cap. I. *Yliaſtrum* dicit eſſe primam materiam, ex qua Sulphur, Sal & Mercurium condita? *Coagaſtrum* autem non modo ſignificare corruptum aliquod, verum etiam S. Nitri.

[86] *Paramir.* libr. I. Cap. II. & III. de orig. morb. e. 3. &c.

87)

pelatem, *fiſtulam*, cancrum, &c. His utcunque generatim poſitis adjungit ſingulas ſingulorum principiorum proprietates. [87] Mercurium enim, cujus tot ſpecies, quot corporis membra, putat, trifariam ſecerni; deſtillatione nimirum, *ſublimatione* & *præcipitatione*. Fieri inſuper hujuſmodi operationes ratione caloris, cujus tres ſpecies dari: unum externum: alterum internum a quacunque corporis motione: & a ſtella quadam ignifera provenire tertium. Mercurium porro quomodocunque deſtillatum corpori importare mortem repentinam, generaque morborum, qui hominem derepente interimunt: ſublimatum, maniam, phreneſim, &c. præcipitatum vero arrthritidem, chiragram, &c. Sequitur ſal, quod ſtatuit, quatuor modis immutari, reſolutione videlicet, calcinatione, *reverberatione* atque *alkaliſatione*. Ternas vero hujus mutationis cauſſas ponit. Primam eſſe ingluviem ſeu edacitatem, quæ in cauſſa ut caro nimis mollis, teneraque reddatur, ſanguiſque luxuriet: alteram, cum corpus calefactum ſubito refrigeretur: tertiam autem ab aſtro quopiam ſalem nimiopere exſiccante. A ſale reſoluto ſerpigines, pruritus, ſudores ſalſos, &c. A ſale calcinato ſcabiem, ulcera, &c. a ſale *reverberato* canceronoma, lepram, &c. oriri. Naturæ autem ſulphuris, quod omnifariam a quaternario elementorum ſeparari, nihil habeo, quod addam: quin puto me ejus paulo ante abunde mentionem feciſſe. [88] De cætero reprehendit Paracelſus, quod veteres dixerint hunc morbum eſſe natura cholericum: illum melancholicum, &c. ſed e contrario exiſtimat, morbos ſecundum omnigenas rerum proprie-

[87] Vide fragment. medic. tom. I. tractat. II. Cap. I. II. & III.

[88] *Paramir.* lib. II. Cap. IV. V. & VI.

prietates esse nominandos. Quibus positis erysipelatem, vitrioli; cancrum, *Colcothar*: lupum, aluminis plumosi, & reliquos sua quemque nominatione cooptat. Memorat præter hos, morbum Pulegii, morbum Melissæ, Hermodactili, &c. Commemorat Colicam Zibethinam, moschatam, & nescio quod amplius? [89] Scilicet æque statuit, ut morbi virtute Anatomiæ, quæ in luce Naturæ fundata, i. e. secundum omnimodum, seu compositionis, seu resolutionis modum, quem cum aliis rebus habent consentaneum, nominentur. Enimvero errorem eos errare, qui febrem propter fervorem adjunctum ita appellent: Fervorem quippe esse quidem signum, sed neque materiam neque caussam affectus. Ut itaque juxta hanc conditionem suum febri nomen imponatur, appellandam vult febrim morbum Nitri sulphuris incensi. Pariter Apoplexiam proprio vocabulo nominandam Mercurium *Cachymialem* sublimatum. Quosdam morbos putat nominatione remedii, quo frequentissime sanentur, cooptandos: sic Epilepsiam, quia *viridello*, hoc est vitriolo, iterum & sæpe sanata, nuncupandam vocabulo morbi *viridelli*. [90] In primis vero copiose prolixeque differit de morbis tartareis, quorum materiam similem esse lapidi vini, qui id ætatis potissime Tartarus audit. Quandoquidem nunc Tartarus concretum ex oleo, aqua, sale atque terra corpus habet: ac horum ratione corpus ægrotantis incendit aduritque, pari modo fere, ceu perhibent, ut damnati igne gehennæ torquentur: eam ob caussam transferri verbum oportere in Medicinam, ac ejusmodi morbos a tali caussa generatos

[89] Vide fragm. tom. 1. titulo *conceptum aliud*, &c. & *Paragrani* alterius tract. 1. de Philosophia.

[90] *Paramir.* libr. 1. Cap. VI. de Orig. morbor. c 3. &c.

ratos, & dictum cruciamentum corporis habentes, nominandos tartareos. [91] Per vocabulum tartari autem intelligit, quemlibet humorem terreſtrem ad coagulandum habilem. Ejus totidem genera, quot-quot modis corpora ſe inter diverſa. Alius namque generis eſſe Tartarum lactis: alius hordei; alius carnis, panis, &c. Eandemque differentiam Tartari in univerſo orbe reperiri. [92] Attamen, utut hoc placitum fuerit, redigere non dubitat totidem innumerabiles fere Tartari ſpecies ad quatuor genera. Primum ſtatuit comprehendere Tartarum mortalem, omnium peſſimum. Hunc enim vel veneni, vel magnitudinis, vel multitudinis, vel idioſyncraſiæ ratione, ſævos atrociſſimoſque concitare dolores. Secundum complecti Chronicum, quem dicit, propter naturam fixam & induratam, in eodem ſtatu permanere, & non ad ſalutem, verum ad mortem tendere. Tertium manſuetum, quem quidem dolores aliquantulos excitare, verum non adeo intolerabiles, ut in numero paſſionum haberi poſſint. Quarti tandem ſub imperio eſſe Tartarum prætereuntem. Hunc quotidie colligi & iterum ſecerni: ideoque eundem placidiſſimum juxta & leniſſimum. [93] Dixi paulo ante liquorem terreſtrem generalem Tartari materiam: propiorem autem, ſtatuit Paracelſus, quadruplicem: bolum utpote, lapidem, viſcum atque arenam. His cibos potuſque, qui nobis pro ſuſtentione vitæ opus ſunt, plerumque refertos; proindeque non mirum

[91] De morb. Tartareis. Cap. 1. Et *Paramir.* libr. III. tract. III. dicit. *Tartarum eſſe morbum extraneum rerum crescentium, qui ex terra & ejus liquoribus enaſcitur.*

[92] *Ibidem* Cap. II. III. Et Paramir. libr. III. de orig. morb. e 3 &c. dicit, Tartarum eſſe excrementum cibi potuſque per ſe, ab hominis ſpiritu ita coagulatum.

[93] Vide Cap. XIV. de morb. tartareis.

rum materiam tartari rurſus in corpore ſeparari. [94] Nempe ciborum Tartarum ad inteſtina tendere: indidemque per alvum excerni: at Tartarum potus, quem longe durioris formæ ſive figuræ, quam ille e cibis oriundus, ad jecur ad veſicam pertendere, ac ita identidem a corpore ſecedere. [95] Indureſcere autem Tartarum magis ac magis a ſpiritu ſalis, [96] exindeque ab eo periculum aliquod extimeſcendum: quinimo tanto pejorem fieri, quanto magis ex longinquo venerit, atque longe lateque fuerit diſperſus. Tartarum itaque cum Tartaro ratione loci, vel vaſorum, quorum complura enumerat, differre. Minimum a Tartaro oris: minus periculi ab eo, qui Oeſophago inhæret: majus ab eo, qui in fundo ventriculi: maximum vero periculum ab eo, qui in interaneis reſidet, extimeſcendum. [97] Licet Paracelſus ſtatuerit ſingulis humidis Tartarum ineſſe: Cereviſiæ tamen arbitratur duplicis generis eſſe, alterum e frumento, vel polenta, unde cereviſia coquitur, alterum ex aqua, oriri. [98] Ut autem Tartarus tandem aliquando condenſeat, indureſcatque, in cauſſa eſſe geminos, homini inſitos congenitoſve, ſpiritus, *Archæum* puta & ſalis ſpiritum. Hominibus equidem promiſcue Tartarum eſſe inſitum; neceſſe enim eſſe, ut microcoſmus parilia, ac macrocoſmus, habeat: [99] mulieres tamen præter dictum habere quoque genus Tartari, quod eas a viris una cum ſemine genitali accipere. Quale poſtmodum non fœminis tantum, ſed & tenello cuique fœtui, omnigenas corporis

[94] *Paramir.* libr. III. tract. I. de orig. morb. c. 3.

[95] *Ibidem.* tractat. II.

[96] *Ibidem.* tractat. II. libr. I. de orig. morbor. e Tartaro. & Cap. IX. de morb. tartar. ubi ſpiritum ſalis appellat *Heroem coagulationis.*

[97] *Paramir.* lib. III. tractat. II.

[98] *Ibidem* tractat. I.

[99] De Morbis tartareis. Cap. V.

poris ægritudines, quas hæreditarias vocant, importare. [100] Hunc Tartarum innatum perſæpe in conſpectum venire in forma uſneæ, grandinis, gemmarum, &c. [101] In ſumma Medicum indigne vocari, qui Tartari morbos, eorundemque acceſſiones, ignoret. [102] Verum enim vero, antequam vobis morbos, qui primordia generis ex Tartaro duxere, commemorem, neceſſe eſt, ut obiter moneam. Paracelſum Catachreſi nimiopere ſtuduiſſe, cum virtuti partium quarumcunque corporis *digeſtivæ*, i.e. facultati purum ab impuro ſeparandi, imponat nomen ſtomachi. In mitiorem itaque partem interpretemur, quando Paracelſus ſcribit, carnis ſtomachum eſſe in liquore ejus, ſeu cruore, ſitum: & eundem, ſi non rite ſeparaverit, quæ ſeparanda erant, in cauſſa eſſe, ut Tartarus copioſe in carne generetur, e quo deinceps plurimos morbos, cum primis vero maciem ſeu tabem, exoriri. Idem judicium judicate de ſtomacho medullæ, cujus Tartarum, quamvis ſecernatur, propter pinguitudinem non coagulari, ſed formam liquoris nactum: quem tamen idcirco non minoris faciendum; quippe & hunc varios morbos, ut Rheumatiſmum, Arthritidem, Iſchiaticam & ſimiles, inducere. Tartarum, qui in ore gignitur, efficere putredinem gingivarum, cariem doloreſque dentium, &c. Tartarum ſtomachi efficere ſingulariter gulæ ardorem, anguſtias præcordiorum, & alias omnis generis torſiones. Tartarum inteſtinis inhærentem eſſe auctoꝛ-

[100] *Ibidem.* Cap. VI.

[101] De Tartaro libr. I. tractat. IV. Cap. I. Inter fragmenta habetur ſchedula, in qua hujuſmodi tartari ſpecies declarat. Ut Tartarum *pruinæ* eſſe arenæ ſubtiliſſimæ, rubræ aut albæ inſtar: *gemmæ* eſſe granula, gemmis non diaphanis & rotundis ſimilia: *grandinis* vocari, cum grana non ſint rotunda: *Uſneæ*, quando per adhærentia ſe manifeſtet.

[102] *Paramir.* libr. III. tract. IV. de orig. morb. e Tart.

auctorem colicæ, torminum abdominis, diarrhœæ, &c. Tartarum bilis pariles acceſſiones, perinde ac calculus aſſoleat, excire; cujuſmodi ſunt vomitus, bilis exundationes, tormina ventris, &c. Ex tartaro Hepatis progigni, Eryſipelatem, hydropem, fluxum hepaticum, varias febres, &c. Tartarum urinæ, cujus ſub ditione cadere venas meſeraicas, renes atque veſicam, magis ac vehementius hominem exagitare, quam aliud aliarum corporis partium Tartari genus. Humorem enim quemvis corporis, quanto magis e longinquo venerit, velut urina, tanto magis mature-ſcere & limpidum evadere, quare etiam Tartarum, qui inde fit, duriorem & acriorem: & hinc magis aptum ad hominem omni modo excruciandum. In pulmonibus autem minori in quantitate, quam alias in aliis viſceribus aſſolet, Tartarum aggregari, eſſe eundemque præ cæteris natura ſubtiliorem: proin efficere anhelationem, tuſſim, phthiſin, febrim hecticam, &c. [103] Ut autem aliquis præcaveat ſibi, evitetque, ut ne Tartarus in corpore generetur, neceſſe eſſe, ſtatuit Paracelſus, ut ventriculus cuncta ipſi immiſſa, præſertim vero, ipſum Tartarum, mitiget, vincat, deſtruat adeo, ut non amplius nocere valeat. Facere autem hæc cumprimis quaſcunque res acidulas tam naturales quam artificiales: [104] &, ut Tartarus, quamquam cum variis rebus aſſumptus, in quapiam corporis parte non adhæreſcat, præter butyrum, ſeu oleum Olivarum, vix aliquod efficacius inveniri remedium; quin minus cavendum ſibi ab iis, quæ Tartaro abundent. [105] Quod vero ad calculum pertinet, indicandum primo eſt, Paracelſum

[103] Hæc ex eodem, ut & tractat. v. dicti libri compendiſeci.

[104] Vide Cap. XVI. de morb. tartar.

[105] *Paramir.* libr. III. tractat. III. de orig. morb. e Tart.

(106)

celſum duplicis generis corporum duritiem ſtatuiſſe: alteram vocat congelatam a frigore igneo, alteram vero coagulatam, quam ortum ducere a frigore aqueo. [106] Deinde poſuit duplicem calculi materiam: alteram nobis non ſecus, ac in macrocoſmo, ineſſe: alteram in nos vel potum, vel cibum importare: utramque vero bifariam indureſcere: congelatione utpote, quam efficere igneum ſalis ſpiritum protinus, proinde ac idem ſpiritus ſalis fulmen, ex ſale & ſulphure compoſitum, illico in lapidem, ceraunium dictum, convertat: Coagulatione deinceps indurari materiam lapidis propter intenſum frigus. [107] Verum, utut hæc ſint, alibi aſſerit ſpiritum ſalis, quem heroem coagulationis appellat, omnimodam in corpore efficere materiæ indurationem. [108] Cæterum differentiam agnoſcit in lapidibus inque *Duelech.* hoc enim eſſe medium quiddam inter lapides & Tartarum, imo eſſe lapidem ſpongioſum, cum e diverſo lapis formam magis compactam adeptus. [109] His quomodocunque poſitis Paracelſus adjungit curationem omnigeni Tartari, calculi, &c. quam in hoc conſiſtere, ait, ut dicta in fluorem redigantur, ac ſub forma aquæ foras eliminentur. Bifariam, aſſerit, id poſſe fieri, medicamento ſcilicet, quod intrinſecus aſſumendum, & quod *Potentivum*: altero, quod forinſecus applicandum, & quod *Acuativum*, vocat: illius virtutem non modo Paracelſus, verum etiam Helmontius, miris laudibus prædicavit; innuitque id parandum e ludo, qui ſpecies lapidum eſt; hujus vero, *Acuativi* puta, præparationem ſatis clare tradit.

[106] *Paramir.* libr. II. Cap. VI. de orig. morb. e 3. &c.

[107] *Ibidem* libr. III. tract VI. de orig. morb. e Tart.

[108] De morb. Tartar. Cap. IX.

[109] *Ibidem* Cap. XI.

[110] Sed antequam Paracelſi placita de Tartaro mittam, breviter indicabo commenta aliqua opinionum, quarum etiam hinc inde mentio fit. Hujus generis eſt *Spara*, quam dicit eſſe vim mineralem ex *Ilech* primæ ſubſtantiæ ex *Ente* primo; vel eſſe partem præcipuam mineralium quatuor majorum, per hæc autem intelligit forſitan ſal, alumem, calcem, & vitriolum: aſſerit enim ex his Tartarum fieri. [111] Commemorat etiam gluten, quod chirurgi ſolent frequentiſſime *Synoviam* appellare. [112] Sine hoc autumat nullum unquam dolorem in membris corporis exterioribus contingere: in primis vero ſi ei aliquid ſalſi, ſive acidi fuerit permixtum. Hoc gluten ſi ultra modum fuerit inſpiſſatum, efficere articulorum quorumlibet contractionem, citra membri tamen alicujus conſumptionem. [113] Imo ipſam podagram nihil aliud eſſe, quam ſulphur in dicta *Synovia* accenſum. [114] Meminit præterea *Ideſtri*, quod ortum cœpiſſe e mineralibus per quatuor elementa; ideo-

[110] De morbis ex Tartaro tract. II. Cap. I.

[111] De Tartar. tract. IV. Cap. I. in *expoſitione* & Fragment. in Cap. III. tractat. IV. de Tartaro. Illo loco dicit vim mineralem, & humorem ſalis, humorem aluminoſum, & humorem calcis, & humorem vitriolatum, eſſe humores, quos corpori ineſſe. Et in ſupra dicta ſchedula *Spara* eſt res, in qua eſt aliquid peccans, non ſeparata a bono.

[112] Fragment. de Tart. intern. tractat. V. Cap. II.

[113] De Tartar. libr. I. tractat. IV. Cap. II. & in hujus expoſit. De cætero. libr. I. tract. II. Cap. II. ſtatuit gluten ſolum nullos dolores inferre, ſed quando ſal reſolutum, humor mineralis, vel ſalſus aliquiſpiam liquor ei fuerit permixtus, hinc acerbiſſimos exoriri dolores, imo ipſam podagram. Nam gluten ſeorſim conſideratum eſſe innoxium, & inſtar ſalis dulcis.

[114] Libro de Podagra. Cap. IV. Cæterum lib. VII. paragraphor. Cap. I. §. I. credit, nullum corporis membrum *Synovia* peculiari deſtitutum. In renibus Synoviam ſe manifeſtare colore rubro: in ſanguine, rubicundiore: in cerebro, cinereo albumineque ovi craſſiorem: in ſplene, atro: in bile, luteo & craſſa forma:

ideoque in eo conjunctionem *Humoralem*, naturalem & mineralem ineſſe. [115] Tartarum reſolutum, ob abſentiam ſalis, haud exciere quidem dolorem; verum propter deficientem vim renum, ejuſmodi Tartarum digerendi, facile putreſcere, accipereque formam ſaniei, quam appellat *Puſtam*; quamque pronunciat nullius, aut ſaltem difficillimæ, curationis. [116] Sed miſſos faciam morbos e Tartaro oriundos: ſatis ſuperque enim arbitror me eorum feciſſe mentionem: ad alios properabo. Verum, quo me vertam, neſcio? Siquidem non poſſum non perturbate dicere, quia Paracelſus ſimiles inter ſe morbos nonnunquam confudit. Non mirum proinde, ſi mihi, dogmata ejus ad compendium conferenti, idem citra voluntatem meam uſu veniat.

BARCH. Non cauſſare præpoſterum confuſumve dicendi ordinem. Nos ipſi non ſumus neſcii, quantum tibi faceſſitum ſit negotium. Niſi te tædeat ſuſcepti laboris, perge modo, amabo, Paracelſi de morborum origine opiniones, reddere.

HELV. Ex *Iliado* quidem ſtatuit, morbos univerſim exoriri: hunc quippe omnigenis rebus tum ad ſanitatem tum ad corporis ægritudinem ſpectantibus, refertum: Singulatim tamen cum de unoquoque morbo dicit, alias atque alias exhibet morborum cauſſas. Præter dictas, quas paulo ante commemoravi, ratum habet, primum morbum, qui corpus humanum corripuit, e ſale acri corrodenteque natum:

forma: in matrice, forma craſſa ac tenaci: in medulla tandem ſub forma ſpicea & viſcida. Et quantum ad ejus utilitatem pertinet, ſenſit *Paracelſus*. §. 2. quod *ſynovia ſit partis ſuæ nutrimentum, & conſervatio retentivæ & motivæ virtutis, ex viribus virtutis digeſtivæ.*

[115] De Tartar. libr. 1. tractat. IV. in Cap. II. expoſitionib. & in annotationibus Cap. III. Tractat. IV. inter Fragmenta collocatis.

[116] *Ibidem.* tractat. V. Cap. I. & ſcholiis in hunc tract.

ſecundum e ſale vitriolato: [117] reliquis aliam cauſſam adſignat. v.g. omnes tam internas quam externas ægritudines, quæ conjunctam habent & inflammationem, & tumorem, & eſcharam, exiſtere ex arſenico: imo ne mortem quidem, quomodocunque naturaliter evenerit, non excipit. A Mercurio naſci cunctos morbos, qui natura calidi ſunt, atque punctiones ſanguineaque apoſtemata inferunt. Ex alumine ſciſſili hydropem, tumores ulceroſos, &c. Ex Alumine plumoſo morbos cum fiſſuris. Ex glacie, qui e vento dureſcunt, ut Hernia ventoſa, &c. E ſulphure paralyſin, lethargum, apoplexiam, &c. E vitriolo, ulcera rubra, ſicca, ſerpentia, tumoreque carentia. E vitriolo albo, canceronomata, &c. E ſale communi, qui per ſe conſolidatur, ut abſceſſus, &c. E ſale acuto, apoſtemata mortifera, ut anthrax, &c. [118] E Nitro tres morbos primarios, ut (1) febrem quamcunque intermittentem, quam definivit, quod ſit motus Nitri cum frigore primum, dein calore, in ægrum invadens: (2) carbunculum, quem quidem cum algore incipere, at poſtea jugi calore finire: ſubque hoc complecti Anthracem, peſtem, phlegmonem, &c.: (3) Flammulam, quam definivit eſſe morbum, tam frigore quam calore afligentem. Equidem a calore ſeu caput, ſeu alia corporis membra, perpetim infeſtari, inducique deliriationes: verum tamen contingere hæc omnia citra ullum aut abſceſſus, aut exulcerationis obortæ, indicium. Hoc morbi genere complexæ ſunt febres arden-

[117] De Tartaro libr. 11. tract. 11. Cap. 1v. in *commutatione*. vide etiam ſupra no. 83.

[118] Vide Fragment. Tom. 1. *Conceptum aliud.* Et *Paramir.* tractat. 1. Cap. 1x. ſcribit, *nullum uſquam morbum ſine certo veneno affligere. Venenum ſiquidem cujuſlibet morbi principium eſt, ex veneno omnes morbi emergunt, tam externi, quam interni, nullo excluſo.*

ardentes, ſynanches, &c. Progenerari autem iſtiuſmodi morbos, quia Nitrum ſit rei cujuſcunque, eſui aptæ, ſordes; quinimo, dum putrefactionem quoquo modo in corpore efficit, auctorem putridi corruptique ſanguinis eſſe. Febrium itaque intermittentium periodos variare, prout Nitrum aut ocyorem, aut tardiuſculam, in dies ſubiverit, putredinem. [119] Alibi ſcribit Materiam peccantem in febre eſſe ſulphur & ſal petræ: idcirco febrem finivit morbum nitri ſulphuriſque accenſi. [120] Apoplexiam & fulgur prorſus inter ſe, qua generatione, qua operatione, convenire: imo utraque inter ſe cum proprietate tum poteſtate ſimilia. Compertum enim eſſe de fulgure, quod ſalva intactaque, vel ciſta, vel vagina metallum, in alterutra reconditum, fundatur: ſimiliter apoplexiam varias corporis partes interiores liquefacere, cute interea illæſa. [121] De Epilepſia ſtatuit, quod ejus dentur quatuor ſpecies ſecundum elementorum numerum: & aliud morbi, ab eo *Realgar* nomitati, genus eſſe, ſi originem a chaos, i. e. ex aëre: aliud, ſi ex aqua, &c. duxerit; Enimvero ſuum cuique elemento eſſe *Realgar*. [122] Primum ſuffocationis mulierum originem eſſe e cœlo viri, mulierem taliter afficiente. Quod ſi morbus in actum deduci debeat, virum tunc ægreſcere in caduco: videlicet ejus ſidus eſſe caducum; aut id propenſionem ſaltem ad ejuſmodi ſtatum habere. [123] Hydropem eſſe paſſionem

[119] Ita libr. IV. de Tartaro *nitreo*.

[120] De Peſtilitate tract. 1. Cap. V. At Fragm. de Tart. cos. 1. 3. Paracelſus audacter aſſeverat, quod, niſi Tartarus exiſtat, febres nullæ unquam ſint orituræ. Proprietates enim febrium conditione Tartari, putat, eſſe deſignandas.

[121] Libro de Apoplexia. §. 3.

[122] Paragraphor. libr. III. Cap. II. §. 1. 2. 3.

[123] Plura vide *Paramir.* libr. IV. de orig. morbor. matric.

nem in regione jecoris e Tartaro aluminoſo ortam: fierique per ſpiritum mineralem, viſceris iſtius partium reſolutionem, [124] vel ſtellam hydropicam, quam *Zedos* apellat, ſalem Microcoſmi irradiare, ac portionem ejus, pariter ac Sol vinum, liquare; quam per poros carnis deorſum tendere, tumoreſque hinc concitare ſero repletos. [125] Mira plerumque Paracelſo eſt vocabulorum abuſio, quid mirum? erat enim licentioſus, atque id citra neceſſitatem, novorum vocabulorum fictor, commentorve. Aſſertum meum non puto egere ulla demonſtratione. Nam abunde in præſentia a me audiviſtis, neſcio, quotquot Barbara vocabula. Habet plura, ſed quis eſt potis omnia enarrare? Indicabo modo paucis Paracelſum abuti vocabulis diarrhœæ, dyſenteriæ, lienteriæque: quas, ſtatuit, non modo vitioſas alvi ſecretiones; verum, ſi ejuſmodi materia, quæ in quibuſvis ſolebat per alvum excerni, itidem, ſive per os, ſive per veſicam, excernatur, non dubitat tunc affectum dyſenteriam, lienteriam, &c. vel urinæ vel vomitus, nominare: quorum affectuum, a diſſolutione ortorum, tria ponit genera. In primo album: in altero rubrum: inque tertio, laxum excerni. [126] Peſtem finivit, quod ſit morbus ab *Iliado* arſenicali ſeparatus. [127] Secretionem autem fieri ſecundum tempus *Arlatum*. *Arlatum* tempus eſſe, quo corpora compoſita contra ordinem *Iliadi*, qui ternas habet perio-

[124] Fragmentor. libr. IV. annexor. no. 4.

[125] Libro de Hydropiſi. §. 6.

[126] Paragraphor. libr. 1. §. 3.

[127] De Tartaro libr. II. tract. II. Cap. III. & Cap. II. ejuſdem libri dicit, Peſtem eſſe aërem ſuæ regionis, ex primo corpore generatum, *oppilatum* ſine egreſſu de Materia arſenicali, & *Opprimechtioli*: *Opprimechtiolum* autem vocat quemlibet fumum ex metallo vel minera exſpirantem.

periodos, reſolvantur. [128] Vocabulo Criſis Paracelſus quoque inuſitatam tribuit ſignificationem. Dicit enim Criſin eſſe ſpatium temporis, a principio morbi aduſque principium mortis. Primam diem, per excellentiam Criſin: ultimam, qua fuerit reſolutio morbi facta, appellat creticam. Memoratque inſuper Criſin arſenici, Criſin Mercurii, ſulphuris, &c. &c. nec non indicat quot diebus, ſive quot horis, quæque terminetur. [129] Quantum denique ſpectat ad curationem morborum, Paracelſus pie ſtatuit. Deum, O. M. cujus omnipotentia rerum univerſitatem moderatur, Medicum eſſe ſummum, [130] eundemque hominum valetudini tum ſecundæ, tum adverſæ proſpexiſſe in tantum, ut ea, quæ aut incolumitatem ſartam tectamque conſervant, aut infirmitatem valetudinis tollunt, ipſis præſto eſſent. Rem Medicam fore perbono loco futuram, ſi modo medici ſedulo ante dictorum inveſtigationi darent operam. [131] De cætero medicorum ſectas, vel potius genera, enumerat quinque. Sub primo collocat Naturales, qui more veterum, qui frigidum calido, humidum ſicco, plenitudinem evacuando, inanitatemque expletione, &c. curabant, ſimilem quoque corporis ægritudinibus curationem adhibent. Secundi generis nominat *Specificos*, quos propter ſingularem formam proprietatemve alicujus rei morbo Medicinam facere; non diſſimile ſane modo, ceu Magnes ferrum ad ſe allicit, quem id non peragere reſpectu primarum

[128] De Peſtilitate tract. II. Cap. I. §. 2. Primam periodum vocat juvenilem, & ad ſtatum pertinere abſque ſeparatione: ſecundam eſſe morbi, & ad ſecundam mundi partem declinare, & ætatem afferre ſanitati contrariam: tertiam vero finem eſſe, & mortem adducere.

[129] Vide libr. II. tract. II. Cap. IV. de Tartaro.

[130] *Paramir.* tract. V. Cap V.

[131] *Ibidem* libr. II. Cap. VIII. de orig. morb. c. 3. &c.

qualitatum, ſed ratione ſingularis, nobis etiamnunc incompertæ, virtutis. Tertii vocat *Characterales*, quos incognitis characteribus, ut & incognitis nobis vocabulis, omnes morbos curare: *Spirituales* quarti generis vocat, hos enim noſſe herbarum radicumque ſpiritus cogere uſque adeo, ut ægrum, quem infirmarunt, rurſus ſanent. Quinti tandem generis appellat fideles, quia, pariter ac Chriſtus & ejus diſcipuli, per fidem morbo medentur. [132] Quod ad medicamenta attinet, Paracelſus miris laudibus extollit *Mumiam*, incredibiles eidemque aſſignat virtutes. Mumiam autem dicit ipſum hominem: [133] alibi vero hominem, qui animam exuit: tum florem ejus, in viribus & arcanis naturalibus, erumpere. In hujuſcemodi Mumia reperiri omnes omnium vegetabilium mineraliumque proprietates. *Marchaſitam*, gemmas, antimonium, opopanacem, Meliſſam: ad ſummam omnia naturalia in Mumia ineſſe. Multam in noctem medius fidius oporteret me ſermonem protrahere, ſi abſtruſiorem Mumiæ naturam penitus indicare animum inducerem, quamobrem hanc impræſentiarum miſſam faciam. [134] Medicamen omne habet inutile, quod ineptum eſt ad computreſcendum: putrefactionis enim auxilio recludi, inque actum deduci remediorum quorumcunque facultates. Deridiculo eſt Paracelſo percontatio dimenſioque facultatum medicinarum per gradus caloris, frigoris, &c. [135] Sed vim plantæ alicujus nos paucis veſtigiis poſſe indagare, contendit, contemplatione utpote coloris

[132] Vide *Paramir.* prolog. II. & III.

[133] *Paramir.* libr. II. Cap. II. de orig. morb. e. 3. &c. ubi inſuper addit, Mumiam eſſe balſamum, vulnera ſanans.

[134] Plura ſi deſiderentur, videatur tunc introitus libr. IV. de orig. morb. *inviſibl.*

[135] *Paramir.* libr. II. Cap. I. de orig. morb. e. 3. &c.

loris florum. Etenim, quot diverſi generis colores floribus; totidem & eos virtutibus præditos diverſis. Quamvis ita innoteſcat plantarum vis an una, an plures ſint; tamen hanc inventionem non ſatis eſſe, judicat, ſed præterea explorandos ſeptem gradus & ſapores ſalium, per cujuſlibet plantæ in ſua principia reſolutionem: ſe enim de ſale abſinthii compertum habere, glorioſe dicit, quod ejus ope poſſint quatuordecim morbi perfecte ſanari; cum ſulphure ſex magni: liquore autem abſinthii ultra centum & ſex. Item ſaccharo plumbi, triginta & duobus morbis ſe curationem adhibere poſſe: alterutro autem vel ſulphure, vel Mercurio Plumbi auxiliante, jactat, ſe mederi octoginta ſeptenis affectibus callere. [136] Plura quidem hujus generis in medium poſſem proferre: verum, quoniam inter omnes conſtat, Paracelſum fuiſſe gloriabundum, capropter finem dicendi nunc faciam.

Le Mort. Et nos ſatis temporis apud te commorati ſumus. Quod ſupereſt de Chemia dicendum, in craſtinum differamus: manebo enim negotiorum cauſſa apud amicum hodie.

Helv. Rogo itaque, ut non modo tu, ſed & vos cæteri cras me viſum veneatis, pergratum ſane mihi eſt ſemper, quoties occaſionem capto vivendi eruditorum in conſortio.

[136] Vide de Peſtilitate tract. 1. in fine fere.

DIALOGUS. XVI.

De Severini, Crollii, Scheunemanni, & Helmontii, hypotheſibus.

INſequente die ſtetimus promiſſo, & horam ex conventu pridiano obſervavimus. Haud diu una cum Helvetio eramus, cum ego cæteros admonerem de conventis heſternis, ac inſimul rogarem, ut ad propoſitum ſine tergiverſatione redirent.

Tum HELVETIUS. Tu plerumque alios ad diſſertationem impellis, quid cauſſæ eſt, quod tute non aliquid in medium profers? Tu doctrinæ laude non es nobis inferior.

BARCH. Hercule jocus opportunus! quaſi vero ego mihi non conſcius eſſem, me a doctrina mediocriter modo inſtructum. Præterhæc opinor vos non ignorare, quod ita mos apud nos obtineat, ut ætate provecti, quia magis ac magis in ſuis rebus, quam juniores, experti, teneant cœtum dicendo: juniores autem deceat eſſe auſcultatores. Sed noli evagari, mi Helveti, nec declinare munia quibus heri egregie functus es. Redordire incœptum, perſequereque rurſus progreſſum ratiocinii Chemici.

HELV. Quandoquidem inſtanter flagitas, non poſſum non, quin tuo dicto ſim audiens. *Petrum Severinum*, virum ſane in ſtudio literarum oppido verſatum, habeo in numero ſectatorum Paracelſi, qui doctrinam hujus in primis poſteritati propagavit. Pauca e libro, cujus titulus eſt, *Idea Medicinæ Philoſophicæ*, libabo. Sed ad rem. Elementa, poſuit, totius creaturæ receptacula, hæcque in duos globos eſſe diſtributa: unumquemque vero globum complexu ſuo continere bina elementa: ſuperiorem globum, cœlum vel ignem

ignem & aërem: inferiorem autem, terram & aquam complecti: & hæc, cum in vicinitate verſentur, abſque ullo negotio invicem conjugari, conſervari beneficio tamen balſami & radicalis tincturæ: abſque hoc enim ſi eſſent, nec miſceri, nec corrumpi, tum poſſent. Quadruplicavit more Paracelſi dicta elementa, ac ſtatuit ignem terreſtrem, aërem terreſtrem, &c. Terram cœleſtem, aquam cœleſtem, &c. hæcque omnifariam cunctis rebus ineſſe. Imo, quod notatu dignum, Elementa hæc, aſſerit, eſſe loca, matrices, domicilia vitali validaque poteſtate munita, quæ ſemina, generationi conſecrata, foveant, digeſtis temporibus ſuſcitent, ad maturitatem promoveant. Et quia loca ſunt, incorporea ſint, neceſſe eſſe. Etenim, niſi dimenſionum legibus carerent, nequaquam tunc tantam corporum, principiorum & ſeminum multitudinem, tam facile, ut aſſolent, recipere poſſent: infinita tamen non eſſe, quoniam vitalis virtus ipſis fines, ſeu terminos, præſcribat. [1] His quomodocunque poſitis, non inficiatur Severinus, Hermetis diſcipulos, inſtituta corporum artificiali ſecretione, manefeſtius dicta elementa conſpexiſſe, introduxiſſeque magna utilitate principia potentiora, ſeminum proprietates, conditiones ac naturam magis explicantia. Triplicis generis eſſe hæc corporum principia, & nomine Salis, Sulphuris & Mercurii innotuiſſe. Neque vero horum unumquodque eſſe ſimplex, ſed ſuum cuique eſſe Sal, ſuum Sulphur, ſuum Mercurium. Haud diſſimile modo comparatam eſſe animalium, vegetabilium mineraliumque naturam. Singula enim habere proprium Sal, Sulphur, & Mercurium: ideoque hujuſmodi principia

[1] Hæc e capite v. excerpſi, ac breviter, quoad fieri potuit, deſcripſi.

cipia genere quidem, ſed non ſpecie, inter ſe ſimilia. [2]

ANONYM. Tu iterum abſtruſiorem memoras Phyſicam, in quam cogitationes meas, propter tot inſerta vocabula obſcura, abjicere non valeo. Tu Balſamum, Tu vitale principium. Tu ſemina, & neſcio quæ plura, pandis. Diſſere de his, ſi allubeſcit, ut, quid ejuſdemmodi vocabula ſignificent, percipiam.

HELV. Vitale principium, cujus virtute vivere vigereque omnia, nomine Balſami, ſulphuris vitalis, humidi *radicalis*, Mumiæ, &c. nuncupat. Quid? nomina hæc qualiacunque non ſufficere ad dona tam divitis Naturæ declaranda. Quippe generationem, ut & *tranſplantationum* varietatem: imo univerſæ fundamenta Naturæ in hoc Balſamo contineri. Tale Balſamum præterea ſicut fontem, & principem omnium actionum, quæ in hoc mundo oboriuntur, conſiderandum: eſſeque illud calidum innatum, quod Hippocrates pronunciavit creſcentibus plurimum ineſſe; idemque corpori, ut ne putreſcat, pro ſale, vel loco ſalis, datum. Hoc non uniuſmodi, ſed reſpectu corporum, diverſum eſſe. Id Balſami genus enim, quod animantibus ineſt, ſubtilitate oppido multum antecellere plantarum mineraliumque Balſamum. Et, ut cujuſdammodi cogitatum dicti balſami habeatis, dabo exemplum grani, terræ commiſſi. Id, arbitratur *Severinus*, putreſcere, reſolvi, perire; *radicalem* tamen humorem, vel Balſamum, in quo totius ſeminis ſtructura & poteſtas vigent, ſervari: quem quoque in cauſſa eſſe, ut corpus novum mundi in ſcenam appareat: ſin vero id Balſamum fuerit quoquo pacto, ſeu frigore ſeu calore intenſo, &c. abactum, ſterileſcere granum, vel ſemen quodvis, evaſiſſeque progenerandæ plan-

[2] Ita Cap. VII. philoſophatur.

(3) Hoc

plantæ, &c. inhabile. [3] Quantum ad ſemen pertinet, ſciatis, velim, vocabula ſeminis, Aſtri, radicis, principiique a *Severino* promiſcue, & tanquam ſynonyma, uſurpari. Quantum vero ad ſeminum naturam attinet, ſtatuit, ſemina eſſe vincula utriuſque Naturæ viſibilia inconſpicuis conjungentia. [4] Alio loco definivit ſemen, quod ſit principium vitale, in ſe continens ſpiritus mechanicos & Tincturas univerſæ ſtructuræ individui cujuſcunque. [5] Sic etiam ſemen in cauſſa eſſe, ut cuilibet corpori ſit peculiaris forma, color, odor, &c. ſurdum propterea atque cœcum habet omne ſapientiæ ſtudium, quod, neglecta ſeminum contemplatione, privationem, materiam informem, & qualitates venetur mortuas. Etenim ſemina eſſe inconſpicua, ac pura, omnis generationis, omniſque corruptionis, expertia: verum elementa nobiſcum negotiari, commorari, ſenſibus (ſed ſapientum) ſæpenumero repræſentari. [6] Indiſſolubili nexu, ait, ſemina elementis conſerta cohærere, & vix ulla mentis ſubtilitate disjungi poſſe; hinc etiam cenſuram ſenſuum plane repudiare. Si elementis ita cohærent, quid mirum? ſi nuſquam corpora, ſeminibus penitus deſtituta, reperiantur. Quæ cum ita ſe habeant, conſequitur incredibilem innumerabilemque, ſeminum varietatem, in hoc univerſo proſtare. [7] Quid? quod ipſa cujusvis rei generatio ſita in ſeminum progreſſione, quam tamen ipſos ſpiritus mechanicos perficere. Namque apud hos vigere ſcientiam, cujus poteſtate, elementa, corporum principia conſentanea, ex alimentis opportuna mixtione aucta, ex inconſpicuis viſibila, ex incorporeis corporea,

[3] Hoc pacto ratiocinatur. Cap. II.
[4] Ita Cap. VI.
[5] Taliter Cap. VIII. de ſemine differit.
[6] Vide Cap. VI.
[7] Ita Capite VII.

porea, evadant; partiumque numerus, ſitus, conſenſus, figuræ, magnitudines, &c. ſecundum *prædeſtinationes* dictæ ſcientiæ definitis temporibus, abſolvantur. Hos ſpiritus, inquit, noſſe ex iiſdem elementis cor, cerebrum, hepar, nervos, venas, arterias, oſſa, &c. conformare. [8]

ANON. Oh, quanta quidvis fingendi licentia? Quid opus eſt, refugium peragendæ generationis capere ad ſpiritus *architectonicos*? Nonne ſufficit, mihi Hercule ita videtur, ſtatuere, in ſemine latere rudimenta formæ, ſeu ſtructuræ, vegetabilium vel animalium. Calorem modo eis forinſecus adventare, excitarcque in ſingulis prolis futuræ adumbrationibus, vel partibus, quandam motionem; cujus adminiculo poſtmodum, vel e Tellure in plantam, vel ex utero in fœtum, idoneum nutrimentum, augmento vel extenſioni alterutrius, inſerviens, impellatur. Adhæc, non capio *prædeſtinationem*, a te jamjam memoratam. Vultne *Severinus* eandem, ut ſacrorum interpretes?

HELV. Ut mentem ſuam de hac verbis explicaret, citat locum e Libro Hippocratis de diæta, ubi Princeps Medicinæ, explicatis generationis & corruptionis modis, propoſita dogmata finit hac clauſula, *omnia fieri per divinam neceſſitatem*. Hanc, inquit, *Severinus* eſſe illam *prædeſtinationem*, a Paracelſo toties decantatam. [9] Tu voca hanc inſtinctum naturalem, aut alio quovis nomine, per me licet: Ego interea perſequar inſtitutum. Quandoquidem cuncta viventia, philoſophari pergit *Severinus*, vitæ unitate, principia & exemplaria ſua imitentur, mixtionem ideo Naturam fuiſſe molitam, & illam eſſe ſitam in unione diverſarum quidem rerum, atta-

[8] Talia capit. VIII. & X. habentur.

[9] *Ibidem* Cap. VIII.

(10)

attamen ſecum conſpirantium. Subjecta mixtionis eſſe elementa, & corporum principia, ex alimentis virtute & ſcientia ſpirituum mechanicorum, productæ. Nam tum primum fieri mixtionem, cum ex incorporeis corpora, ſed plane ſpiritualia, conficiantur: [10] Reciprocari autem hæc plurimum inter ſe, ac produci ex ſpiritibus corpora, & rurſus corpora in ſpiritus reſolvi: quinimo diſcrimen utrorumque in hoc poſitum, quod corpora ſint ſpiritus craſſiores; e diverſo ſpiritus corpora ſubtilia purioraque. [11] De cætero ſtatuit omnifariam fieri mixtionem. Etenim aut elementa invicem, aut hæc cum principiis: aut principia invicem, nec non omnia ſimul ſubinde, miſceri Verum enimvero, utut hæc fuerint poſita, non dubitat tamen mixtionem ad tres claſſes redigere. Scilicet, aut perfectum perfecto, aut impurum impuro, aut puro impurum, miſceri; optimum vero mixtionis modum, autumat, ſi quando purum vel perfectum cum puro miſceatur. [12] Præter dicta, ut ad alia me recipiam, *Severinus* amplectitur opiniones Paracelſi, majoris cum minori mundo analogiam quandam ſtatuentis. Exempli gratia. Meteora, quæ in magno mundo eſſe producta & ignis & aſtrorum, in nobis eſſe febres, Epilepſiam, hydropem, catarrhos, &c. Septem metalla ejuſdem indolis, ut ſeptena principalia corporis viſcera. Mineralia plurima de potentia deque effectu convenire quodammodo cum lepra, alopecia, ſcabie, cancro, &c. Eandem conditionem eſſe urticæ, aronis, flammulæ, &c. ut puſtularum, pruritus, herpetis, &c. Ita etiam Meliſſæ, violarum, Chamædryos, ut ſpirituum vitalium cordis, cerebri, atque hepatis. Hæc, imo his

[10] Sic Capite IX.
[11] Vide Cap. II.
[12] Ita Cap. IX.

his longe majora myſteria, humanam Naturam oſtendere, ſi modo oculorum non vulgari acie conſiderentur. [13]

BARCH. Da mihi veniam interfationis, habetne *Severinus* quædam ad originem, & differentiam morborum ſpectantia?

HELV. Enimvero habet, ſtatuit enim primam rerum faciem fuiſſe puram, integram, perfectam, ſine corruptione, ſine morte: At enimvero poſt prævaricationem Adami, primis ſeminibus, maledictione Divina, novas ſuperveniſſe tincturas, quarum mixtione calamitoſam in ſortem, tranſplantatam eſſe totius creaturæ pulchritudinem. Hæc utcunque ſit, remanſiſſe nihilominus prima ſemina, ſed novis ſed infelicibus obducta veſtimentis. Morbos autem partitus eſt in tres claſſes. In prima collocavit morbos hæreditarios, cujuſmodi propter propagationis conſtantiam, præſentem *ſeminis* vigorem demonſtrare: in altera contagioſos, quales indicare *transplantationis* documenta: in tertia denique eos, qui tempori, Regioni, ætatique proprii ſunt; atque hujuſmodi eſſe documento, radices morborum dari. Porro dividit ſemina ratione originis ſuæ, quam vel ab Elementis, vel a Planetis, duxere. Quo poſito, arbitratur, dari morbos aqueos, terrenos, &c. vel Saturninos, Martiales, Mercuriales, &c. Neque vero hos omnes ejuſdem eſſe Naturæ, ſed ſingulas ſpecies juxta trium principiorum diverſitatem a ſe mutuo etiam diſtingui. Exempli gratia Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſim, &c. eſſe quidem morbos Mercuriales; ſingulos tamen alia atque alia individuorum ſobole conſpicuos. Reliquorum eandem eſſe conditionem. Adhæc ſemina, tametſi in generationum initiis

[13] Hoc modo Cap. IV. differit.

initiis in ventriculo radices agant, ac ſpiritalem in formam reſoluta aliis rebus permiſceantur; nihilominus potentiam in iis ſuperſtitem, mixti coagulationem efficiendi. Indeque ortum capere morbos a lentore *Tartareo* ortos, quorum cauſſam ſpiritum quempiam, vel aluminoſum, vel vitriolatum, vel *cachymialem*, *bolarem*, &c. eſſe. Namque, ſpiritibus ventriculi mechanicis, ab aluminoſis & ſtipticis tincturis, inquinatis, dextre perfici tunc neutiquam poſſe humorum corporis alterationes, reſolutiones, ſecretiones, &c. quoniam corpus tunc tarde miniſterium ſuum abſolvat. Præterhæc non modo planetas, verum etiam cætera aſtra, ad nos mittere influxum, omnimodorum affectuum auctorem. Sic Plejades, Hyades, Piſcium conſtellationem, &c. demiſſa cœlo in Aërem influentia, in corpore humano efficere pigritiem, ſomnolentiam, &c. quidni concludendum inde? inſtat argumentando, illis de proprietate ſomnifera convenire cum papavere, Mandragora, Vitriolo, &c. Similiter Bootem, Urſam, ſidus Aquarii, poſtquam eorum contagio ad aërem pertinuerit, ac ita fuerit inſpirata, importare corpori tuſſim, dyſuriam, horrorem, articulorumque dolorem. Et quia opinatur, hæc omnia contingere ratione cujuſdammodi acrimoniæ, acoris, &c. judicat, illis itidem pariles, ut aceto, alumini, acaciis, &c. virtutes eſſe. Pari modo ratiocinatur de aliorum Aſtrorum effectibus, quibus brevitatis cauſſa ſupersedeo. [14] Quod ad ſigna & differentiam dolorum corporis pertinet, exiſtimat *Severinus*, ſpiritum vitrioli, æruginis, tartarive, vehementiores, quam aluminis & ſalis gemmæ, dolores, producere: omnium acutiſſimos eſſe, quos ſpiritus ſeu ſalis ſeu Nitri efficit: frigoris auctores eſſe vel acetoſæ, vel aluminis,

[14] Plura vide Cap. XII.

vel Berberis Tincturam: ruborem, calorem, inflationem pulsationemque, inducere Tartari æruginisque Tincturam, spiritibus arsenici permixtam. Quod supereſt, defendit Archigenis placita, vocabulis saporum dolores quoscunque, corpori obortos, nuncupantis. [15] Tandem morborum omnium curationem putat bifariam instituí posse: & quidem alteram, quam universalem appellat, absolvi uno eodemque remedio, impuritates omnis generis morbosas consumente, auferente, vel Balsamum innatum restaurante, mitigante, corroborante: singularem vero, secundum omnimodas morborum indicationes per idonea, e tribus Regnis desumpta, medicamenta, absolvi. Quamobrem autem hæc operationes suas perficiant, non melius nos addiscere posse, quam per artificialem corporum resolutionem; cujus beneficio, substantiarum facta sejunctione, in conspectum venire corporum proprietates, quæ antea compositionis virtute occultabantur. Sic diu multumque plures in dubium vocasse opii vim stupefaciendi, cum tamen sit res amara, quæ alioquin generaliter calida habetur: aliis interim primis, aliis secundis, corporum qualitatibus, ejusdemmodi facultatem tribuentibus: sed futilitatis plena esse horum judicia; siquidem facta opii per ignem resolutione, sibi innotuisse, asseverat *Severinus*, oleum quoddam, vi somnifera præditum, pariter ut tale in vitriolo, inque quibusdam plantis, non raro inveniatur: Præterea acquisivisse Sal, facultate sudorem ciendi, dotatum. Pari modo se processisse, ait, cum vini diversam potentiam esset explorandi animus. In spiritu vel Mercurio, quia is hominis spiritibus quadantenus conformis, virtutem vini, corpus corroborandi animumque exhilarandi, sitam: Sal

[15] Vide Cap. XIII.

(16)

Sal Tartareum autem, alteram vini partem, in cauſſa eſſe, ut ii, qui conſueverunt in ſe crebro merum ingurgitare, ſæpe ſæpius doloribus Podagræ, colicæ, calculi, &c. torqueantur. [16]

BARCH. Satis ſuperque de dogmatibus *Severini*, verba feciſti, narra nobis, ſi volupe fuerit, de poſteris, de eorundemque doctrina.

HELV. Faceſſis mihi negotium, ad quod explendum non una, ſed pluribus horis, eſt opus. Contraham tamen orationem, ut tibi aliquatenus morem geram, & reddam quomodocunque, quæ reſtant: initium autem ſermonis a *Crollio* facturus. Is, quamvis non multum mentem ad ratiocinia appulerit, habendus tamen eſt, ut ex ejus ſcriptis liquet, in numero ſectatorum Severini; cujus, ut & Paracelſi, doctrinam miris laudibus prædicat, eandemque ſcriptis exaggerat adeo, ut nihil ſupra. Præter dictorum auctorum ipſi propria non ſunt dogmata: verumtamen dedit ſibi negotium de decantata majoris cum minori mundo ſimilitudine, quam vocant *ſignaturam*, peculiarem in lucem edere tractatulum: in quo oſtendit, plurimas res, ob aliquantam conformitatem & formam, quæ ipſis cum homine intercedunt, indicare uſum & vires, quibus pollent multum in Medicina. Hartmannus Crollio doctrinæ laude non eſt inferior, utroſque Libavius ſcriptionis libertate perſtrinxit exagitavitque partim ob complura, eorum ſcriptis inſerta, ſuperſtitionem redolentia, partim ob alia, quæ vel a Religione Chriſtiana, vel a Philoſophia Ariſtotelis, ſunt aliena.

Le MORT. Præpropera, Hercule? Tibi eſt feſtinatio. Tu citatim ad alios contendis auctores; cum tamen non pauca dicenda ſunt de Doctrina Crollii.

[16] Ita Cap. XIV. argumentatur.

Concedo equidem Crollium fuiſſe Paracelſi Severinique ſectatorem: at enimvero non negabis quoque eundem perplura, ab his conciſe obſcureque dicta, amplificaſſe, dubiaque perſpicuis, ut ipſi ſaltim videtur, illuſtraſſe.

HELV. Quandoquidem hæc in memoria habes, verſeris, velim, in munere meo, & tradas, quæ tibi notatu digna habentur.

LE MORT. Tantas opportunitates habet amicitia, ut mihi, hactenus auditori, tuum valeat injungere munus. Sed ne videar me contra te tergiverſari, memorabo opiniones Crollii, tametſi cum Paracelſi vel Severini perſæpe concordent, & eas cum primis, quæ mihi maxime memorabiles habentur. Verum ad rem. Firmamentum, quo intelligit cœlum ſtelliferum, ſtatuit eſſe lumen Naturæ, unde omnia naturaliter homini influere. Etenim, ſicut corpus primitivum attrahat elementa per famem & ſitim: ita ſpiritum ſidereum hominis a radiis ſuperiorum ſiderum, omnes artes, ſcientias, & facultates, omnemque ſapientiam humanam. [17] Hunc ſpiritum vocabulo laris, penatis, Dæmonis boni, hominis umbratilis, & neſcio quo amplius, nuncupat. [18] Hominem, creaturarum præſtantiſſimum, nobiliſſimumque,

[17] Ut nequis in animum inducat, me mea modo cogitata memoriæ mandaſſe, oportet *Crollii* præfationem *admonitoriam*, ex qua hæc in qualemcunque ordinem redegi, juxta ſeriem paginarum, proferre: quippe eam auctor, ut liquet, in membra haud diſpertivit. Uſus autem ſum editione M. DC. XXXV. a *Michaele* in lucem in 8. prolata: in qua antememorata pag. 48. habentur.

[18] Pag. 70. Penatis nomine eum nuncupari, quia penes nos, ſeu nobiſcum naſcatur. Præterea eum appellat familiarem ſophorum homunculum, internum Paracelſi *Adech*, ſpectrum, Naturæ lumen, Eveſtrum præſagiens, & propheticum in homine, imaginationem, quæ in ſe claudit omnia aſtra, eſſeque omnia aſtra, & eundem cum cœlo retinere curſum, naturam atque potentiam.

(19)

que, quia totius mundi partes habeat, imo nihil ſit in majori, quod non reapſe in minori mundo reperiatur; [19] corpus Phyſicum quidem a Terra ſeu elementis; ſidereum autem corpus, quod eſt domicilium animæ, ab aſtris cœli, accepiſſe. [20] Siquidem vero hoc inviſibile, eam ob cauſſam appellat hoc ſpiritum, primordia generis, ut dixi, ex aſtris ducentem, quem tamen una cum corpore terreno interire. Præter hunc & alium nobis ſpiritum eſſe immortalem, a Deo inſpiratum. [21] Eundemque omnis generis diſciplinarum capacem: quinimo omnimodæ plenum ſcientiæ, & id quidem priuſquam corpori fuerit adjunctus. Quibus conceſſis ſequi cunctarum notiones rerum nobis eſſe ingenitas: haſque indigere modo excitatione noſtra, ut in apricum proferantur. [22] Præter hæc, ſtatuit, hominis, quatenus corporeus eſt, parentes eſſe cœlum atque Terram: ideoque, qui parentes noverit, eundem facili negotio cognitionem filii aſſecuturum. [23] Corpus hominis Phyſicum nil aliud, quam Sulphur, Sal & Mercurium, idque nutrimentum a Terra capere; ſed ſidereum, effluviis aſtrorum victitari. [24] Tantam huic ſpiritui eſſe virtutem, ut, quorſum ille imaginetur, ipſum corpus ſimul attollat atque traducat, teſte noctambulone, & aliis. Et ſi homo ſecundum hujus inſtinctum, quod alias vocant vivere ſecundum carnem, vitam tranſigat, planum tunc fieri, an ei conveniant epitheta canis, vulpis, lupi, &c. quorum hinc inde in S. S. fit mentio. [26] De cætero Hominem, cum ſit majoris mundi

[19] Vide pag. 67.
[20] Pag. 61. & 133
[21] Ita pag. 59.
[22] Hic. pag. 51. Platonis ſententiam amplectitur.
[23] Pag. 26.
[24] Pag. 45. verum pag. 27. dicit Materiam hominis eſſe extractum quatuor elementorum, aeris ſcilicet, terræ, aquæ & ignis.
[25] Pag. 165.
[26] pag. 59.

quinta eſſentia, opinatur, non ſolum imitari poſſe cœlum, ſed etiam nutu ſuo regere, eidemque, ſi modo allubeſcit, dominari: atque id per fidem & imaginationem. Omnes quippe res habere inſitam erga animam obedientiam: hinc, quod ſi anima forti deſiderio aliquid exoptarit, omnes omnium naturalium virtutes tunc ipſi ad vota deſideriave obtemperare. In ſumma, quicquid corpore fit modo viſibili, idem & fieri fide ſeu imaginatione, more ſpirituali. [27] Ita matrem, imaginationis adminiculo, tenellulo fœtui imprimere nævos; ita plurimos morbos imaginatione concitari. Quid? hominem per fidem imaginationis ſæpenumero plus, quam optimos quoſque medicos per medicamenta idonea, operari. Etenim animam rationalem vehementi imaginatione excitatam, & ipſam ſuperare Naturam: perque ſuas affectiones multa in corpore proprio immutare non modo, verum etiam in alieno; poſſeque utrivis, aut ægritudinem corporis, aut ſanitatem, immittere. [28] Crollius etiam differit multum de Aſtro: intelligit autem per hoc corpus inſenſile, inconſpicuum, ſine ratione tamen in creſcentibus, & in viventibus cum ratione. Corpora vero eſſe aſtrorum excrementum, ex eorundem operatione producta. Quæ cum ita ſint, judicat, nullum corpus ſine aſtro, & e contrario nullum aſtrum ſine corpore viſibili exiſtere. Aſtra enim formare ac producere ex ſe omnigena corpora, & producendo hæc illa inſimul ſeſe multiplicare. Exempli gratia. Triticum in terram projectum, cujus ſemen eſſe aſtrum, id eſt corpus inviſibile, producere ex ſe corpus viſibile, nec non multa alia indidem progigni aſtra

[27] Pag. 74. & 75. Imaginationem quippe hominis eſſe magnetem attrahentem ultra mille milliaria: imo quicquid vult in exaltatione ſua, id ex quatuor elementis ad ſe attrahere.

[28] Pag. 166. & 71.

aſtra. Pariter ſe habere naturam reliquorum, & creſcentium, & viventium. [29] Convenit Crollius etiam cum Paracelſo de creaturis, ſeu incolis quatuor elementorum: quarum ille plura genera enumerat, quam Paracelſus. [30] Sed mitto ejuſcemodi nugas, conferam me potius, neceſſe eſt, ad alia, ſcitu magis digna; & primo ad medicum, quem oportet naſci e lumine Gratiæ & Naturæ ab interiori inconſpicuoque homine. [31] Adhæc oportet Medicum percontari, indagareque Naturæ convenientiam: videlicet quomodo aſtrum Medicinæ ſeu cœli magici, & interius hominis Aſtrum inter ſe conveniant: externum etenim perducere nos ad internum. [32] Præſertim vero Medicum, quem Naturæ miniſtrum vel interpretem vocat, tunc demum conſequi celebritatem, ſi innatam naturalium vim per Chemiam cum conſtellatione cœli ſtelliferi, ejuſdemque influxu copulaverit. [33] Sed hic labor, hoc opus. Morbos (quorum tot genera, quotquot ſpecies, corpora, & ſemina creſcentium, reperiantur) originem ducere e Natura ſeminis, ſive a trium principiorum aſtris, ut & mechanicis ſpiritibus inconſpicuis. [34] Et, quamvis opus arduum ſit conari inveſtigationem cauſſarum morbi, nihilominus ratum habet nullum morbum eſſe, qui non ſuam habeat Medicinam; præterquam is

[29] Vide pag. 70. & 71.

[30] Deum, pag. 28. aſſerit, creaſſe in omnibus quatuor elementis ad evitandum vacuum creaturas vivas inanimatas, videlicet ſine anima intellectuali. Aquæ ineſſe nymphas, *undenas*, *meloſynas*, & horum monſtra, ſeu ſpurias Syrenes, aquæ innatantes: Terræ gnomos, lemures, *Sylphos*, montanos, *Zonetos*, quorum monſtra eſſe pygmæos: Aeri umbratiles, Sylveſtres, Satyros, & horum monſtra eſſe gigantes: Igni denique *Vulcanales*, pennates, Salamandras, ſuperos, quorum monſtra eſſe *Zundel*.

[31] Pag. 24.

[32] Ita pag. 46.

[33] Vide pag. 131.

[34] Pag. 46. & 122.

(35)

occulta prædeſtinatione, mortalibus incomprehenſibili, peculiari Numinis ira genitus, evadat tandem incurabilis. [35] Cæterum non eſſe Medicum, qui remediis morbum expellat, ſed Naturam ipſam, qua ſignificat Mumiam vel Balſamum internum, hoc negotium ſuſcipere. Medicum modo illius imbecillitati, intrinſecus quoquo pacto generatæ, ſubvenire rebus externis. [36] Medicinam autem veram, aſſerit, in vitali ſulphure, totius Naturæ theſauro, contineri: fundarique animalium, vegetabilium & mineralium, Balſamo. Hujus ope, ſi nempe debite præparatum, & ab omnibus impuritatibus ſeparatum, omnes omnium morborum curationes poſſe perfici; privatim vero, ſi a pio eruditoque Medico fuerit propinatum. [37] Licet interea non neget melius aliquando eſſe nullum adhibere medicamentum, ſed operationem ſoli Archæo, magis potenter, quam medicus cum ſua Medicina, morbos internos pellenti, committere. [38] Duplicis generis, ſtatuit, Medicinam: alteram viſibilem a Patre creatam, quam, niſi artificialiter fuerit parata, non oportet adhibere: alteram inconſpicuam a Filio per verbum. Medicamentum itaque eſſe corpus viſibile: at verbum, corpus inconſpicuum; & ſive herba ſanet, ſive verbum, efficientiam tamen ſoli ſpiritui Dei, Naturæ unito, tribuendam. Ita enim rerum naturam comparatam, ut ſublunaria quælibet potentiam, qua referta, indepta ſint de cœlo: cælum vero de intelligentiis: ſpiritus autem a ſummo Numine. De cætero, verbo ſcripto, ſeu characteribus, & ſigillis, juxta ſtatam ſiderum poſituram fabrefactis, præter veros Magos, accuratiſſimos Naturæ exploratores, neminem quemquam morbo

[35] Hæc pag. 83.
[36] Pag. 120.
[37] Vide pag. 24. & 25.
[38] Ita pag. 120.

bo mederi. [39] Et quantum ad Naturam Medicinæ attinet, tunc adſtruit, eam nihil aliud eſſe, quam appoſitionem illorum, quæ deſiderantur, videlicet virium juxta & Balſami refectionem: dein ablationem eorum, quæ redundant, impuritatis utpote morboſæ. [40] Antequam autem hæc effectum ſuum edere poſſit, neceſſum eſſe, ut ejus vita prima auferatur, beneficio putrefactionis & regenerationis, opera Chemica inſtitutæ, haberi tunc ejus vitam ſecundam, in qua tria principia cum ſuis arcanis viribus ſe medico manifeſtent. Namque ſine regeneratione nullum Medicinæ arcanum, quod ſine omni qualitatum compoſitione conſiſtat, haberi poſſe. [41] Et quamquam tale aliquis medicorum fuerit nactus; attamen quandoque evenire, ut æger non convaleſcat: cujus infauſti ſucceſſus octo potiſſimum rationes eſſe. *Primam* eſſe, quando terminus vitæ adeſt, qui nulla arte, nulliſque remediis poteſt prolongari. *Secundam*, ſi propter imperiti medici ignorantiam, morbus adeo pernicioſus ac internecinus evaſit, ut ei deinde incaſſum, quamvis alias optimum, adhibeatur remedium. *Tertiam*, ſi Medicus tum demum, quando Natura ſuccubuit, accerſitur, Medicinam utpote morbo invaleſcenti faciendi ergo. *Quartam*, ſi ægrotus invitus, ac medici præceptis non obſequitur. *Quintam*, ſi ſingularis cujuſdam hominis proprietas, ſanationi inepta, adfuit. *Sextam* ſi morbus *prædeſtinationis* finem aſſecutus, dari tunc non redintegrationem læſæ partis. v. g. cæcitatis, ſurditiei, calculi, &c. *Septimam*, ſi æger de Medico ſuo diffidit. *Octavam* denique, ſi Deus propter peccata hominem morbo, tanquam caſtigatione, affecerit, lo-

[39] Ita pag. 36. & ſeq.
[40] Vide pag. 116. & ſeq.
[41] Pag. 44. & ſeq.

co piaculi tunc morbum eſſe, admonereque hominem de vitæ tranſactæ emendatione. [42]

ANON. Ehem quantopere diſcipuli a moribus Præceptoris degenerarunt. Paracelſus, ut noſtis, habebatur, quin dicam etiamnunc habetur, impiorum in numero: verum aſſeclæ, qui doctrinam ejus propagarunt, ut Crollius, Dornæus, Hartmannus, Kuhnrad, Fludde: præcipue vero ii, quos vocant fratres *roſeæ crucis*, qui incredibilem morum diſciplinæque ſanctimoniam præ ſe ferebant, fuerunt admodum religioſi; quinimo, ut, quod ego ſentio, fatear, ſuperſtitionem anileſque fabellas cum Medicina admiſcuerunt.

BARCH. Qui non ignorant, quid diſtent æra lupinis, minime in his viris probabunt ſuperſtitionem, credulitatis matrem: ſed ſeligent ea, quæ cum ſacris bibliis, cumque ſana ratione ſunt conſentanea: reliqua mittent ad popellum, ad aniculas, ſuperſtitionis aniliumque fabellarum mirum in modum avidas. Verum ſuperſedeamus his, diſſeramus potius de varietate ſententiarum Chemicorum, ad Rem medicam ſpectantium. Et primum, quod ad me pertinet, ſcire aveo, ſi quod novum dogma Paracelſi ab aliis, præter dicta, fuerit additum.

HELV. Mihi, petitionem tuam mecum reputanti, in mentem venit *Scheunemannus*, qui, quamvis pleraque Severini placita amplexus: cumulavit tamen ea variis dictionibus obſcuris. Exempli gratia. Internam ſeu *eſſentialem* corporum conſtitutionem, quam more Severini, & Crollii Anatomiam appellitat, ſtatuit, ſeptem mutationum niti gradibus, combuſtione nempe, *ſublimatione*, ſolutione, putrefactione deſtillatione, coagulatione, & tinctura. His ſeptem mutationum ſpeciebus

[42] Hæc a pag. 160. ad 170. fuſius traduntur.

bus tria principia amittere qualitatem formæ, aſtri, ſpiritus: contra adipiſci qualitatem materialem, viſibilem, tactilem: Hæc tria tamen, quomodocunque fuerint mutata, variiſque corporis virtutibus ac proprietatibus referta, redigi poſſe ad denarium, numerorum perfectiſſimum. Sub hoc denario autem complectitur quatuor Mercurii, tria ſulphuris, totidemque Salis, genera. In primo ponit Mercurium *pneumoſum*, quo indicat ſpiritum æthereum: ſeu veterum calorem innatum, corporis humani lumen, omnium, quæ in corpore accidunt, actionum & motorem, & rectorem. In ſecundo Mercurium *cremoſum*: convenit huic de proprietatibus cum humido *radicali*, de quo ſectatores Galeni multa decantaverunt. In tertio Mercurium ſublimatum, quem, ait, eſſe *radicalis* humidi ſpiritum acutum, penetrabilem, &c. ſubtiliſſimæ naturæ. In quarto Mercurium *præcipitatum*, quem eſſe ſpiritum æthereum, vere famelicum acidum, acrem, &c. eſſeque præterea univerſale univerſitatis rerum fermentum vivax, quas ob res ſolida quæque, ſibi obvia, comminuat, diffringat, diſſolvat. In quinto ſulphur congelatum, quo vult ſignificare ſpiritum puriſſimum, odorum, candidum, dulcem, &c Mercurii acorem & Salis amaritudinem dulcore ſuo, temperantem. In ſexto ſulphur reſolutum: id liquidum & molle, omneſque partes benigno irrorare madore. In ſeptimo ſulphur coagulatum, quod natura viſcidum, reſinæ ſubinde ſimile, fœtidum. In octavo Sal *calcinatum* ſeu uſtum, vitæ id Balſamum eſſe, congelareque inſuper Mercurium & ſulphur invicem in uniuſmodi corpus: nec non omnis generis ſapores ab eo originem ducere. In nono Sal reſolutum, quod, quamvis liquidum ſit, guſtu ſuave ac dulce: ideo tamen ei non humectandi, ſed potius exſiccandi indurandique, poteſtatem eſſe. Tandem

dem decimo in genere collocat ſal *reverberatum*. Hoc generale univerſæ naturæ eſſe lixivium. Potentiam huic eſſe purgandi corpora quælibet a ſordibus: hinc, cum eas omnifariam eliminet, efficere, ut illa mundentur, regenerentur, viveſcant. Per hunc denarium nunc, ſtatuit, omnium morborum ortus, circuitus, conſummationeſque effici atque abſolvi. [43] Et, ut exemplum ſumatis ex hac doctrina, indicabo breviter, quos morbos, credit, ab unoquoque produci. Nempe, Mercurium *pneumoſum*, ſeptem mutationum virtute debilitatum, inferre corpori omnis generis inflationes: Mercurium *cremoſum*, repentinam mortem: Mercurium *ſublimatum*, affectus omnigenos, quibus punctiones cum fervore adſunt. Mercurium *præcipitatum*, arthritidem, tophos, &c. [44] Sulphur *congelatum*, ardorem in febribus: ſulphur *reſolutum*, omnes affectus ſomnolentos: ſulphur *coagulatum*, omnimoda corporis per loca, excretioni dicata, profluvia: ſal *calcinatum*, omnigenos corporis tumores molles: ſal *reſolutum*, Tartarum, calculum, &c. Sal *reverberatum* tandem, varias cutis deformationes, ut ſcabiem, lepram, &c. [45] Et hæc ſunt præcipua *Scheunemanni* placita, quæ tamen a paucis in Theoriam Medicinæ ſuſcepta, atque id non mirum eſt; perplexa enim ſunt, atque magna in in iis eſt obſcuratio. Verum plurimi ut *Rulandus*, *Petræus*, *Quercetanus*, *Beguinus*, *Sala*, &c. in doctrina Paracelſi perſtiterunt, exceptis iis, quæ ſuperſtitionem utcunque redolebant.

BARCH. *Helmontius* tamen, ut noſtis, haud parum

[43] Hujuſmodi decreta, qualia qualia ſunt, deſumpſi e Cap. 1. Libri, qui titulo *Medicinæ reformatæ* ſuperbit.

[44] Vide Cap. II. III. IV. & V. in quibus reliquos morbos indicat, ſubnectitque eorundem curationem.

[45] Hæc in capitib. ſeq.

rum dogmata Paracelſi mutavit, eorundemque in locum alia ſubſtituit.

ANON. Ita eſt, ſed minime addubito, quin Helmontii decretum eadem, ut *Paracelſi*, laboret obſcuritate. Enimvero introduxit in Medicinam non modo perplura vocabula barbara; verum etiam diſputationes abſtruſiores, magnas quæſtiones, ac opiniones de variis rebus, valde obſcuras.

BARCH. Non ſatis eſt hæc dixiſſe, ſed ſunt ſingulatim demonſtranda: At enimvero, ut ſermones ne in unum confundantur, pervelim, ut quiſpiam nobis pandat ſummarium doctrinæ *Helmontii*. Tibi, Clariſſime le Mort, id negotium faceſſerem (petitionis importunæ veniam peto) ſiquidem hoſpiti noſtro parcendum, reor, quia is & heri & hodie de variis Chemicorum placitis, hypotheſibuſque, verba affatim fecit.

Le MORT. Ne videar, me munus, quod tu mihi injungendum putaſti, recuſare, tametſi libenter fatear te imparatum jamjam fuiſſe adorſum, annitar tamen voluntati tuæ quomodocunque ſatisfacere. Verum ad Rem. *Helmontius*, tria Paracelſi principia reprobans, aſcivit ad hanc dignitatem duo alia: Elementum nimirum aquæ, quam vocat initium ex quo; & fermentum, initium ſeminale per quod cuncta efficiantur. [46] Eodem res redit, ſi quis vocabulo fermenti, formam; & aquæ, materiam, intellexerit. Alibi, ubi de induſtria de elementis agit, ſtatuit, cœlum, terram & aquam, tanquam omnium naſcendorum corporum materiem, ab initio rerum creatam; & nequaquam terram, ſed cœlum, complexu ſuo aquam continuiſſe. Quo poſito, exiſtimat, hac ratione effici, aquam Terra multo nobilio-

[46] Libro, cui titulus eſt cauſſæ & initia natural. §. 22. & 29.

biliorem, puriorem, ſimpliciorem, principio propiorem, ſortiſque cœleſtis magis participem. Quid? Sacra biblia non facere ideo creationis aquæ & aëris mentionem, quia cœli etymologia utrumque ſignificat. [47] Quod cum ita ſit, ſtatuit, dicta duo aërem nempe & aquam, poſthabita terra, elementa primigenia. Neque etiam hæc invicem conjungi, mutarique in uniuſmodi ſubſtantiam, ſed diverſitatem in eorum proprietatibus apparere non modo, verum etiam has argumentationibus firmis declarari poſſe, demonſtrarique adeo, ut nullus ſcrupulus amplius reſtet. [48] Terram vero quod attinet, licet ea in principio ab Almo hujus Univerſitatis conditore creata, proprie tamen primordia generis ex aqua duxiſſe: quare etiam nullas ſeu generationes, ſeu miſtiones in rerum Natura, præterquam quibuſcunque referta ſeminibus. [49] Etenim hæ ambæ fermentis omnimodis dotatæ, atque invicem mixtæ, conſtituere modo liquorem, plantarum generationi dicatum, modo ſuccum, mineralibus generandis deſtinatum; hunc ficto vocabulo *Bur*, illum *Leffas*, nominat. Pro Terra primigenia autem habet arenæ ſpeciem, quæ apud nos vernacula eſt, & quæ Belgice vocatur *Quell-Sand*. De cætero ratum habet, aquam, ſemine vel fermento prorſus deſtitutam, productioni quarumcunque rerum etiam eſſe inhabilem. [50] Fermentum namque eſſe medium, quo ſemen materiam omnimodis diſponat. [51] Quinimo Fermenti vocabulum generaliter ſignificare, quoddam creatum formale, quod neque ſubſtantia neque accidens, ſed in modum lucis, ignis, formæ, &c. in rerum principio con-

[47] De Elementis. §. 5.
[48] De Aëre. §. 11.
[49] Progymnaſ. Meteor. §. 13.
[50] De Element. §. 13. & 16.
[51] De Lithiaſi. Cap. v. §. 4.

conditum: hujus gratia nempe, ut ſemina præpararet, excitaret, præcederet. Adhæc eſſe primitivum rerum initium, virtutemque terræ vel locis quidem, ſed non rebus ſeminalibus, inditam; quoniam id perſæpe ſemine prius, atque hoc ipſum generet, propter generabilem, quem habet, rerum Naturæ ſpiritum. Ideoque fermentum ſeminale non eſſe illud, quod alterutrum duorum principiorum, ſed ejuſdem productum, & effectum ſeminis individui: qua de cauſſa id etiam caducum, interituique obnoxium; cum e contrario fermentum primum, in elementorum finibus conditum, mutationis, viciſſitudinis, ut & interitionis, plane ſit expers. [52] Fermenta porro duplicis generis ſtatuit; alterum in ſe continere auram fluidam, Archeumve ſeminalem, qui ſua fluxura ad animam viventem aſpiret: alterum vero complexu ſuo continere initium motus & generationis. Præterhæc differentiam in fermento & ſemine ponit. Illud enim eſſe odorem, vel qualitatem fracidam, maſſam ſeu materiem aliquam ſimili labe inficiendi; hoc vero ſubſtantiam, cui Archeus, qui eſt *Gas* ſpirituale, modo inſit, continens in ſe fermentum, imaginem atque notitiam diſponendi res quaſlibet, ſecundum præſcripta, quæ diſpoſitor ille Mundi Deus prædeſtinavit, ſtatuit, approbavit. [53] Et, ut rei ſummam dicam, opinatur Helmontius, Fermenta per ſemina interventu Elementi Aquæ utramque in Mundo facere paginam. [54]

ANON. Tu, neſcio, quæ admirabilia, mihique incredibilia auditu, de quodam Archæo commemoras. Qui probabis, dic ſodes, talem incomparabilem, pro-

[52] Cauſſ. & init. natur. §. 23. & 29.

[53] Imag. ferment. imprægn. &c. §. 8. & 12.

[54] *Ibidem.* §. 1. & cauſſ. init. natnral. §. 31.

producendarum quorumque naturalium ſcientiſſimum, architectum, dari.

Le Mort. Non hæc mea, quam memoravi, ſed ea Helmontii eſt opinio. Neceſſe itaque eſt, ut ejus argumenta proferam. Statuit enim, naturalia quælibetcunque generanda habere motionum, quibus plerumque prædita ſunt, quendam auctorem, impulſorem, ordinatoremve interiorem. Hunc, tanquam auram, in ſemine fœcundo clauſum: hunc futuram adumbrare generationem: hunc tandem generatum corpus ad uſque ejus interitionem, comitari. Sine hoc enim ſi res quælibet eſſent, nunquam ad deſtinatum ſtatum pervenirent, ſed dubiam confuſamque actionem, & effectum ſortirentur plurimum. [55] Et alibi aſſerit dictum Archæum commorari apud ſpiritum quendam ſeminis, cui rerum, a ſe peragendarum, typos ac, neſcio quas, umbratiles prænotiones, ineſſe: omnes autem ex præcedentis idea defluere. Neque vero conſiderandum hunc, quemadmodum ſimulacrum aliquod mortuum, ſeu inanimum; ſed potius eum omnimoda inſtructum ſcientia, præditumque inſuper poteſtatibus neceſſariis res deſtinatas efficiendi: [56] atque adeo & vitæ & ſenſationis primarium eſſe organum: imo primum animantis motorem, ac, ut ita dicam, fabrum. [57]

Barch. Mentionem paulo ante feciſti alicujus *Gas*.

Le Mort. Ita eſt. Hoc etenim Helmontius primo excogitavit, atque in Medicinam una cum aliis inauditis dogmatibus in Medicinam introduxit. Vocabulo autem *Gas* intelligit halitum, vel ſpiritum coa-

[55] In tractatu, cui eſt titulus *Archæus* Faber, in quo pluribus verbis de admirabili incomparabilis *Archæi* poteſtate diſputat.

[56] De Lithiaſi. Cap. v. §. 4.

[57] De febrib. Cap. ix. §. 12.

coagulari neſcium. Hujus generis eſſe aquam a frigore in halitus mutatam: item ſpiritum degenerem, ſuperſtitem penes corpora, in vaſe clauſo uſta, qui tum demum fugatur, ſi quando in aëre libero crementur. Item effluvia e rebus, fermentationem ſubeuntibus, prodeuntia. [58] Quæ cum ita ſint, ſtatuit diverſa ejus genera: aliud enim *Gas* ventoſum: aliud *Gas* pingue: aliud *Gas* ſiccum: aliud fumoſum: aliud ferum, quod nec coërceri, nec in corpus conſpicuum, cogi poſſit. Hujus poſtremi, quod ab Helmontio *Gas ſylveſtre* appellatur de genere eſſe flatus corporis: quos vel a cibis nondum digeſtis, vel a cremore, vel a ſtercore ciborum, vel ab alimento inteſtinorum degenerante, originem ducere. Quibus poſitis, effici inde, quaternos nobis eſſe flatus internos: quintum externum, *Tympaniam* vocat, extra inteſtinum claudi: ſextum naturalem, requiſitum ſeu ordinarium: ſeptimum tandem veneniferum in corporis habitu. Nullum horum flatuum eſſe vaporem ſeu halitum aqueum, quippe aquam, utcunque in minimas redactam particulas, priſtinam naturalemque ſemper, ſi illæ modo iterum coagmententur, aſſumere formam. Neque flatum eſſe vel aërem vel ventum: ſiquidem uterque non ſit de compoſitione concretorum. Reſtare proinde, quod omnis in nobis flatus ſit *Gas Sylveſtre*, alimenta digerendo, e cibis, potu, & excrementis, excitatum. [59] Verum, ut ultra proſequar, mittam hujuſmodi effrenum indomitumve ſpiritum: mecum autem alia atque alia Helmontii commenta opinionum reputanti in mentem venit *Blas*, quo indicat primo duplicem aſtrorum motum: uno, quo per

[58] Vide progymnaſ. meteor. §. 28. tract. *Gas* aquæ. §. 6. 7. 10. 12. item *complex.* atque miſtion. elemental. figment. §. 30. & ſeq. & in tractat. de aura vitali.

[59] De flatibus. §. 4. 32. 33. & 34.

omnis generis loca feruntur; altero, quo diverſis mutationibus ſunt obnoxia. Illius generis *Blas* Maris æſtum, ſilente etiam vento, cieri: hujus vero proprietatem, in coloris frigoriſque productione, conſiſtere; quam tamen inſequi potiſſimum ſolere variam ventorum mutabilitatem. [60] Quantum vero ad *Blas* humanum ſpectat, putat Helmontius, homini duplex eſſe: alterum naturalium, alterum voluntariorum, motuum cauſſam eſſe: utrumvis non ſequi, ſed imitari modo, *Blas* ſtellarum; non coactu, ſed voluntarie, proinde ac quiſquam unus ſponte veredarii veſtigia ſequatur. In infirmitatibus tamen corporis *Blas* humanum ſæpenumero præcedere, ac ſidereo influxu quaſi futuras prænunciare tempeſtates: pariter atque hoc aſſolent bruta, quæ, quia uno die prius, quam homo, creata: atque adeo illorum *Blas* præcedat *Blas* ſtellarum: hinc præſcia venturæ cujuſcunque tempeſtatis. In hoc brutorum *Blas* cardinem ſeu augurii ſeu haruſpicii verti: quo tamen tum veteres tum recentiores perſæpe abuſos ad ſuperſtitionem propagandam. [61]

ANON. Mihi recogitanti de Archæo de *Gas* deque *Blas*, quorum jamjam mentio facta, videtur, Hel-

[60] *Blas* Meteoron. §. 1. & 6.

[61] Vide *Blas* humanum. §. 9. & 5. Quod autem ejuſcemodi *Blas* ſit aliquid, quod a lumine & motu aſtrorum diverſum, abunde apparere ex hoc putat; quia ægroti aliique homines, quamvis fuerint ſub tecto, vel in loco obſcuro poſiti, atque dictis careant; tamen eos analogon Lunæ motum perſenſuros, venturaſque tempeſtates prædicturos. Quippe ipſis rerum ſeminibus ineſſe connata & cognata cœli lumina, quæ ſe ad proximorum ſiderum motum, adeoque ad univerſaliſſimum aſtrorum *Blas*, componere. Præterhæc clauſis hypocauſtis ideo iſtiuſmodi efficientiam ab aliquo obſervari: non quod ea forinſecus in illum incidat; ſed quia cœlum intrinſecus, in initiis vitalibus gerat, quo *pentaculo* Numen animantia quæque ſignaſſe. Vide tractat. *Aſtr. neceſſ. non inclin. neque ſignif.* &c. §. 15. & 17.

(62)

Helmontium nequicquam aliud, cum hæc excogitaſſet, quam apologationes, quam vaniloquia, monumentis prodidiſſe. Referenda hæc ſunt in ejus fabularem inſectorum, animaliumque variorum generationem, interventu fermenti ſingularis factam. Quotus enim quiſque hominum obſervavit unquam, ſi exutum hominis induſium in cumulum tritici per quicquam temporis recondatur, quod tunc inde progignerentur mures? Quin etiam herbam Baſilici contuſam, inter lateres depreſſam, ſoli expoſitam, intra aliquot dies prodere ſcorpiones? Pediculorum pulicumque ex fermento ſudoris; & formicarum e melle & pane ſiligineo invicem mixtis originem, ecquis noſtrum credit? [62] Non opus eſt hæc re & verbis refutare, ſatis eſt ea modo meminiſſe, vanitas eorum tunc inſimul proditur.

BARCH. Ita mos apud te obtinet, ut ſemper ea proferas, quæ pleriſque improbantur. Mittamus hæc: Proſequamur ea, quæ ab eo interpolandæ Theoriæ cauſſa in Medicinam introducta: deturque nobis copia audiendi theoremata, & ea quidem primo, quæ Helmontio ſunt circa alimentorum digeſtionem.

Le MORT. Id thema copioſe Helmontius pertractavit. Conabor hoc ad qualecunque compendium redigere. Helmontius, de alimentorum digeſtione diſſerens, poſuit, ſena digeſtionum genera. Primam fieri in ſtomacho beneficio fermenti acidi, a liene mutuati. Spleni namque eſſe ventriculi curantiam, eundemque hujus digeſtioni præſidere, dum debitam fermenti acidi, quo refertus eſt, portionem, ventriculo inſpiret. Quod ſi non fuerit factum, exoriri tunc cruditates, anorexiam, bulimum, &c. [63]

[62] Hæc habentur tract. *Analogo fermenti impregn.* &c. §. 9. 10. 12. & 13.

[63] Sextupl. digeſt. §. 2. 11. 12. 20. & 29. Libr. de ſpiritu vitæ. §. 8. Jus duum viratus. §. 8.

Præter hoc acidum, poſuit, alieni quoque eſſe vitale fermentum, proprietatem, odorem ſaporemque cum ſpiritu vitali participans. Quale, cum ſit indolis ſalſæ ac balſamicæ, pollere adverſum quartanam, cujus materiam iſtud ſubigere, vincereque. [64] De cætero ratum habet, fermenti virtutem cibos mitigandi non ſitam eſſe in acore ſolo. Ita enim ſi comparatum eſſet, deberet tunc quoque in mechanicis fieri farinæ, ope aceti, vel ſucci citri fermentationem. At, quia hoc non accidat, effici hac ratione, fermentum ſtomachi eſſe eſuriens acidum, ſui generis ſingulare: imo & hominum & brutorum fermenta eſſe inter ſe diverſa, qua qualitate, qua potentia. [65] Argumentatur autem dogma unico panis exemplo, qui licet plurimis animantibus, tanquam alimentum uſu veniat, reſpectu tamen ſingularis fermenti, ſingulariter vinci, ac omnifariam immutari: quod ſe abunde declarare poſſe, autumat, exemplo excrementorum animalium, pane cibario veſcentium: quæ excrementa nihilo minus, quantumvis ex eadem materia ſint producta, inter ſe diverſiſſima eſſe; cujuſmodi non forent, niſi panis in unoquoque peculiarem ſui immutationem ſubiviſſet. [66] Præterhæc differre fermentum ſtomachi acidum a cæteris rebus acidis poteſtate. Illud etenim alimenta quælibet penetrando, ea reddere volatilia: cum e diverſo ſpiritus quiſpiam acidus, comminuendo corpora, ipſe coaguletur, vel craſſeſcat, ac fixam quodammodo nanciſcatur qualitatem. [67] Licet nunc ita Natura comparatum ſit ven-

[64] Libr. *Scholar. humor paſſiv. decept.* Cap. IV. §. 23. & 24.

[65] Tractat. calor efficienter non digerit. &c. §. 26. Vide etiam Libr. Imago ferment. imprægn. §. 24.

[66] Libr. de ſpiritu vitæ. §. 9. Et ſcab. & ulcer. Scholar. §. 29. & 30.

[67] Tract. imag. ferment. imprægn. &c. §. 25. & 26.

ventriculi fermentum, ut & acidum quodvis fere, debite ſumptum, illi gratum, imo requiſitum: verum tamen idem acidum, ſi extra ventriculum tetenderit, in perniociſſimum corporis hoſtem evadere: & in cauſſa eſſe, ut aliæ atque aliæ corporis partes in diſcrimen deveniant. [68] Enimvero acidum in inteſtina divertens, tormina efficere ventris: Lotio ſi fuerit immixtum, ſtranguriam: ſi inhæſerit cuti, ſcabiem: ſi ulceribus, exeſionem: ſi artubus, podagram, concire. [69] Quid? totidem ulcerum fermenta ſtatuit, quot diverſæ eorum corruptiones, corruptorumque diverſitates, reperiantur. [70] De cætero magni facit Pylorum, quem injuſte nonnullos proinde ac janitorem ventriculi conſideraſſe duntaxat, cum is e contrario ſit digeſtionis primæ moderator, atque appetitus ſtomachi rector: & præterea inteſtinis imperioſus adeo, ut non modo horum contenta moderetur, ſed etiam venarum vicinarum conatus enormes reprimat. Quæ cum ita ſint, auguſtius præcellentiuſque eſſe Pylori, quam orificii ventriculi ſuperioris, officium. Adhæc Pylorum, nullius poteſtati obnoxium, habere abſolutam poteſtatem vitalem, ac proprium, ceu uterus, *Blas* movens, omni humano arbitrio liberum. Verum enimvero, tametſi Pylorus ſuæ ſpontis ſit, oportet tamen, ut is cum felle conſentiat: oboriri alias dyſenteriam, diarrhœam, tormina, hæmorrhoidum dolores, & ſimilia abdominis cruciamenta. [71] Fel namque eſſe jecoris ac ſanguinis Balſamum, viſcus nobile, neceſſarium, ut ne piſces quidem, quos alioquin mera aqua ſuſtentat,

[68] Tract. a ſede animæ ad morb. §. 5.
[69] Pleura furens. §. 14.
[70] Scabies & ulcera Scholar. §. 28.
[71] Pylorus rector. §. 3. 22. 17. 6. & 18.

ſine hoc vitales ſint. [72] Refertum enim eſſe inſuper fermento aliquo, quod chylo, e ventriculo egreſſo, ac ad duodenum pervento, inſpiratum, immutat illius acidum volatile, in ſalſum volatile, vel in ſal urinæ: atque hoc cum contingat, fieri tunc ſecundam alimentorum digeſtionem: cujus officinam, quam abuſive ſtomachum appellat, inteſtina gracilia eſſe. [73] Tertiam digeſtionem perfici in venis meſeraicis, ubi tanquam in officina, chylus a bile informatus, iterum aliam indolem indipiſci, mutarique in humorem ſalſum rubicundi coloris, adveniente iſtic locorum cruento jocinoris fermento. [74] Quartam digeſtionem peragi in corde, inque ejus arteria: in quibus rubentem craſſioremque venæ cavæ cruorem, motu, calore, & fermento amplius laborari, volatilioremque effici. [75] Scilicet in ſiniſtro cordis ſinu, tanquam in officina, habitare ſingulare quoddam, maxime vitale luminoſumque fermentum, ſpiritum puta vitalem; quod non tantum efficere, ut cruor in ſanguinem (differre enim utroſque inter ſe) ſed ut ſanguis arterialis ultimo, in ſpiritum vitalem Archæi tranſmutetur. [76] Hujuſmodi ſanguinis in dictum ſpiritum mutatio, habetur Helmontio pro quinta digeſtione, cui tamen haud parum opitulari inſpiratus aër, cruorem venarum commaxime volatilem ſubtiliſſimumque efficiens. [78] Sextam tandem atque ulti-

[72] Scholar. humoriſtar. paſſiv. decept. Cap. 11. §. 8.

[73] Sextupl. digeſt. aliment. hum. §. 7. 9. 21. & 24.

[75] *Ibidem* §. 60. & 61.

[76] Ibidem. §. 29.

[75] *Blas* humanum §. 22. & 21. Dictam differentiam cruoris & ſanguinis in hoc poſitam, ſenſit, *quod ſanguinis ab anima immortali, informetur in ſiniſtro ſinu: cruor vero minime, ſolaque luce, formæ ſenſitivæ participative, non autem informative illuſtretur.* Porro opinatus eſt cæteras digeſtiones quietem exigere: quartam vero, perenni motus continuatione perfici.

[77] Sextuplex, digeſt. &c. §. 62.

[78] *Blas* humanum. §. 45.

(79)

ultimam digeſtionem in culinis ſingulorum perfici membrorum. Totidem enim eſſe ſtomachos, vel officinas potius, quot membra altilia, ſuum cuique eſſe innatum ſpiritum, accommodum ſibi alimentum præparantem. Et has eſſe nunc ſex, quas provida Natura conſtituit, digeſtiones. In ſeptimo autem numero ipſam ſabbatizare vel quieſcere. [79] Dixi paulo ante ſpiritum vitalem incolere cor: [80] quin & alias ejus poteſtates memoravi. Addatis his, velim, eundem eſſe qualitatis ſalſæ, cordiſque motorem, eſſeque luminis vitalis hoſpitium. Vitam etenim humanam eſſe lucem formalem: nec non ipſam animam ſentientem eſſe lucidam, qua exſtincta e veſtigio mori hominem: Animæ etenim ſentienti involutam eſſe hominum mentem immortalem, quam a morte avolare, poſtquam illa perierit. [81] Adhæc ſpiritum vitalem communicare lucem ſuam cum novis ſpiritibus, noviſſime a ſanguine arteriarum ſecretis: cujus cum participes fiant, arterias tunc inſimul elevari, ac ita earundem pulſum efficere. Denique e ſpiritu vitali fieri, cum prius ab anima informatus, ſpiritum animalem, quem in nervis ultimam indeptare determinationem. Alibi dicit hunc, in ſinus cerebri tranſlatum, variam ſuſcipere characterum determinationem: ita ut movens evadat ſpinali in medulla: cernens in organis viſus. Reliquorum ſenſuum eandem conditionem eſſe: hoc tamen diſcrimen intercedere, quod ſi ſpiritus, organo cuipiam proprius, errore in aliud membrum ingrediatur, ineptus tunc ſit, ad debitam in tali membro ſenſationem perficiundam. Hinc provenire inde non raro digitorum ſtuporem, partium

[79] Sextuplex digeſt. &c. §. 67. & 84.

[80] De magn. vulner. curat. §. 109. & *Blas* human. §. 23.

[81] Spiritus vitæ §. 19. *Blas* human. §. 22.

quarundam ſive motionis, ſive ſenſationis ſin abolitionem, diminutionem ſaltem; quoniam, ut dixi, alieno devioque ſpiritu irrorentur. [82]

Helv. Detur mihi interloquendi venia. Ne obliviſcare, velim, duumviratus; admirabilia enim, quin dicam incredibilia, Helmontius hujus de potentia narrat.

Le Mort. In tempore mones. Parum enim abfuit, quin me ejus oblivio cœperit. Helmontius hanc habet hypotheſin, dari conſpirationem in œconomia corporis bene gerenda & ſtomachi & ſplenis. Hanc vocabulo, in Medicina hactenus inaudito, appellat duumviratum. [83] Et primo quantum ad ſtomachum, ſuperius videlicet ejus orificium, ſpectat, conſtare, ait, id maxime ſenſile. Moleſtam enim ipſi eſſe manum, quantumvis leviter, & tantillum temporis, appoſitam. Planum putat inde fieri, illud eſſe cujuſcunque ſenſus fontem. [84] Enimvero unam hominis animam in ſtomacho, tanquam lecto ſuo, cubare, ſeu reſidere. Proinde vitales univerſim poteſtates indidem ortum ducere. [55] Et alibi ſtatuit, duumviratum conſtare ex intellectu proprio, mente immortali, & animæ ſentientis, peculiaribus ſibi organis utentis, imaginandi poteſtate. Utut hoc aſſertum fuerit, caput tamen ideo nec otioſum nec fruſtra factum: ſed id cogitata, in duumviratu, corporis in meditulliis, ſito, formata, & ad ſe allata, rurſus in partes corporis inferiores, conducere, vel diſtribuere. [86] De cætero, quamvis autumarit, vim pri-

[82] Vide tractatum de Aura vitali in medio fere: & de ſpiritu vitæ. §. 14.

[83] Sedes animæ §. 26.

[84] A ſede animæ ad morbos. §. 1.

[85] Jus duumviratus. §. 58. & tract. ſedes animæ. §. 17. ſcribit, Mentem non habere propinquius, aut ſimilius ſibi ſubjectum in quo hoſpitetur, quam illud lumen vitale, quod vulgo ani-

primorum motuum eſſe effrenam quandam imaginationem, in arbitrii poteſtatem nondum redactam, in ſplene reſidentem: [87] attamen alibi, duumviratus præſidi, in hypochondrio habitanti, hanc provinciam tribuit. Imo duumviratum univerſo imperare corpori; eſſeque auctorem phantaſiæ, veneris, ſomni, vigiliæ, [88] incubi, [89] aſthmatis, [90] &c. atque animæ ſentientis hoſpitium. [91] Porro lienem eſſe cogitationum, idearumque fontem: inde eas deduci in ſtomachum, duumviratus ſocium, & in ſexu fœminino, in uterum. Dictarum autem idearum tria genera ſtatuit. Primo ideas duumviratus: altero Archæi: & tertio uteri ideas, complecti. [92] Poſita in duumviratu anima, atque adeo imaginandi facultate; ſupervacuum, exiſtimo, indagationem ejus idearum argumentis prolixe probare. Præſentiam vero idearum Archæi, Helmontius arbitratur, ad amuſſim demonſtrari poſſe quatuor rationibus: ut (1) morbos hæreditarios, quorum ideas aliquot annos delitere, antequam ſe exerant: (2) morbos ictu morſuque animalis venenati, ut & contagio, contractos, intervallis in actum deductos: (3) morbos *concentratos*, quos etiam vocat torturas noctis: & (4) morbos, quibus virtus eſt inæquabilis, ſeu robur inæquale. [93] Uterum denique, ut ſin-

animam *ſenſitivam* dici. In hac Mentem involvi, & mandato divino, vitæ vinculo, ligari. Pereunte autem *ſenſitiva*, per ſui *annihilationem*, non poſſe mentem diutius in corpore ſubſiſtere.

[86] Jus duumviratus. §. 61. & 7.

[87] De ideis. morboſ. §. 2.

[88] Duumviratus. §. 15.

[89] Jus duumviratus. §. 15.

[90] Vel potius nidum aſthmatis eſſe in duumviratu, unde videlicet totius moderamen pendere. Ita in tract. de Aſthmat. & tuſſi. §. 28. & 29.

[91] Inprimis vero eam in ſtomacho reſidere. Vide tract. confir. morb. ſedes. §. 2. no. 8.

[92] De conceptis. §. 1. 2. & 6.

[93] De morbis *Archealibus*. §. 11.

gularem habeat monarchiam, ſic etiam morbos. Quemque enim efferatum uteri affectum eſſe quandam inſaniam, ſive dementiam Archæalem, in ipſo utero reſidentem. [94] Et ut in ſumma, quod de ideis habeo, dicam, ſtatuit Helmontius, ipſis eſſe vim quælibetcunque perficiendi potentiſſimam. Etenim ſine his Archæus ſi eſſet, inhabilem tunc eum fore ad quamcunque Naturæ actionem, operationem, propagationem. [95]

ANON. Mehercule Helmontius valde ingenioſus fuit ad comminiſcendum. Neſcio ſane quot, ac quas in Medicinam introduxit Chimæras? Habes ne præter ea, quæ a Te dicta ſunt, alia figmenta?

La MORT. Non mihi hæc, ſed Helmontio, ſunt. Huic imputes, velim, ſi quid tibi, a me ex Helmontio prolatum, vel erroneum, vel fabuloſum, videatur. Interea, ut tuo propoſito reſpondeam, ſuperſunt duo cuſtodes. Poſitos eos, opinatur, prope utraſque aëris valvas, ad infringendam aëris atrocitatem. Quo munere cum debite fungantur, bene eos valere: e diverſo, quando ob naturalis roboris debilitatem laceſſiti, eos tunc primæ ſuæ deſtinationi ex voto ſatisfacere nequire: elaborare ideo copiam

[94] Tractat. de conceptis. §. 7. & 13.

[95] De ideis morboſis. §. 19. & 20. *Ab ideis enim*, ſcribit, *omnis motio naturæ, & actio, tam in remediis, quam venenis, omniſque poteſtas naturalis ſeminaliter a parente quolibetcunque eſt impreſſa: imo introducuntur ideæ exoticæ, alienæ, aſcendenteſque in jam conſtitutas: quia idea, non ſecus atque lumina, ſe mutuo penetrant, & Symbolum Archæi, cum Archæo perpetuum atque ſyngamicum ſervant. Quæ ideæ, dum materiam capeſſunt, jam morbus natus eſt.* Dictis adde, quæ Helmontio ſunt Libr. de conceptis. §. 21. ubi innuit conceptam ideam, in vitæ ſenſilis imaginatione, eſſe duplicis generis. Sub altero ideas, e ſeminibus morbidis: ſub altero, ex interna aliqua cauſſa, ortas, complectitur. Illius generis eſſe dementiam vituli caniſque rabiem; at hujus deliria febrientium, &c.

(96)

am muci, quem eſſe generis neutrius: quoniam de proprietate ei non convenit cum ulla reliquorum corporis excrementorum ſpecie; mucum inquam ideo cuſtodes laceſſitos e crudiori latice, & cruore parare, ut partes oblinendo ab injuria ſeu aëris ſeu humorum defendat. Mucum proin narium ſuperne ſtillantem, æque ac pituitam inferne tuſſiendo excreatam, a cuſtode facultate originem ducere: excrementum quidem utrumque non inutile; aſt, propter cuſtodis utriuſvis errorem, noxium. [96] Latici, cujus modo memini, & quo latini, ut noſtis, omnis generis humorem ſignificant, Helmontius peculiarem aſſignavit ſignificationem. Nempe laticem vocat iſtum liquorem inſipidum, qui cruori quidem admixtus, ſed ab eo diſtinctus, eſt. Eundem indicare ſatagebat humorem, quem recentiores appellant lympham, & cujus vaſorum ordinem, ac progreſſum monſtrant: in iis utpote ejuſmodi liquorem, ab Helmontio meditatione ſolum inveſtigatum, reapſe ineſſe. Quinque modis dictum laticem, arbitratur, in aliquem corporis fructum redundare: (1) laticem temperare cruoris acorem: præſertim vero, ſi cruor laborando, ſudando, balneando, &c. ob auctam corporis perſpirationem, ſe nimiopere condenſeat, latice tunc illum dilui, ac ita reddi fluidiorem: (2) ſiquidem chylus vel cruor nonnunquam ſale abundet, laticem tunc ipſis adminiculo eſſe, quoniam ſal iſtud recipiat, ut evertatur: (3) efficere, ne ullum denſioris compaginis reſiduum, in ultima alimonii evaporatione remaneat; ſed ſimul, ratione fermenti arteriarum, tranſpiratione foras eliminetur: (4) ſudorem conſtituere, quem ſecum abducere partium, per quas permeat, ſordes: (5) laticem ad linguam ad

[96] Vide tract. cuſtos errans §. 26. 27. 30. 5. 6. & 27.

ad oculos, &c. adductum fieri ſalivam, lachrymas, &c. [97]

Barch. Nunquæ Helmontio ſingularis de morbo eſt opinio?

Le Mort. Enimvero eſt, ut mihi videtur. Is enim veterum placita redarguens, ſtatuit, morbum eſſe aliquid, quod, poſtquam nociva quædam peregrina poteſtas vitale principium violavit, penetravit, ac archæum excitavit ad indignationem, furorem, metum, &c. naſci. [98] Morbi autem ex aliquo ſemine orti, naturam initiumque in Idea quadam ſeminali, & in materia Archæi conſiſtere: [99] alius vero indolis eſſe morbum ab externa cauſſa productum, ut vulnera, & quæcunque meatum aliquem intercipiunt. Ideoque illiuſmodi morbos habere materiam, & cauſſam efficientem: utramque vero in ipſo Archæo ſitam: [100] vel ut alio loco dicit. Morbum quemvis, ab interna utpote cauſſa obortum, fieri ab Archæo in ſe ipſo: & quidem ſuopte nutu, dummodo materia quædam data occaſione, vel fortuito, ipſum quomodocunque turbaverit. Enimvero Archæum in ſingulis morbis turbari calamitateque affici. Quod cum eveniat, eundem fingere ſuomet

[97] Libr. latex hum neglect. §. 3. 12. 13. 14. 19. & 20. Cæterum quod ad ejus proprietatem pertinet, ſcribit §. 11. laticem in cruore oberrare permiſtum, non quidem ut partem cruoris, aut reſiduum lotii excrementum, ſed ad varios ſcopos utilem: ideo eum habet pro humore peculiari inſipido, fatuo, innocuo, concurrente viarum ſocio, vide. §. 29.

[98] Tract. de ortu. imag morboſ. §. 2. Et libro, cujus titulus, progreditur ad morb. cognit. *Morbum*, ſcribit, *appello non diatheſim, ſed ipſum ens prævaricans, quod ex ipſo Archæo cuditur vitale.* vide etiam ignot. hoſp. morb. §. 40. Progreditur ad morb. &c. §. 14.

[99] Ignot. hoſpes morb. §. 77. no. 4.

[100] Ibidem §. 31. 32. 40. & 43. ſcribit. *Siquidem in cunctis morbis ſeminalibus, materiam reperio occaſionalem, quæ inſtar violenti hoſpitis, impetum facientis,*

ſuomet more in ſe ipſo ideam perturbationis vel afflictionis, efficientem dein morbi cauſſam ſeminalem. Eſſe autem tot morbos, quot idearum morboſarum ſpecies: & iterum totidem ideas morboſas, quot ſordium in homine diverſitates. Perinde enim eſſe, ſordes, ſive forinſecus intrarint, ſive intrinſecus digeſtionum quarumvis vitio progenitæ, ſive a ſucco alimentario vel vitali, utcunque vitiato, fuerint obortæ. Utut nunc Natura Archæi morboſa fuerit, ratum habet Helmontius, morbos redigi ad duo genera in primis poſſe: ſcilicet ad recepta, atque ad retenta. [101] Primo complecti (1) injecta a ſagis (2) inſpirata ab endemicis (3) ſuſcepta ab irruentibus (4) aſſumpta vel potu, vel cibo, vel veneno, vel medicamento: & (5) heteroclita, ut torturam noctis, robur inæquale, ſterilitatem. Secundo complecti, (1) relicta, ſeu excrementa in I. II. III. vel VI. digeſtione, (2) tranſmutata in modo enumeratis digeſtionibus, (3) tranſmiſſa ab una digeſtione in alteram. [102] Prioris generis, proditorum more, forinſecus in corpus intrantia, Archæum commovere adeo, ut damnoſo ſibi conſilio ideam morboſam in ſeſe formet, eamque ſuæ materiariæ parti imprimat: atque adeo verus veri morbi parens fiat. Poſterioris generis noſtra culpa aut defectu provenire, & tunc quidem, quando haud ſtato tempore, debitaque quantitate eliminentur foras: conſideranda enim hæc veluti concordiæ, Oeconomiæ

tis, hoſpitium atque jus violat, & œconomiam turbat. Inde invenio ipſum Archæum turbari in ſingulis morbis: hinc namque & alteram materiam morbi internam conſidero: partem videlicet Archæi, quam deturpavit propria exorbitatione, in quam partem, ideam finxit ſuæ perturbationis, ſeminalemque cauſſam morbi efficientem.

[101] Vide tract. cujus titulus diviſ. morb. §. 1. 2. & 4.

[102] Ita in morbor. phalange ſecund. cauſſ. occaſ.

miæ animalis hoſtes ſeu perturbatores, quos nequaquam eſſe participes oporteat hæreditatis vitæ noſtræ. [103] Quod vero ad ſedem morborum ſpectat, exiſtimat Helmontius, morbos ad unum omnes adoriri animam ſentientem; quam quidem natura ſua interitioni obnoxiam, &, ut paulo ante dixi, ad tunicam ſtomachi commorari: nihilominus tamen eandem, ipſam mentem immortalem hoſpitio invitare, imo ſuſcipere: ſpirareque ſpiritum, modo inſenſibili, in quæcunque corporis organa, tametſi incredibilem canalium anguſtiam, & tenuitatem nacta. Poſita morborum ſede in anima ſentiente: & hac rurſus in ſtomacho collocata: non dubitat, ſtomachum morborum ſentinam appellare. [104] Tandem morbum a morte, etſi utraque ex eodem principio exorta, diſtingui ratione idearum ſeminalium; quarum illum eſſe participem, hanc vero expertem. [105]

ANON. Quemadmodum Helmontius fuit moleſtiſſimus doctrinæ Galenicæ, imo etiam Paracelſi, exactor, irridens inter alia ejus placita cum primis Tartarum, ſicut agreſte dogma, [106] a quo tamen, ut heſterna die audivimus, Paracelſus ſtatuit, plurimos morbos ortum ducere: ita etiam mihi, veritatis Philotheoro, ſit fas contemnere Helmontii ſubtiles Ideas ſeminales, imaginarium *Archæum*, ventoſum *Blas* & *Gas*, extraordinarium duum viratum, & cætera inania ingenii figmenta.

HELV. Tu profecto, Alexandro, nodum Gordianum non diſſolventi, ſed diſſecanti, es ſimilis. Non ſatis

[103] Diviſion. morbor. §. 5. & 6.

[104] Tract confirm. morb. ſed. &c. §. 1. 2. no. 6. 9. 10. & §. 9. 10.

[105] Progreditur ad morb. &c. §. 14.

[106] Invent. Tartari in &c. §. 1. & 23.

ſatis eſt alicujus doctrinam redarguere, ſed oportet argumentis agere, ac ita vanitatem ejus monſtrare.

BARCH. Nec locus, nec tempus permittit, quod in controverſia ſeu quæſtione verſatur, decidere. Quæſo itaque a Le *Mortio*, ut occœpit, ita pergat, doctrinam Helmontii tradere: Et quia modo facta eſt Tartari, quem Helmontius non admittit, mentio, operæ prerium erit ſi audiverimus rationem, quare Paracelſi dogma, quod tamen complures medici amplexi, improbavit?

Le MORT. Helmontius Paracelſo, hoc enuntiatum, Nequicquam aliud, quam quod per ignem probari poſſit, credendum, proferenti, aſtipulans, affert inter alia hæc argumenta, quibus probat calculum, vel lapidoſam, in corpore animali inventam, materiam, & Tartarum, vel fœcem vini induratam, inter ſe eſſe diſparia. Scilicet Tartarum vini in aqua ebulliente liqueſcere; contrarium obſervari, ſiquis modo periculum fecerit, in quocunque calculi, in animantibus reperti, genere. Adhæc, utrumvis igne, juxta regulas ſeu præcepta artis deſtillatum, ſuggerere indagatori diverſa initia. [107] Ex his exemplis, cæteris brevitatis cauſſa ſuperſedeo, putat penitus confici, quod ad demonſtrandum ſibi conſtituit. Nempe, nullum e Tartaro oriri morbum: adeoque Tartari in Medicina conſiderationem fruſtra inſtitui.

BARCH. Sed quænam eſt Helmontii, de generatione calculi, opinio?

Le MORT. Semen aliquod fingit, in lotio per materiæ tranſmutationem generatum: cujus cauſſa calculum, quem *Duelech* vocat, lapideſcere in duritiem. Iſtud ſemen adeo potens eſſe, ut, quamvis calculoſus non bibat niſi aquam deſtillatam, nihilomi-

[107] Tartarus non in potu §. 7. Tartari vini hiſtor. §. 13. 14 & 15.

ominus inde calculum generari. [108] Et alibi ſtatuit, calculum fieri, a trium, natura diverſorum, ſpirituum, quos urinæ ineſſe, conjunctione. Unum ſpiritum eſſe indolis Salino-volatilis: alterum vinoſæ, inflammantem ſe inſtar ſpiritus vini: & terreſtris tertium. [109] Hoc pacto exiſtimat fieri calculi generationem. Spiritum urinæ, inquit, apprehendere terram volatilem, e ſemine, ac fermento fracido putridoque, procreatam; poſtmodum ſuſcitare inſimul ſpiritum vinoſum, occultum adhuc urinæ incolam. His, ut dixi, concurrentibus adjungere ſe præterea ſpiritum terrenum, quem, putat, prioris generis ſpiritus, coagulationis auctoris qualitate, imbui: quæ cum ita eveniant, contingere extemplo firmiſſimum dictorum connexum. Monſtroſe Hercule hæc omnia; quoniam calculus in medio urinæ coagulatione, & quidem tantillo temporis ſpatio, progigni: & tamen eundem poſtea non poſſe rurſus in aquam reſolvi. [110] Quid? quod ratum habet, integrum hominem, poſſe in duritiem lapideſcere, velut hujus metamorphoſeos varia paſſim exempla proſtare: ſi modo is, in loco fracido concluſus, ab odore ſaxifico ſuffocatus; cujuſmodi odorem deinde, vult, in arterias, inque ſolidas corporis partes, pervadentem, tranſmutare cadaver, priuſquam putreat, in petram. [111] Verum enim vero, his quomodocunque poſitis, perſuaſiſſimum habet, Tophum, qui in artubus podagra laborantium reperitur, longe alius

[108] Eodem tractatu *Tartarus non in potu* §. 7.

[109] De Lithiaſi Cap. III. §. 42. & 43.

[110] *Ibidem.* Cap. IV. §. 12. Et §. 10. ſcribit. *Itaque generatio Duelech non eſt cocta mucilaginis, vel ficta pituitæ imaginaria petrificatio, calore loci areſacta, aut areſcendo indurata; ſed eſt trium ſimul ſpirituum transmigratio in Duelech, vera eſſentialique tranſmutatione.*

[111] *Ibidem.* Cap. I. §. 16.

alius naturæ, ac calculum, eſſe. Generari enim e *Synovia*, quam eſſe lentorem pellucidum, oſſium in articulis reſidentem, hos lubricandi cauſa a Natura comparatum. [112] Hoc lentore nunc ſemel acore infecto, partes ejus aqueas ſenſim ac ſenſim exhalare. Quod cum contingat, reſiduum paulatim areſcere, indureſcereque adeo, ut plerumque Tophi & formam & naturam præ ſe ferat. [113] Quantum vero ad Podagram attinet, ſtatuit Helmontius, eam eſſe characterem morbidum, inſtar ſeminis in ſpiritum vitæ inſertum, quem, poſtquam maturuerit, fermentum acidum una cum partibus, ſpermaticis dictis, fermentans, progignere. Acorem igitur eſſe doloris cauſſam: Aſt dolorem, quem noxiam atque triſtem, dicit, eſſe ſenſationem, in ſpiritu vitali conceptam, & per vitalitatem cum anima ſentiente communicatam, [114] eſſe vicini, boni & inſontis, cruoris affluentis cauſſam. Equidem quicquid ſubtilem acorem in dicto ſpiritu ſuſcitat, maturat, auget, vel promovet, id etiam acceſſiones morbi provocare: verum tamen in curatione Podagræ, non conſiderandum præcipue eſſe acorem, quippe is modo a morbi cauſſa principe productus: ſed meditari medicum debere de charactere ſeminali Podagræ, e ſpiritu vitæ, abolendo, extirpando. Hoc etenim ſuperſtite, nihil medico gnaro dignum, perpetrari. [115]

BARCH. Tuam ſcientiam non fugit, Vir Clariſſime, perraro homines reperiri, qui non febrem habue-

[112] Volupe vivent. morb. &c. §. 20. Hujuſmodi *Synoviam*. §. 16. ſenſit, necubi ſolitariam occurrere · quam ubi duo oſſa ſe mutuo tangunt.

[113] Vide de Lithiaſi. Cap. 111. §. 14. 15.

[114] *Ibidem* Cap. IX. §. 36.

[115] Vide tract. volup. vivent. morb. &c. §. 18. 19. 21. 23. 24. & 28.

buerint, vel qualicunque occubuerint; non ab re itaque fore exiſtimo, ſi dictis tuis etiamnunc placita, quæ hujus gratia Helmontio ſunt, addideris: habebimus tunc, ni fallor, doctrinæ Helmontianæ cujuſdammodi compendium.

Le Mort. Ut tibi morem geram, in præſentia proponam, quæ mihi mea quantacunque memoria ſuppeditat. Febrem, ſtatuit Helmontius, eſſe ipſam partem materialem *Archæi*, indignatione turbati. Nempe partem *Archæi* per iram fœdari deformarique: hinc ſuſcipere ideam indignationis: quam ideam peregrinam Archæum conari intervallis de ſe exterminare: Inde acceſſuum laſſitudiniſque in febribus cauſſam deducendam, quia ſpiritus, imagine odioſa inſignitus, ineptus evadit ad ſolita munia ſui regiminis obeunda. Duplicem porro, perſuaſum habet, febribus eſſe cauſſam adventitiam. Alteram captare occaſionem, dum in ultima alimenti digeſtione degeneres contingant mutationes: degenerare autem eas vel rei extraneæ admixtione, vel impreſſione peregrina, vel errore indignati Archæi. Alteram, dum venæ meſenterii ex Ilei inteſtini extremis trahant ſuccum quendam, quem ſtercus liquidum appellat. Utravis ratione, ſi aliquid fuerit ſeparatum, & diutius, quam addecet, in corpore detentum; vel alicubi in partem, ubi non oportebat, delatum, evadere in Archæum hoſtile, & cauſſam cujuſvis febris fortuitam. Communem omnum febrium auctorem eſſe Archæum, alicujus adventitiæ rei ſibi adverſæ indignatiſſimum. De proprietate itaque & nomine febres ſibi convenire: diſtingui autem a ſe ratione materiæ & loci. Et quantum ad locum, vel ſedem febrium pertinet, arbitratur Helmontius, eam primis officinis circumſcribi. Nimirum ordiri a Pyloro: terminare vero in duodeno ejuſdemque vaſis,

in

in cæteris inteſtinis & venis meſenterii; aut ordiri a ſplene, & terminare in jecore. Quanto autem ſedes febrium fuerit ori ventriculi propior, tanto & febres moleſtiores, ac formidabiliores. In primis vero oportet a Medico conſiderari ſtomachus, tanquam palæſtra febrilis certaminis. Hæc de ſede febrium generatim: nunc de quarundam ſingulatim dicam. Febris quotidianæ, ut & hecticæ, domicilium collocat in cavitate ſtomachi: ardentis malignæque ſedem prope os ventriculi. Pejoris enim moris fore febres, quæ in convexa, quam quæ in concava, ſtomachi parte reſederint. Quartanam ſolum exlegem in ipſo liene inque venis, huic viſceri contiguis, hoſpitari. Quod vero ad auctorem delirii, quem Helmontius ſagittarium delirii appellat, putat is, dictum apud præcordia commorari. Fieri autem deliria, febribus quibuſdam conjuncta, materia in primis febrili in officinas ſomniorum irreptante. Hiſce nunc hypotheſis loco poſitis, Helmontius aſſeverat, omnium febrium cauſſam adventitiam (namque ad hanc reſpiccat medicus, neceſſum eſſe) una falce poſſe amputari: & id quidem remedio ſudorifero, cauſſam fortuitam, ubicunque locorum ea demum extiterit, extenuante, reſolvente, liquante, abradente, abſtergente. Dicta cauſſa nunc quomodocunque correcta, & ſedato Archæi, ideas febriles formantis, furore, facile deinceps ſecerni, quæ & qualia debeant. Remedium, cui tale negotium committendum, aſſerit, eſſe præcipitatum diaphoreticum Paracelſi: ejuſmodi gloriatur omnem febrem unica potione ſanare: Hectica excepta, quam tamen intra menſtruum ſpatium a dicto remedio ſubjugari. [116]

[116] Pervolve librum de febrib. Cap. IX. §. 10. 23. Cap. X. totum. Cap. XIII. §. 4. 5. 7. 8. Cap. XIV. §. 1. 7. Cap. XVII. §. 4.

ANON. Vah præclarum facinus? Quid cauſſæ eſt? ut vos Chemici ejuſmodi medicamen non conficiatis.

BARCH. In cauſſa eſt occultatio ſeu ignaratio liquoris *Alkaheſt*, quo tale ſudoriferum hydrargyri pulverem jubet parandum. Verum, ut ne longius a propoſito divagemur, velim, qualemnam cauſſam Helmontius morbis ſomniculoſis tribuit?

Le MORT. Helmontius, ut eſt mirus rerum verborumque fictor, ſic horum morborum gratia iterum commentus eſt aliquod ſoporiferum ſeu *anodynum*, dictos morbos efficiens. v. g. Apoplexiam, vult, ex præludio virulento *anodyno* & cadaveroſo, in præcordiis concepto, generari fortuito. Id, poſteaquam maturuit, inficere ſimili labe Archæum loci: quem ſtatim, ob id ipſum vi, & ſuperare cerebrum, & conſternare. Paralyſin dicit eſſe partium, ſenſationi dicatarum, contractionem, a terrore ſolo excitatam. Singulares vero membrorum reſolutiones exoriri a præfato veneno ſoporo. In vertigine non adeſſe ſomniferum cadaveroſum, ſicut in Apolexia, ſed inebrians, quale in Tabaco. In ſumma dictos affectus, ut & epilepſiam, comam, tremorem cordis, &c. ſua quoſque habere venena ſingularia, poteſtate tamen ſoporifera referta. [117]

BARCH. Liceat mihi ad huc unicam tantum quæſtionem habere de operationibus medicamentorum, quid ſenſit?

Le MORT. Senſit de his Helmontius, ea potiſſimum operari ratione odoris. Etenim, quia odor, ſymbolum fermenti, atque adeo ſeminalem tranſmutationis cauſſam, contineat, non dubitat ex iſto exemplo

4. 8. & 12 e quibus dictæ febrium doctrinæ qualecunque confeci compendium.

[117] Plura vide in tractat. de Lithiaſi Cap. IX. §. 81. 82. 86. &c.

emplo concludere, rerum quarumcunque vires atque robur odoribus peculiarter itribuenda. Odores igitur plerorumque medicaminum, ratum habet, importare præcipue corpori aut purgationem, aut quemvis alium effectum, quem illa edere ſolent. [118] Sed tempus eſt, ſi videtur, & ego quidem recta ad meum hoſpitium tendo. Quod cum ille dixiſſet, diſceſſimus, & ſuas quiſque ad ædes pergebat.

[118] Imag. fermen. impræg. &c. §. 17. & 18.

DIALOGUS. XVII.

De Hypotheſibus Tackenii. Sylvii, & Williſii.

COnvenientibus ad me *Juſto Schradero*, & *Wagtendorpio*, & *Ackersdyckio*, Medicinæ Doctoribus experientiſſimis, cœpta eſt diſſertatio de mutabilitate ratiocinii in Medicina.

Exorſus eſt WAGTEND. Næ, inquit, mihi, veterum monumenta nonnunquam pervolventi, mirum pariter & notabile videtur, intra ſeſqui ſeculum fere, Medicinam de inſtitutis atque ratiocinationibus priorum oppido immutatam.

Tum SCHRAD. Mirari deſines, inquit, ſi tecum plurima inventa, quæ aut Anatomia, aut Chemia, aut Phyſica mechanica miniſtravit, reputaveris. Etenim neminem noſtrum quemquam neſcire, arbitror, tam Paracelſum quam Helmontium, utroſque ſtrenuos Chemiæ cultores, rationalem Medicinam admodum mutaſſe. Et cui noſtrum latet, quot & quanta, ad rationalem Medicinam ſpectantia, Anatomici, intra ſeſqui ſeculum modo, indefeſſo labore, incredibilique ſolertia, invenerint? Et, ut primo de generatione dicam, quis negabit? nos debere

ſeculi præteriti Anatomicorum, & in primis Harvæi, induſtriæ, quod conceptus non fiat in utero, quemadmodum veteres credidere, ſed in *ovario* mulieris; atque ovulum, ab exhalatione ſeminis genitalis viri, fœcundatum, indidem per tubam, a Fallopio ita appellatam, ad uterum poſthac deferri, ac inibi reſervari, donec fœtus debitam acquiſiverit magnitudinem. [1] Aſellio magnopere debemus, quamquam inter veteres id etiam Eraſiſtrato ſuboluit, [2] quomodo Chylus e duodeno in venas *lacteas*, ab illo iterum detectas, deferatur. [3] Paulus Servita, accuratius, quam ab Aquapendente factum, obſervavit primus in venis admirabilem valvularum fabricam: quarum uſum poſtquam cœpit rimari, cœpit cogitare de ſanguinis circuitu, in quo poſtea diligentiam ſuam probavit incomparabilis Harvæus. [4] Vaſorum, tum ſalivæ tum lymphæ ſecretioni, deſtinatorum inventio, complurium virorum, ut Bartholini, Rudbekii, Warthonii, &c. ſedulitati eſt tribuenda. Pecquetus Vaſa lactea thoracis; Wirſungius ductum Pancreatis: & alii alia in dies invenere. [5] Quæ ſi omnia enarrare vellem, non unius horæ, ſed profecto unius diei, opus eſſet. Hæc & ſimilia non modo partem Medicinæ, quæ Phyſiologia appellatur; verum etiam Pathologiam, omnimodis

[1] De quibus vide exercitationes Harvæi: ut & obſervationes de generatione animalium ex Harvæo, & Langly a *Juſto Schrudero* excerptas.

[2] Vide *Galenum* de anatomic. adminiſtr. libr. VII. Cap. XVI. & libr. an ſang. nat. in arter. cont. Cap. V. in quibus memorat Eraſiſtratum in arteriis meſenterii hœdorum, nuper admodum natorum, lac reperiviſſe.

[3] *Bartholinus* in Anatom. libr. I. de venis. Cap. III.

[4] Vide *Walæum* de motu Chyli: nec non *Harvæi* exercitationes anatomicas de circuitu ſang. ad Riolanum.

[5] *Bartholinus* de Thorace libr. II. Cap. XI. de capite libr. III. Cap. IX. & XII. lib. I. de infimo ventre. Cap. XIII. quin etiam tres appendices libro primo de venis annexas.

(6) De

modis ratiociniis ditarunt; ratiociniis inquam explicationi corporis, in quantum omnigenis membris, vasis, nervis, humoribus, &c. refertum, inservientibus. Utinam tam pulchre vitale corporis principium, nec non debitam cujusvis, in corpore inventi, humoris, mixtionem & naturam calleremus: (ab his enim cummaxime incolumitas corporis humani dependet), gratularemur tunc nobis de perfectiori hominis cognitione.

Tum ACKERSD. Prout dicis, inquit, ita res se habet, sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum, assuescunt animi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident: perinde, quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Dii vostram fidem! si mecum reputo quorundam Anatomicorum inanem gloriam, & imaginariam rerum suarum felicitatem, si quando vel membranulam, vel canalem, vel quid aliud, ab antecessoribus non observatum, invenerint, quantopere id eos supinet. Neminem Hercule se tunc credunt ditiorem, neminem doctiorem: cum tamen persæpe parvi ad utilitatem Medicam interfit, utrum sciamus, aut nesciamus, ejuscemodi inventum. Quod ad me attinet, Tibi assentior, quod necesse sit omnibus medicis naviter caussam vitalitatis corporis humani indagare, quo pacto nempe ea omnifariam lædatur: & quia ea potissimum in debita fluidorum temperie, eorundemque debito motu, a principio quodam vitali, proveniente, sita: idcirco puto Medicum necesse habere, hæc memorata in primis addiscere; quæ tamen, quoniam non nova sunt, sed consueta, plerumque vilipenduntur.

Ita sentiunt, inquit WAGTEND., qui nunquam eruditum hunc pulverem attigerunt. Conversatio inter ægrotos quotidiana dictat e contrario, quod, ni-

ſi hæc, quæ tanquam conſueta flocci plerumque fiunt, diligentiſſime a Medico animadvertantur, perraro tunc idem ſit quoddam præclarum facinus editurus. Quemadmodum in Theoria Medica complura ingenioſe excogitata, quæ ſpecioſa potius, quam vera: ita etiam ſe habet Praxis, quam etiam viri ingenioſi identidem inventis ſpecioſis conati ſunt ditare; quæ tamen, cum ſæpenumero inſtituerentur, ac perficerentur, carebant plurimum effectu. Inter hæc refero curationem magneticam, vel unguento, vel pulvere ſympathetico, inſtitutam. [6] Hæc quondam potiſſimum in affectibus externis uſu veniebat; ſed paucis abhinc annis, quidam præ ſe ferebant, eam quoque ad morbos internos ſanandos eſſe accommodatam: & ægrum poſſe æque eminus, per, neſcio quæ, effluvia ejus urinæ, re quadam, vi ſympathetica, ut vocant, referta, miſtæ, perfici, ac cominus uſu medicaminis idonei. [7] Sed uſus edocuit, oppido paucis, & id quidem imaginabundis tantum, hujuſmodi curationem auxilio fuiſſe. Ejuſdem generis habetur mihi morbi permutatio, *tranſplantationem* vocant, quando aliquod ægri excrementum, vel pili, vel ungues, &c. bruto cupiam ad deglutiendum porrigitur; ſeu arbori perforatæ infunditur, ſeu ejus radicibus affunditur. Utcunque experimentum fuerit captum, perſuaſiſſimum non nemo habet, ægritudinem corporis de homine in aliquod dicto-

[6] De his vide *Paracelſi* archidox. magic. libr. 1. *Crollii* Baſilic. Chimic. *Digby* & alios de pulvere Sympathetico. Item J. Frid. *Helvetii Schouw-Toneel*, in quo plures hujus generis res, conſenſum & diſſenſum inter ſe habentes, traduntur, earundemque vanitas ſimul oſtenditur. Quin etiam Goclenius & alii prîdem & re & verbis dictam curationem ſympatheticam refutarunt.

[7] De hujus generis curatione *Harwig* libellum ante aliquot annos in lucem edidit.

(8) Vide

dictorum migraturam. Si quis rationem curationis petiverit, illico cauſſatur talis medicus Sympathiam, curationi ejuſcemodi duntaxat habilem. [8] Egregia Ædipol ratiuncula! Sympathia ſcilicet, ſecundum illius opinationem, utramque facit paginam. Itidem flocci non facio, mea hæc opinio eſt, ſanguinis *transfuſionem*, quantumvis nonnulli eam miris laudibus prædicaverint. [9] Operatio enim neſcio quid crudelitatis præ ſe fert: deinde poteſt quiſpiam facili negotio errore duci, ſive in proportione ſanguinis mittendi, & denuo immittendi; ſive in qualitate, dum quilibet ſanguis, tametſi e ſano corpore eductus, protinus non modo ab aëre alteretur: verum etiam partium maxime ſubtilium, quibus tamen æger cummaxime ſæpe ſæpius indiget, jacturam faciat. Et quod magis conſideratione tam Philoſophorum quam Medicorum dignum, eſt; an juxta normam rationis agant, qui bruti cujuſdam ſanguinem in locum ſanguinis humani ſubſtituunt? Confeſſa quippe res eſt, animam brutorum cum ſanguine habitare: proindeque, ſi ejuſmodi ſanguis ſine medio venæ hominis inciſæ immittatur, num ne verendum, hæſito, quod beſtiæ ſanguis, naturam ſuam brutam cum ſanguine hominis participet?

Hoc loco ego. Et monumentis, inquam, proditum eſt, quoſdam habuiſſe ſolennem potationem ſanguinis calidi ferarum, ut ferociores animoſioreſque evaderent. Si nunc ſanguis, facta ejus in ventriculo

[8] Vide *Helmontium* de magnet. vulner. curat. *Maxvellum* de cura magnetica. *Bartholini* Centur. hiſtor. anatom. *Ettmulleri* inſtitut. phyſiol. theſ. XIV. & Therapeut. Cap. II. §. 6. uſque ad finem capitis.

[9] Præſertim vero J. *Daniel Major*, auctor ſeu inventor hujus operationis, in Chirurgia *infuſoria* copioſe circa hanc diſputavit. Inventum tale carpit *Tackenius* in morb. princip. Cap. VI.

concoctione, valuerit virtutem ſuam ſingularem cum homine communicare, quod factum plurimi atteſtantur. [10] Quid metuendum, judicate, ſi quando is calidus ipſis venis, ſine prævia ſui immutatione, immittatur? Sed mittamus hæc & ſimilia philoſophis ad diſcutiendum, dirigamus potius cogitationes noſtras ad mutabilitatem ratiocinii in Medicina; & quia nuper admodum eram in cœtu eruditorum, ubi hæc materies uſque ad tempora Helmontii pertracta, pervelim ideoque, ut veſtrum aliquis in præſentia proponat, nunquid aliud novi ratiocinii in Medicina, poſt Helmontii diſceſſum e vita, obortum.

Tum SCHRADER. Scilicet, inquit, alii aliud excogitarunt, ac ita mutatur in dies, Theoriæ Medicæ facies: Equidem Oſwaldus Grembs doctrinam Helmontii ad compendium contulit, præcidendo perplura, quæ quantamlibet obſcuritatem præ ſe ferebant: verum Tackenius, neglectis ab Helmontio in Medicinam introductis ideis ſeminalibus, *Blas*, *Gas*, &c. obſcuris rebus, redegit omnia ad acidum atque alkali, ſtatuitque hæc omnium, quæ non modo in mundo, ſed etiam in homine proveniunt, & auctorem eſſe, & actorem.

Fac nobis copiam, inquit WAGTEND. ſi libet, ejus doctrinæ.

Faciam, inquit SCHRADER., ut potero. Tackenius, [11] ſcripta ejus legenti profitens, ſe antiquatam propemodum Hippocratis Theoriam inſtauraturum, ſtatuit, juxta ac Hippocrates, duo corporum initia, ignem, & aquam. [12] Ignem duplicis

[10] Inter alios, quos jam non commemorabo, vide *Etmulleri* inſtit. Phyſiol. Cap. 1. §. 22.

[11] In Hippocrate Chimico, & in tractatu de morbor. principe.

[12] In libr. de morbor. principe. Cap. 1.

(13)

plicis generis esse, alterum universalem, alterum singularem. [13] Universalem, omnium rerum scientem, & omnium naturalium formarum parentem, a Sole proficiscì, esseque occultum quendam atque inconspicuum spiritum acidum. [14] Singularem autem cuilibet mixto, modo oculos fugiente, inesse, eundemque esse, qui ab Hippocrate nomine spiritus, flatus, venti, seu aëris, nuncupatur. [15] Alterum Naturæ principium, aquam nempe, igni obedire, & medium esse inter densum, & tenue, inter terrram, & aërem: esseque Naturæ Solvens, & fœminam; præditumque insuper corpore volatili, multiplicem induens figuram. Aquam præterea, sentit, esse vacuam, qua de caussa ejus Natura ita comparata, ut possit intra se incomparabilem Solis spiritum acidum suscipere, absorbere, attrahere. Majoris perspicuitatis ergo non dubitat eam, more aliorum Philosophorum, appellare *Alkali*. [16] Proprium ignis esse cuncta semper movere: at aquæ omnia semper nutrire. [17] Ignem nunc, & aquam inter se copulata, constituere fermentum vitale, & omnia, quæ mundus habet, in se comprehendere. Etenim aqua, cœlestia masculinaque rerum semina ex aëre, hauriente, confestim ignem inchoare in illam agere, movere, eamque ornare: indeque postmodum progigni Hermaphroditam, Ignis aquam,

[13] *Ibidem* Cap. II. & VI.

[14] Ibidem Cap. VII. Hujusmodi spiritum, cum aquam in matrimonio habuerit, constituere fermentum rerum vitale, & omnia, quæ mundus habet, in se comprehendere.

[15] *Ibidem*. Cap. II.

[16] Vide Cap. III.

[17] *Ibidem* & Cap. II. Hæc duo utramque faciunt paginam: omnia possunt, omnia ipsis insunt. Ab igne etenim, sensit, binas qualitates primas masculinas, calidum videlicet & siccum: ab aqua totidem fœminas, ut frigidum & humidum, effluentes in mixtorum generatione concurrere, commiscerique. vide etiam Cap. VII.

aquam, quam Naturæ myſtas nomine *ſalis communis* nominaſſe, cum tamen id potiori jure ſit ſalis Philoſophorum, Balſami univerſalis, &c. cooptandum. Ex hiſce poſitis, putat, planum fieri, rerum univerſitatem non aliter, quam per acidum & *alkali* produci poſſe. Hæc concordia ſibi mutuo eſſe conjunctiſſima; & hæc inter ſe copulata, conſtituere id, quod veteres humidum *radicale* vocarunt. [18] Apud acidum porro, opinatur, commorari animam qualicunque prudentia præditam. Hoc dogma, quamvis cuipiam abſtruſius prima fronte videatur, per Mechanicam tamen poſſe demonſtrari. Scilicet omnis generis ſpiritus acidos, invicem mixtos, uniuſmodi quidem liquorem juxta externum aſpectum conſtituere; neque diverſitatem ejus mixti guſtu explorandam: verum enim vero hujuſmodi liquor, ſi fuerit ſali cuivis lixivo ad ſaturitatis punctum, hoc eſt, donec nulla amplius in amborum mixtione appareat ebullitio, junctus; ac poſtea ſuper ignem ad exhalandum, quoad cruſtula in ſuperficie conſpiciatur, poſitus: hinc loco frigido ad *cryſtalliſandum* collocatus, in conſpectum tunc iterum venire omnis generis acida, a ſe mutuo tum forma tum ſapore facili negotio dignoſcenda. [19] Fabricare enim, ait, quodlibet acidum ſibi ex *alkali* domicilium ſimile illi, ex quo deſumptum fuerat. Ex hoc exemplo, arbitratur, apparere, dictos ſpiritus acidos lucis Naturæ ſcintillam in ſe recondere, intelligentiamque, neſcio quam, ex qua dotali proprietate habere. Namque, niſi intelligentia ac ſenſu pollerent, ratiocinari pergit, non ſinguli in una ac ſimili materia peculiarem locum occuparent vel ſervarent. [20] Hac ratione itaque putat effici, acidum quodlibet conſtare ex anima

[18] *Ibidem.* Cap. IV.
[19] *Ibidem.* Cap. VI.
[20] *Ibidem.* Cap. VIII.

anima & ſpiritu: [21] *Alkali* autem, more magnetis, vi attrahendi refertum, ſuperorum virtutes ad ſe allicere, immutareque præterea acidum de proprietate naturali in ſalſam concretionem. [22] Hiſce, ſtabiliminis Theoriæ loco, poſitis, tranſit ad corpus humanum, quod, ſi quando temperiem ex tenuiſſima aqua & rariſſimo igne adeptum, ſaluberrimo tunc habitu præditum eſſe. [23] Pro nutricatu autem id ipſum indigere duplicis generis nutrimento, altero corporeo, altero ſpirituali: ſine hoc enim illud parum ad vitam conferre. Nam acidum vitale, ſeu mollis ſtomachi ignis, quem homines per pulmones inſpiratione recta, ad cor tanquam ad Microcoſmi centrum, ex athmoſphæra attrahere, cum ad ventriculum tandem pervenerit, niſi corporeo *Alkali* inibi nutriatur, facillime ambo tunc ruinam facere: & e diverſo *Alkali*, niſi dicto acido ſaturetur, perdere nutrimenti vim, atque cadaveroſum evadere. Præterhæc illud, perinde ac Natura nihil amat ſolitarium, non poſſe ſolum conſiſtere, ſed appetere *Alkali*, ceu cibum pro multiplicatione ſui: quem aſſumptum illud acidum attrahere, fermentandoque reſolvere primam in materiam, i. e. in Chylum: in quo omnes, tam ſolidarum quam fluidarum univerſi corporis partium, particulas, ſive ad nutricationem, ſive ad generationem ſint neceſſariæ, potentia ineſſe. Has prudentem opificem ſeu *Spagyrum*, in ſtomacho ſedentem, juxta ſuam intelligentiam, ſeparare, ac mandare eas poſtea in corporis regiones. Scilicet, cum tum temporis nondum adeo, ut poſtea demonſtrata ſunt vaſa lactea, exiſtimat totum Chylum, aura vitali turgidum, in vaporem adeo volatilem reſolvi, ut ſolidam inte-

[21] In recapitulatione. Cap. VIII.

[22] Hæc Capite. IV.
[23] Vide Cap. VI.

inteſtinorum membranam pervadere nullo negotio poſſit: & peracta in venis meſenterii, propter novam generationem, puri ab impuro, ſecretione, ventriculum Hepatis dictum vaporem chyli ſalſum rurſus fugere: quem vaporem, cum is fuerit iſtuc loci in liquorem iterum condenſatus, eſſe eundem, quem vulgo ſanguinem vocamus. Hunc eſſe aquam microcoſmi, omnium corporis ſuccorum, muſculorum, capillorum, &c. ſemina complectentem, vitaliſque ſpiritus ſedem. [24] Adhæc, cum obſervetur in ſingulis fere corporis partibus peculiare liquidum ſecerni, apparere ex hoc, ſuum cuique eſſe ventriculum; imo quot membranas, quot muſculos, totidem etiam eſſe digeſtionum officinas: aliter enim, ac dixi, ſi eſſet dictarum Natura partium comparata, ſeparetur, neceſſe eſſe, ubique locorum, uniuſmodi latex. [25] Quomodocunque nunc aliquid fuerit in corpore effectum, non potuiſſe id, judicat, ſine duabus Naturæ effectricibus, ſolutione utpote & coagulatione, perfici. Has non ſolum requiri ad panis ad vini opificium; ſed etiam ad omnium animalium vitam, ſanitatem, & morbum. [26] Prout de ventriculis, ita etiam de animabus, ſtatuit. Animam quidem, ſi generaliter conſideretur, eſſe ſui domicilii architectum; at enimvero, cum nemini non notum ſit, ſingulos morbos inter ſe diverſos, effici igitur hac ratione, perſuaſum habet, ſuam cuique morbo etiam eſſe animam. Hunc ſpiritum, cunctarum rerum ſcientem, tam morborum quam remediorum eſſe fabrum. Qui cum in unoquoque individuo natura diverſus, quid ſtatuendum de iis, ad judicandum relinquit, qui præpoſtere beſtiæ ſanguinem peculiari, & ab hominis natura

[24] Vide Cap. VII.
[25] *Ibidem.* & Cap. IX.
[26] Vide Cap. IX. in medio fere.

natura diſtincto, ſpiritu præditum, in venas hominis immittant? [27] Cæterum, quod ad morbos pertinet, ſtatuit, omnes propemodum morbos a *fermentatione*, ſeu conjunctione acidi & *Alkali* exoriri. [28] Itaque omnium, Hippocratis ſententiam amplexus, modum, opinatur, unum eundemque eſſe; locum vero, facere illorum differentiam; ſiquidem acidum ab acido non natura, ſed ſecundum loca modo differre; aliter enim, ac ſenſit, ſi ejus ratio eſſet, non poſſe non, quin ſemper idem morbus generetur. [29] Acidum ergo ad urinam admiſſum, ſtranguriam: ad inteſtina, colicam: ad juncturas articulorum, podagram: ad pellem, ſcabiem: ad fauces, raucedinem, anginam, &c. efficere. [30] Paronychiam generari, quando in extremitate unguis occultum fermentum errore tendat ad exteriora, & indidem propter impeditam tranſpirationem foras exire neſciat, tunc illud protinus aceſcere accendique. Hæc ita ſe, ut ſtatuit, habere, hoc habet rei documentum. Si in principio, ait, pellicula leviter ſaltem ſcalpello abradatur, dolorem omnem & pulſationem illico ceſſare: quia detenta acrimonia, dempto obice, identidem exſpirare tunc poteſt. Poſito acido tanquam cujuſlibet morbi cauſſa principe, aliquis Tackenio poſſet objicere, ergo *Alkali* quodvis, quoniam id juxta ſuam ipſius ſententiam, omnis generis acidum, abſorbet ſeu invertit, nemini non morbo medetur. Verum ille ab hoc tale reſponſum auferat, & licet, inquit, *Alkali* generaliter in Macrocoſmo cuncta acida ſine diſcrimine ſorbeat: Microcoſmi tamen, pergit, longe aliam conditionem eſſe, eo, quod acidum, quamvis morboſum

[27] Plura hujus generis occurrunt Cap. VI.

[28] Hæc Cap. IV.

[29] In anacæphalæoſi. Cap. VIII.

[30] Ita Cap. VII.

moſum, animatum tamen, & ſuo modo prudens, magnetis inſtar, exiſtere: ideoque id non feſtinare, niſi ad illud *Alkali*, cujus ſymbolum & convenientia penes ſe ſunt. Et hanc eſſe rationem, quapropter lapilli cancrorum, ut & ferrum, tanquam *Alkali* ſingulariter acidum hypochondriacorum abſorbeant, emendentque. [31] Hæc ſunt præcipua *Tackenii* dogmata, quæ etiam maxima ex parte profeſſi ſunt Bontekoe, Overcamp & alii: qui tamen inſuper viſcidum, variorum affectuum effectorem, acido & *Alkali* junxerunt. Et, ut ſummam doctrinæ dicam, opinantur, *Alkali* perraro: verum & acidum, & viſcidum pleraſque corpori importare ægritudines.

Hanc Hypotheſin, inquit WAGTEND. habeat, cui ea eſt volupe. Mihi, non tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenti, longe aliter, atque memorati ſtatuerunt, videtur. Fateor equidem dictam hypotheſin apprime valere in incolas regionum frigidarum, & humidarum, ubi maxima hominum pars morbis diuturnis & obſtructionibus laborat: verum vix quiſpiam mihi perſuadebit eam quadrare in regiones calidas ſeu ſiccas, ubi homines ſæpiſſime morbo acuto & inflammationibus corripiuntur: cujuſmodi affectibus non *Alkali*, ſed acido quodam, vel terreſtribus, vel frigore, vel ſanguinis miſſione, vel & alio ſanguinis nimiam exæſtuantis motionem cohibente, non raro Medici medicinam faciunt. Docuit quondam id Sylvius, docuerunt & alii, in malignis, in ardentibus febribus, inque aliis morbis obſervari ſanguinem juſto fluidiorem. Cæterum aſtipulor Sylvio, non argumentis non experimentis qualibuſcunque in Medicina agendum, ſentienti, quia plurima in Theoria quidem ſpecioſa, veriſimiliaque: aſt in

[31] Vide plura Cap. IX.

in praxi, vana ac erronea, animadvertantur. [32]

Tum ego. Quandoquidem, inquam, incidit Sylvii mentio aveo discere, nunquæ interpolatio Medicinæ ab eo facta?

Hanc agnoscetis, inquit SCHRAD. Si cum animo vestro consideraveritis & Sylvium, & Willisium, utrosque seculi modo præteriti auctores longe celeberrimos, copulasse ratiocinia Anatomica cum Chemicis. Non enim vos esse nescios, existimo, intra sesqui seculum, oppido multa ab indefessis cujusvis artis cultoribus observata, adinventaque, quæ scientiam quantamcunque veterum fugiebant. Hæc uterque complexus, suo quisque ingenio fabricatus est placita peculiaria. Uterque suos habuit, imo etiamnunc habet, sectatores. Uter utri autem, qua doctrina qua eruditione, anteferendus, non meum est dirimere, sed id aliis, me doctioribus, ad judicandum relinquo.

Si Tibi allubescit, inquam, trade primo doctrinam Sylvii.

Sylvius, inquit SCHRAD., tanquam enuntiatum habet. Nihil in Medicina, perinde atque verum, admittendum, præterquam, quod Experientia per sensus externos confirmarit. [33] Ut autem hanc sibi quisque comparare possit, necesse esse, ut is & Anatomiæ & Praxi Medicæ, & Chymiæ operam navet: illi, ut singularum partium structuram, ac affinitatem communionemve, quæ ipsis intercedit, nec non contenta corporis multiplicia, addiscat: isti, ut affectiones rerum naturalium, quæ ex harum aut usu aut abusu homini, vel sano, vel ægro accidere solent, accurate & exquisite observentur: huic denique, ut

[32] Vide *Deleboe Sylvii* Prax. Medic. libr. III. Cap. VII. §. 13. & seq. & ejusdem libr. Cap. X. §. 64.

[33] Disputat. medic. IX. §. 27.

ſibi naturalium vires. i. e. eorum agendi patiendique modi, atque adeo ſenſiles mutationum naturalium cauſſæ, innoteſcant. [34] Hoc triplici fonte Sylvius cum ea, quæ ad Phyſiologiam, tum ea, quæ ad Pathologiam, ſpectant, derivat. Doctrinam ejus narratione delibabo. Digeſtionem ciborum in ventriculo, non dubitat, *fermentationi* in Mechanicis aſſimilare. Nam cibo dentibus manſo intermiſceri ſalivam, vi fermentandi in primis refertam: poſthinc cibum manſum demitti ad ventriculum, ubi reliquias alimentorum, circa ventriculi rugas hærentes, poteſtate fermenti dotatas, ſuum quoque ſymbolum conferre. [35] Exacta alimenti in liquorem albidum, beneficio *fermentationis*, in ventriculo elaboratione, dictum liquorem, chylum a Medicis appellatum, indidem per pylorum emitti in lactes: in quibus iterum fieri chyli ab alvi excrementis ſecretionem. In primis vero hoc opus contingere in inteſtino duodeno, ubi bilis, propter ſibi adjunctum ſal lixivum, & ſuccus Pancreatis, natura ſubacidus, facta utpote utrorumque cum chylo mixtione, excitent blandam, naturæ noſtræ amicam, efferveſcentiam. Quæ cum contingat, fieri inſimul puri ab impuro ſecretionem. Hoc tendere ſenſim ſenſimque, poſtquam fuerit prius in lactibus omni ſibi admixto chylo orbatus, ad alvum, ut foras eliminetur. Illud vero a motu inteſtinorum periſtaltico in venas lacteas, & ductum thoracis exprimi, ubi denuo id conjungi cum lympha: aſt cum ſanguine, ſi quando ad axillarem & cavam venam pervenerit. Poſthac conjunctim defluere paulatim verſus dextram cordis auriculam, ubi de novo eis admiſceri ſanguis, ab inferiore parte ad cor rediens.

Mixta

[34] Diſputat. medicar. x. §. 5. 6. & 7.

[35] Diſputat. medic. 1. §. 21. & ſeq.

Mixta invicem dextram cordis auriculam ſubire, & ex hac contracta in dextrum cordis ventriculum propelli. Et licet iſtuc loci internus cordis ignis mixturam hanc accendat attenuatve; tamen eam non ultimam perfectionis ſuæ metam attigiſſe. Ideoque iterum deferri per arteriam pulmonis in pulmones; ubi ab aëre inſpirato temperari, ac, ut ita dicam, recreari: per venam pulmonis deinceps properare in auriculam cordis ſiniſtram, ac in ejuſdem loci ventriculum, ubi rurſus antedicta mixtura ab igne cordis accendi, rarefieri, ac quodammodo efferveſcere, & tunc ſortiri ultimam ſui perfectionem. [36] Sanguinis conſtitutionem, quomodocunque fuerit, Triumviratui Sylvius acceptam refert. [37] Per Triumviratum autem intelligit triplicis generis corporis humores, bilem ſcilicet, ſalivam, & ſuccum pancreatis. Bilem, ratione ſalis volatilis & oleoſi, blande partes alimentorum tenaciores incidere, quo facto has potiorem fluentiam ſortiri. Salivam, propter ſpiritum acidum & ſal lixivum, ſibi admixta, magis magiſque ciborum fermentationem promovendo, eorundemqua lentorem minuendo, partes quaſcunque feceſſui reddere aptas. Denique ſuccum Pancreatis, propter ſpiritum ſubacidum, quo dotatum, alimentorum tenacem naturam potentius ſolvere, ſimulque partes ipſorum maxime lentas cogere ad confluxum cum fluidioribus: quo peracto temporis veſtigio, tunc ipſis perfluendi occaſio præberi. Quoties nunc dictorum trium humorum vel unus, vel duo, vel omnes inſimul male conſtituti, toties pituitoſam contingere Chyli a

[36] Vide diſputat. medic. II. §. 14. & ſeq. diſput. III. §. 2. & ſeq. diſputat. X. §. 44. 53. & ſeq Prax. Medic. libr. I. Cap. XI. §. 1. & ſeq. item appendic. tract. V. §. 526. & Prax. med. libr. I. Cap. XVIII. a §. 1. uſque 6.

[37] Prax. Medic. lib. I. Cap. XI. §. 3.

fœcibus alvi ſecretionem. [38] In primis vero & ſalivam, & ſuccum Pancreatis, utroſque inter ſe non diſſimillimos, pituitæ producendæ eſſe aptiſſimos. [39] De cætero, peracta iſtorum trium humorum conjunctione, in qua ſal lixivum bilis ab acido ſucci pancreatis & ſalivæ immutatur, progigni quartus, quem de proprietate convenire cum ſale ammoniaco, quod etiam ſui generis eſſe acidum, a ſale volatili urinæ informatum. [40] Quemadmodum in duodeno a Triumviratu cum Chylo: ita etiam in corde fieri lymphæ, quam naturæ ſubacidæ, & bilis, quam naturæ *alkalicæ*, *effervescentiam* ſeu ebullitionem amicam: cujus beneficio deinde, arbitratur, erumpere, ſeu exurgere ignem vitalem, non lucidum, ſed ſimilem ei, qui oleo Therebinthinæ & oleo vitrioli invicem mixtis, oboritur. Hunc foveri ſanguinis reliquiis, intra dextri cordis ventriculi cavernulas, reſtitantibus. [41] Ebullitionem Naturæ humanæ inimicam, modo hanc modo illam febris ſpeciem, cientem, exoriri, quoties utraque, bilis puta & lympha, vel alterutra fuerit minus temperata. [42] Cæterum ſuſpicatur lympham generari e ſpiritibus animali-

[38] *Ibidem*. Cap. x. §. 2. 5. & ſeq.

[39] Append. Prax. Medic. tractat. VI. §. 39. & 40. Diſput. medic. v. §. 37.

[40] Prax. Med. append. tract. v. §. 163.

[41] Diſput. med. x. §. 30. 43. 54. & 56. Prax. Med. libr. 1. Cap. XVIII. §. 6. Append. tract. II. §. 243. & ſeq. Paragrapho 16. Diſput. x. ſcribit ignem vitalem haudquaquam more ignis foveri vel excitari, *verum deberi aut reſtitantibus intra dextri cordis ventriculi cavernulas ſanguinis reliquiis, aut ipſi ſanguini utrinque ex venis accedenti, aut utriſque ſimul.*.

[42] Diſputat. Medic. x. §. 55. Append. Prax. tract. x. §. 654. Ita non modo univerſe, ſed potius ſigillatim loquitur Sylvius de cauſſis febrium. E. G. Prax. Medic. libr. 1. Cap. xxx. §. 97. & ſeq ſcribit, febres algentes ortum ſuum debere ſucco pancreatico acidiori, & pituitæ ſatis copioſæ ac tenaci juncto: bile interim exiſtente valde inerte. Ardentes febres oriri a ſucco pancreatico minus acri, & pituita modica minuſque lenta: bile autem acri, oleoſa & copioſa. Cardiacas

malibus, eandemque ad glandulas conglobatas, per nervos deferri, cui ulterius acidum ex affluente ad ipſas ſanguine ſecretum admiſceri. [43] Quamvis Sylvius alibi [44] ingenue faſſus, ſe hærere in declarando indolem ac uſum lymphæ: attamen alio loco [45] ſtatuit. Duplicem utilitatem corporis œconomiæ lympham afferre (1) impedimento eſſe ſpiritibus animalibus, ut ne nimiam ſubeant conſumptionem ſui, & (2) ebullitionem ſanguinis, in corde peragendam, dirigere. Quantum ad ſpiritus animales attinet, putat Sylvius, generari hos e ſanguine, a corde per arterias carotides in ipſam cerebri cerebellique ſubſtantiam, perlato: ubi parte ſua aquoſa, colando quaſi per anguſtiſſimos capillarium arteriolarum poros, privari, ac nanciſci qualitatem, a ſpiritu vini non multum, abludentem. [46] Quod vero ad acidum, cujus ſæpenumero meminit, pertinet: exiſtimat, id ſanguini arteriarum ineſſe, quale non genitum in corpore, ſed poſtmodum in glandulis certa proportione juxta omnigenam humorum indolem ab aliis rebus modo ſeparari. Sic in glandulis conglobatis fieri e ſpiritu volatili & acido lympham: in Pancreate e ſpiritu acido & oleo, ſuccum ſui generis: in glandulis maxillæ conglomeratis ex acido & volatili ſpiritu, & oleo, ſalivam. [47] His memoratis

diacas febres exoriri a ſucco pancreatico, ſtagnando vim corrodendi nacto: præſertim vero, quando fel acre concurrat, atque valida, ex ipſorum confluxu, contingat ebullitio; qua de cauſſa tunc halitus acerrimos, verſus ſuperius ventriculi os aſſurgentes, id ipſum acriter mordere ac rodere. Non diſſimili modo de reliquis febrium ſpeciebus diſſerit.

[43] Diſputat. medic. IIX. §. 40. & 42.

[44] Diſputat. medic. V. §. 4. 8.

[45] Diſputat. medic. VIII. §. 62. & 63.

[46] Diſputat. medic. IX. §. 28. & 29.

[47] Diſputat medic. VIII. §. 48. 53. 54. & 58.

pothetice a Sylvio poſitis, non imparatus erit, ejus veſtigiis inſtiturus, a ſpecioſis, de variis corporis ægritudinibus, ratiocinationibus. Nam modo humorum, aut abundantiam, aut defectum, tametſi laudabiles fuerint: modo ſingulatim fellis nimiam aut acrimoniam lixivam aut pinguitudinem: modo ſucci pancreatis nimiam acerbitatem, auſteritatemve: modo ſalivæ, modo lymphæ, &c. quoquo pacto contractam mendam, culpabit. [48] Non imparatus itidem erit, juxta hanc hypotheſin, ſuum cuique affectui remedium adornare.

Scilicet, inquit WAGTEND., ſi is hujus virtutes habuerit perſpectas, & doſin, & tempus adminiſtrandi medelam, obſervaverit: incaſſum alias, me judice, quæviſcunque medicamenta ornabit. Sed quantopere in his, in quibus tamen cardo curationis vertitur, plurimorum ſcientia vacillet, non meum eſt indicare. Utinam hæc arte determinarentur? Arbitror enim horum cognitionem univerſis morbis ſalutarem; & fore, ut exinde Medicorum honor in dies increbreſcat.

Tum ego. Vera profers, inquam. Aſt quis multorum præjudicatas opiniones, & negligentiam, e vita ſuſtulerit? Eorum nempe, qui putant cognito morbo ejuſdemque cauſſa, nullo negotio remedium inveniri. Sed hoc eſt, quod curatione ægri demonſtrandum. Quis noſtrum non ingenue confitetur medicos, quamvis morbum cognoverint, fluctuare ſæpe animo, quando ægris remedia præſcribunt: & id potiſſimum ob rationes a *Wagtendorpio* allatas. Verum mittamus

[48] Method. med. libr. 1. Cap. XVII. §. 13. & ſeq. Prax. med. libr. 1. Cap. XI. §. 7. & ſeq. Quid, quod *Sylvius* ejus modi argumenta paſſim in libris ſuis affert. Supervacaneum ergo duxi, laborem, ſi huic operi plura inſeruerim: ſiquidem auctor cum pleriſque medicis recentioribus verſatur.

(49)

mus hujus ſeculi errores, quos, ſpero, alios, nobis doctiores, diligentia correcturos, auctoritateque, ac experientia roboraturos. Sed evagor longius, quam volebam. Mentio paulo ante fiebat Doctrinæ Williſii.

A me facta eſt, inquit SCHRAD.

Igitur velim, inquam, Vir Clariſſime, ut pauca de ea deguſtes: pulchre enim ejus ſenſum calles.

Noli, obſecro, inquit SCHRAD., me laudare in os. Mihi enim ipſi non latet, quam curta mihi ſit ſcientia. Verum tamen, cujuſcunquemodi ea ſit, morem tibi geram, & memorabo ea, quorum memoria penes me eſt. Sed ad rem. Williſius ſtatuit in homine revera duas, natura diſtinctas, dari animas: alteram intelligentem, incorpoream, immortalem: alteram corpoream e ſanguine vitali; & ſpirituum animalium congerie pariter conflatam. Hanc illi loco ſubjecti, cui inhæreat, inſervire. Et, quamvis corporea per univerſum corpus diſtributa, tamen rationalem animam, ſedem occupare in phantaſia; cujus collocationem eſſe in meditullio cerebi. [49] Verum, quoniam multa multi de natura animæ humanæ, quatenus ea ſingularis, & a brutorum anima ſit diſtincta, philoſophati, mittam itaque illam: at conferam me ad hujus, de qua, ut noſtis, peculiarem edidit tractatum, indagationem. Quantum nunc ad animam corpoream pertinet, opinatur Williſius, eam conſtare e duplicis generis initiis: unum flammæ non diſſimile, ortum e ſanguine ducere: alterum lucidum, in cerebro inque nervis gliſcere. [50] Hujuſmodi animam per univerſum corpus, ſenſit, eſſe extenſam, naturæque eſſe igneæ; vel halitum, flammæ ſimilem. [51] Hanc

[49] De anim. brutor. part. Phyſiolog. Cap. VII.

[50] Libr. de ſang. incalescentia.

[51] De anim. brutor. part. Phyſiolog. Cap. II.

Hanc primordia generis ducere e ſemine genitali: in quod eam nondum accenſam, tanquam atomorum ſubtilium congeriem, reconditam; quam deinde, poſteaquam focum nacta idoneum, vel a parentis, vel geſtantis, vel incubantis anima, velut flamma de flamma, ante jacta corporis fundamenta, accendi; hinc micare, & ſe paululum explicare, incipere. Eam poſtea conceptus telam exordiri, & materiam agitare oppoſitam, & accendere, & ſuo quamque partem ordine diſponere. Eam porro adaugere in dies, paremque evadere corpori, a ſe effecto. [52] Conſtare itaque naturam animæ brutæ, opinatur, e particulis ejuſdem materiei, ut corpus; hoc tamen diſcrimine, quod illi ſint ſelectæ, ſubtiliſſimæ, maximeque agiles; huic vero craſſiores, &c. [53] Præterea hanc animam cujuſquemodi corporis mixtionis, & correctionis vinculum: hanc id ipſum corpus, tanquam Sal, a putredine vindicare. Namque flamma animæ interſtincta, ſeu accenſione & motu particularum ſubtilium ceſſante, confeſtim corporis compages diſſolvi. [54] Non modo beſtiis, verum & inſectis ſuam quibuſque animam eſſe igneam, aſſeverat, quoniam accenſæ vitæ ergo, copia aëris, tanquam ignis pabulum, ipſis ſit opus. [55] De cætero ſingulare innatumve in hac anima eſſe, tueri ſe a cujuſmodicunque injuriis: dein ſpeciem ſuam propagare. i. e. ſobolem, ſeu alias animas. Quantum vero ad affectus ſpectat, dependere eos, putat, a flamma animæ brutæ, plurifariam aut aucta, aut imminuta. In ira inque indignatione eam modo immani excandeſcere: a gaudio pene extingui: ſuffocationis autem periculum ſubire, prout omnifariam, vel ſubito timore, vel triſtitia perculſa periclitetur.

Quid?

[52] *Ibidem.* Cap. v.
[53] *Ibidem.* Cap. ii.
[54] *Ibidem.* Cap. v.
[55] *Ibidem.* Cap. iii.

Quid? quod & ipſe corporis habitus ejuſmodi flammam omnimodis immutare potis ſit. Etenim in temperamento frigidiore, hydrope, leucophlegmatia, &c. propter ſanguinem nimis aquoſum, flammam non niſi exiguam, inconſtantem, proinde, quaſi fumo & vapore eſſet obruta, emitti: interdum vero ſanguinem, ob abundantiam ſulphuris, in totum accendi: exempli gratia in temperamento cholerico, & in intemperie febrili. Ex dictis exemplis nunc concludit, prout flammæ vitalis accenſio varie alteretur: ita etiam particulas lucidas, ab eo ortas, ſeu ſpiritus animales, diverſimode fulgere. Neque oblivione conterendum eſt, aliquando ipſos ſpiritus animales, non ſatis lucidos ac aëreos exiſtere: verum effluviis peregrinis, ſalinis nempe, ut vitrioli, ut nitri, vel aliis nubiloſis, infici: cujuſmodi deinde ſenſibiles ſpecies deformare, & motus inordinatos excitare: atque adeo in cauſſa eſſe, ut tota anima ſubinde varias ſubeat mutationes, ſpecieſque induat alienas; ceu in mania, melancholia, &c. ſæpe contingere. [56] Pergo ad beſtiarum notitiam. Hanc bifariam, ſenſit, eas indipiſci. Notionum etenim alias eſſe ingenitas animæ, alias aliunde acquiſitas: illius generis appellari vulgo inſtinctus naturalis, quo duce animalia bruta impelli ad conſervationem ſui, & ad propagationem ſui generis: hinc ad famem, frigus, &c. tollenda jugiter conniti, exquirereque ea, quæ ſibi, ut commoda, congruunt: amoliri autem ſummopere, quæ his contraria ſunt. Inde coitum appetere, nidulari: ovis incubare, & ſimilia, tum ad generandum, tum ad nutriendum fœtum neceſſaria, peragere. Acquiſitæ notionis beſtias fieri conſortes, ſi quando ſenſibilia earundem animabus im-

[56] Hæc e Cap. v. dictæ partis Phyſiol.

primuntur. Non ſtatim, cum in lucem venerint, eas ſe præbere dociles, ſed tum demum, quando cerebrum & ejus appendix non amplius humida, partem animæ lucidam obſcurent; quapropter hoc tempore factæ ſenſationes obiter modo impreſſæ cerebro, confeſtim denuo obliterentur. Verum enimvero, ſi contra, ac memoravi, cerebri fuerit conſtitutio, & ſpiritus animales ſatis lucidi, objecta externa, ad ſenſuum organa delata, his quidem cujuſdammodi impreſſiones importare, quas nequaquam in his perſtare: verum ratione continuatæ ſpirituum animalium ſerici, introrſum verſus corpora ſtriata tranſmiſſas, ſenſorium commune afficere, exinde ulterius ad corpus calloſum, & ab hoc rurſus ad cerebri corticem, pertingere, ac ita animæ perceptionem rei ſenſæ inferre; cui veſtigio temporis ſuccedere imaginationem, atque ejus typi relicta veſtigia conſtituere memoriam, [57]

Hoc loco ACKERSD. Quorſus iſthæc? inquit. Tu philoſophare. Puto nos in unum conveniſſe, ut de Medicina diſputaremus. Perſeveremus, velim, in hoc propoſito. Siquidem, ut liquet inter nos, ſuæ quiſque artis diſputator eſt optimus.

Hæc indicari oportebant, inquit. SCHRAD. quia Williſius ea, tanquam hypotheſin, habet, quam pro argumento doctrinæ Morborum capitis poſuit. Videbitis, ſi modo ejus librum de anima brutorum inſpexeritis, quanta ſeries rerum ſententiarumque ſit? atque ut ex alio alia nectantur? Quin labebar, longius, niſi me retinuiſſem. Adeo enim me delectant ſingula, quæ auctor, longe omnium doctiſſimus, monumentis prodidit. [58]

Tum

[57] Vide Cap. VI. ejuſd. Part. ubi auctor copioſe circa hæc diſputat.

[58] Nerupe in Part. II. quam *Pathologicam* appellat, in qua tractat morbos, qui ad animam

Tum ego. Quandoquidem, inquam, Tibi ea perplacent, redde, obſecro, quæ reſtant. Etiam nos, tametſi non pauca de ſcriptis Williſii deguſtaverimus, delectamur in repetitione ejus doctrinæ.

At enimvero, inquit SCHRAD., ut ſuis quæque locis reddam, neceſſe eſt, primum indicare, quod de fermentatione ſtatuit. Quippe hujus efficientiæ, duxit, complura, quæ in corpore oboriuntur, adſcribenda: multum inſuper eam ipſam pollere, ait, in omnimoda corporis, tam ſani quam valetudinarii, conditione. Per vocabulum autem *fermentationis* ſignificat quamcunque ebullitionem turgidam, quæ in corpore naturali ſponte, a particulis iſtius varie agitatis, concitatur. Hanc operationem vero neutiquam in re obſervari, niſi adfuerint particulæ diſpares ſui, in aliquo humido congredientes. [59] Superſedebo his, quæ longe lateque de utilitate ac potentia hujus in Mechanicis diſſeruit. Ea tantum proferam, quæ ad corpus humanum pertinent. Sed ad propoſitum. Hominem, arbitratur, non modo ratione fermentorum naſci, nutririve, verum etiam mori: quemlibet enim morbum virtute cujuſdam fermenti ſuas excitare tragœdias. Quid? morborum quoque curationes *fermentationis* ope Naturam moliri. Etenim in tuenda aut recuperanda hominis ſanitate, & medici, & œnopolæ parile propemodum eſſe officium. Sanguinem enim, & reliquos corporis humores perinde ac vina, oportet in æquabili temperie, æquabilique *fermentationis*

mam corpoream, ejuſque ad ſubjecta, cerebrum utpote, & genus nervoſum, ſpectant, ut de Cephalalgia, Apoplexia, Mania, &c.

[59] Vide Cap. 1. de Fermentat. Cap. III. hoc modo dictam operationem definitione declarat. *Fermentatio eſt motus inteſtinus particularum principiorum cujuſvis corporis, cum tendentia ad perfectionem ejuſdem corporis, vel propter mutationem in aliud.*

tationis motu ſervare. In hoc quippe conſiſtere bonam valetudinem: ægram vero, ſi quando dicta humorum motio, aut minor ſolito, aut major, fuerit. [60] Et, ut prima vitæ initia attingam, ſenſit Williſius, ea originem ſuam ſpiritui in corde, velut puncto cuidam fermentanti, debere. Hujus cordis fermenti inſtinctu, ſeu occurſu, ſanguinem impetuoſe effervescere. Proindeque ſanguinem a *fermentatione*, ſeu accenſione, quam in cordis ſinu patitur, quam plurimis ſpiritus ſalis & ſulphuris particulis, e laxata compage erumpere nitentibus, refertum, non ſine tumultu inſigniter turgeſcentem, per vaſa deferri. Non modo cordi, ſed etiam pleriſque interaneis, ineſſe peculiare fermentum, cujus adminiculo omnis generis humorum, per vaſa poſtea colandorum, perfectionem fieri. Ita ventriculi plicis, autumat, inhærere fermentum acidum, cujus beneficio eſculenta mutentur in chylum: quem propter particulas ſulphureas cum ſalinis diſſolutas, fermentoque acido commiſtas, colorem nanciſci lacteum. Quin vero tale ventriculi fermentum a liene ſtomacho inſpiretur, multum addubitat, quia Anatomia non monſtret viam, qua id eo uſque ad ventriculum pertingere poſſit. Et, ut ſplen non habeatur, tanquam viſcus ignobile, ut ita nonnullis viſum: ratum habet, eum, velut promptuarium terreſtris, & limoſæ partis, conſiderandum. Inde hanc, poſtquam fermenti naturam ſortita, viciſſim ad ſanguinem, effervescendi gratia, amandari. [61] In ſanguine verò, quem ſtatuit, ſulphure, ſale, aqua atque terra, compoſitum, vel, quem habere particulas ſpiritus inſtar valde agiles ad calorem & motionem, nec non molles, & teneras ad corporis nutricatum, idoneas,

[62]

[60] *Ibidem.* Cap. V. [61] *Ibidem.*

[62] inveniri duplicem fermentandi actum: alterum naturalem: præter modum naturæ alterum. Naturalis eſt, quando rite citra ullam moleſtiam perficitur: præter Naturam ex adverſo, quando ſanguis, ultra modum efferveſcit, & turgeſcendo rarefactus, vaſa diſtendit, pulſum celeriorem concitat, & velut liquor ſulphureus incenſus calorem adurentem quaquaverſum demittit. Trifariam autem præcipue ſanguinem præter naturam efferveſcere. Sive enim ei aliquod extraneum, ipſi diſſimile, vel extrinſecus corpori illatum, vel intrinſecus a vitioſis quibuſvis viſceribus, ſuppeditatum, permiſceatur: ſive principium quoddam, ſanguinem conſtituens, ultra temperiem naturalem, efferum evaſerit: ſive tandem ei a cauſſa morbida qualiſcunqne liquoris coagulatio inducatur, ac ita particulæ craſſiores a tenuibus ſecernantur; quomodocunque nunc memoratorum aliquid

[62] Libro de febribus. Cap. 1. Spiritus eſſe ſubtilem, & maxime volatilem ſanguinis portionem. Horum particulas nunquam non expanſas, & avolare nitentes, cæterorum, quibus obvoluntur corpuſcula craſſiora, exagitare, & in continuo fermentandi actu continere. Sulphur copioſe ſanguini ineſſe, apparere ex hoc, quoniam non modo alimentis pinguibus affatim veſcimur; verum etiam, quoniam nutrimentum, quod partes corporis ſolidæ a ſanguine accipiunt, ſulphure, vel pinguedine cumprimis refertum. A diſſolutione hujus ſulphuris, ſentit, rubicundum ſanguinis colorem oriri. Salem inprimis vero volatilem, ſanguini ineſſe, evincit guſtus: item deſtillatio. Terram inſuper eidem admixtam, probat, quia ſit humor craſſus, & ſpiſſus: eandemque ſanguinis ſubtilitati nimiæ moderari, ac præproperam hujus accenſionem inhibere. Fluxionem ſanguinis dependere ab aqua ſibi admixta. Hanc, ut ne ſanguis ſtagnet, impedire: ideoque in cauſſa eſſe, ut hic debite circuitum per vaſa abſolvat; & quod ſupereſt, nimium ſanguinis calorem attemperare, aduſtionemque reſtinguere. Præterea comparat ſanguinem cum vino ratione efferveſcendi vel fermentandi actus, quem, ſenſit, utriſque eſſe familiariſſimum. Quin etiam illum facti comparat, ratione cujuſdam modi formæ, coagulationis, ſeu alius, quoquo pacto inſtitutæ, partium utriuſvis, diſceſſionis.

quid evenerit, actutum id in cauſſa eſſe, ut ſanguis ſolito magis efferveſcat, & naturalis corporis ſtatus perturbetur. [63] Quod ad ipſum ſanguinem pertinet, exiſtimat auctor, eum eſſe animatum, & vitam ejus ab cujuſquemodi incendio dependere: quin imo ipſam vitam eſſe ſpeciem quandam flammæ, ab ipſo conceptu in humore genitali depoſitæ, quam deinceps a calore materno exſuſcitatam, incipere paululum gliſcere, micareque, & ad ſanguinem, quoad animal ætatem degerit, commorari. Non adeo ſtupidum aliquis credat Williſium, quo ſtatuat ſanguini flammam lucentem, ut ea igni culinari, vel candelæ, vel ſimili inflammatæ materiæ, eſt, itidem ineſſe. Verum potius Williſius perſuaſum habet eam, quoniam tenuiſſima, forſan ſub forma fumi, vaporis, &c. Sanguini præeſſe. [64] Quid? quod calor & motus ſanguinis inteſtinus a duobus deinde dependeant: nempe (1) a peculiari ejus conſtitutione, quam in hoc ſitam, ut ſanguis, quia ſcatet principiis activis, ut ſpiritu, ſale & ſulphure, in vaſis ſuis, non ſecus, ac vinum dolio incluſum, ſua ſponte turgeſcat, (2) a fermento, cordi inſito, quod liquorem, ſinus ejus pertranſeuntem, efficienter rarefacere, ac cogere eundem, ut efferveſcens quaſi cum ſpuma corde exiliat. [65] Præter hæc, ſtatuit, vaſa ſeminalia & partes genitales fermento turgere adeo, ut nihil ſupra. Videri enim ſibi, ait, heic locorum ſpiritum, ſal & ſulphur, ſimul compacta, ſummeque exaltata, in ſemen, velut in *Elixir* nobiliſſimum, redigi. Actuoſa hujuſmodi principia, non tantum in utero pro fœtu efformando fermenteſcere, ſed etiam juxta

[63] *Ibidem* Cap. 11. confer etiam cum dictis Cap. 1. Part. Pathol. de anim. brutor.

[64] Vide tractat. de ſang. incaleſcentia.

[65] Libro de febrib. Cap. 11.

(66)

juxta ac vividum fermentum, univerſo ſanguini, ut volatilior fiat, & acrior efferveſcat, inſpirari. Hoc fermento itaque rite ſe habente, in fœminis facies colore florido ſuffundi; nec non ob luxuriantem ſanguinem ſingulis menſibus, neceſſe habere ſanguinis ex utero profluvium. Eandem eſſe virorum conditionem, quibus ratione fermenti ſeminalis eſſe plurimum caloris, vocem ſonoram, pilorum, in barba inque inguinis, eruptionem. Deficiente vero, ſeu depravato ejuſmodi fermento, in utroque ſexu obſervari pallorem, anhelationem, &c. & viros fieri plurimum imberbes. [66]

Quid ſenſit, inquam, de ſpiritibus corporis?

Materiam, inquit SCHRAD., miniſtare ſanguinem, & quidem purioris ſulphuris portionem. Hanc intra *corticalem* cerebri cerebellique partem a ſanguine ſecerni, non diſſimili prope modo, ut ſpiritus vini, quem deſtillando per poros ſpongiæ, alembico impoſitæ, pertranſire, ac ita ſubtiliorem indeptare naturam. Neque vero conſtrictiori cerebri nervorumque compagi ſolum ſpirituum confectionem eſſe tribuendam: ſed in cerebro liquorem ſubtiliſſimum, ſpiritum puta, e ſanguine extillatum, fermento quodam imbui: quo admixto eum volatiliorem reddi, atque adeo ad motus ſenſationiſque munia obeunda magis idoneum. Cerebrum namque abundare ſale volatili, cui ſpiritus acuendi attenuandive virtutem eſſe inſignem. [67] Procreatorum, tali, ut dixi, modo, ſpirituum, e ſanguinis flamma emiſſorum, lucis radiis ſimilium, ingentem copiam in meditullio cerebri in futurum animæ ſuperioris uſum aſſervari: ſufficiente interim portione, e ſumma hac corporis regione in medullam oblongam, & ſpinæ dorſi medullam,

[66] De fermentat. Cap. v. [67] *Ibidem* Cap. II. & v.

lam, & deinde in nervos, inque eorundem propagines, blande ſcaturiente, hoſque inſimul agitante, &, ut tenſi evadant, inflante. Quin etiam ſpiritus, ubertim e nervorum ſinubus exundantes, muſculorum, membranarum, &c. fibras *nerveas* ſubire: adeoque in cauſa eſſe, ut hæ propria, ſine medio interveniente, conſtituantur ſenſus ac motus organa. Bifariam autem ſpiritus rerum ſuarum ſatagere: introrſum, cum officium erga ſenſus: a foris, cum erga corporis motionem, conſervent. [68]

Liceat interrari, inquit ACKERSD. Tuam ſcientiam non fugit. Vir Clariſſime, mentionem quoque perſæpe Williſium facere de decantato liquore nervoſo, cujus etiam & Gliſſonius & Whartonius mentionem fecere.

In tempore mones, inquit SCHRAD. Parum abſuit, quin me ejus oblivio ceperit: adeo enim dicendorum magnitudine obruor. Originem ducere hunc laticem, ſpiritibus animalibus vehiculi loco inſervientem, ſanguine, cerebri cerebellique oras exteriores, irrigante, ipſiſque inſtillato: unde, caudicem medullæ trajiciendo, leni poſtea ſcaturigine per totam ſyſtematis nervoſi compagem diffundi. Hujuſmodi laticem autem revera, & cerebro ineſſe, & nervoſo generi, apparere ex hoc, quod ſpiritus animales, jugiter manantes, ſint contigui: quod tendonum, partiumque nervoſarum ſeu vulnera ſeu abſceſſus, exſudent ichorem tenuem: quod, ſi catuli cujuſdam nervi majores ligentur, hi paulatim intumeſcant; quæ omnia accidere ratione liquoris, nervos permeantis. Addatis his, quod ſi nervi, noviſſime diſciſſi, extremitati, admoveatur charta bibula, eam humectari iſtic loci. Munus huic latici, præ-

[68] De anim. brutor. Part. Phyſiolog. Cap. IV.

præter id, quod, ut jamjam dixi, ſit ſpirituum vehiculum, eſſe inſuper, ut varios ſpirituum, in uſum ſenſus & motus, ſchematiſmos, referat. Poſthæc eundem conferre ad nutriendum corpus. Verum, antequam is ad nutricationem aptus, neceſſe eſſe, ut ei admiſceatur aliuſmodi humor, quem ubique fere e Maſſa ſanguinis per arterias deponi. Hos geminos humores, poſtquam utrimque commixti, conſtituere liquorem vere nutritium. Hunc deinde partibus accreſcendis debita proportione ac mole conjungi: vel ſpatiola, propter jugem particularum exhalationem, decidua, interpoſitu ſuo continuo explere. In hiſce duobus namque nutritionis opus cummaxime conſiſtere. Utut nunc nutritio fuerit, primatum tamen conferendum eſſe cenſet, liquori nervoſo. Hunc, propter ſubtilitatem, & ſpiritus, quibus abundat, liquorem arteriarum, natura ſua inertem craſſioremve, informare, reddereque accommodum nutricatui. Conſtare quippe inter Medicos, ſucco nervoſo aut deficiente aut depravato, ſin ullam, perverſam minimum, in corpore oborituram, nutricationem. [69]

Hoc loco ego. Haud dudum memoraſti, inquam, ſpiritus animales corporis motui inſervire, velim, ut tradas, quo pacto corporis motio fiat?

Poſtulat Williſſius, inquit SCHRAD. Duas poſitiones ſibi concedendas. Nimirum, plus ſpirituum animalium, vel particularum impellentium, intra fibras tendinum, quam carnis, hoſpitari. Deinde fibris carneis inſitas eſſe aliuſmodi particulas, ac in illis. In motu itaque corporis vel muſculi alicujus, ſpiritus animales, juxta inſtinctum cerebri, cum nervis communicatum,

Kk

[69] Vide Cap. 1. de febrib. De cerebri Anatom. Cap. XIX. & XX. unde hæc, quomodocunque fuerint, excerpſi.

† Et-

tum, e fibris tendonum in carneas, erumpere, proſilire; & cum inibi inveniant alius generis particulas, a ſanguine ſuppeditatas, conjunctim protinus efferveſcere. Quod cum contingat, fibras muſculi carneas, laxas alioqui, & poris abundantes, infarciri, ac quodammodo corrugari, hinc ſequi ejus muſculi contractionem. Qua finita, ſpiritus ſuperſtites, quorum natura etiamnunc ſincera eſt, redire in fibras tendinum: reliquis interea particulis intra carnem relictis. Harum diſpendium ſanguinem: at illorum, nervos, reſarcire. Et licet ingenue fateatur, ſe opus arduum conari in indicanda dictarum particularum natura, in declaranda cauſſa, qua eæ ipſæ ad motum impellantur, & denique in definienda ratione, vel modo, contractionis muſculorum: non dubitat tamen ſe omnes exorpturum difficultates, ſi permittatur ſibi ponere, nervorum ſpiritus ſalinæ indolis, & particulas laticis in muſculis inhabitantes, vel nitro, vel ſulphure, eſſe refertas. † Hujuſmodi duplicis generis particulas, ad nutum animæ, quoſcunque corporis motus ad eorundem normam dirigentis, efferveſcendo vel ebulliendo coire, perinde ac ſpiritus complures, Chemica arte parati, vel invicem mixti, vel rebus ſolidis diverſis admixti, parilem efferveſcendi actum edere ſoleant. Quemadmodum in horum, ita etiam in illorum conjunctione, autumat, fieri repentinam partium ſubtilium eruptionem, a quibus poſtmodum inflari muſculos, contrahique. [70] Contractis enim, breviatiſque fibris muſculorum carneis, quia ejuſmodi particulis adimplentur, eos

† Etenim niſi aliquis ejuſcemodi particulas poſuerit, vix fore, putat Williſius, ut aliquis mentem ſuam de affectibus ſpaſticis, &c. verbis explicare poſſit. Vide Cap. xv. Part. Pathol. de anim. brutor.

[70] De morb. convulſiv. Cap. 1.

eos tumeſcere, ac ad omnimodam motionem eſſe accommodatos. Porro contractis quoquo modo muſculis: ſpiritus, nervos influentes, a fibris membranaceis, carnoſas ubique decuſſatim ſecantibus, deſiſtere: quare etiam muſculos, quia iſtiuſmodi fibræ membranaceæ exinanitæ vel laxatæ, facili negotio poſſe diſtendi; relaxatis autem muſculis, ſpiritus modo dictas fibras denuo ſubire, implere, &, quo melius carnes ſtringant, breviores reddere. [71] Hæc de naturali partium quarumcunque corporis motione. Vitioſe autem habere ſe eandem, ſi memorata ſpirituum eruptio, *exploſionem* vocat, haud ab arteriarum ſanguine, fibras muſculorum undique interfluente, verum a cerebro cum liquore, nervos irrigante, deſcendat: & dein juxta horum origines, medios proceſſus, plexus, extremitates, ſibi certos terminos conſtituat. Nullum enim ſibi dubium eſſe, ait, quin particulæ diverſæ, & vi quadam e ſanguine erumpentes, una cum ſucco nervoſo inſtillentur cerebro. Has poſtea in nervoſum genus detruſas, ſpiritibus inibi contentis, accreſcere, iiſque conſtitutionem ſpaſticam inferre. Scilicet ſpiritus dicto modo contaminatos, intra nervorum truncos, vel intra fibras membranaceas, muſculis intertextas, vel inter plexus nervoſos, hoſpitantes, aut gravatos ob nimiam plenitudinem, aut data quaqua occaſione exagitatos, irritatos, cogi excutere copulam ſuam; & tum particulas eliſas a ſe mutuo diſcedentes, partes continenter valde inflare, adeoque convulſionem concitare. Non omnes convulſionum ſpecies a capite ſolum, verum quaſdam originem ducere a nervorum finibus. Luculenta hujus aſſerti exempla ob-

[71] Plura inveniet. B. L. in libr. de motu muſculor. pag. 33. & 34. edit. *Wetſteinian.*

ſervari in ſplenis, uteri, renum, &c. affectibus, in quibus itidem corpus convulſione bifariam, ob irritationem videlicet, & ob copulam diſſimilem particularum explodendarum, torqueri. Si liquor nervoſus fuerit penitus vitiatus, fieri convulſionem continuam: intervallis vero redeuntem, ſi materia morbida, finita acceſſione, de novo collecta, nervoſo generi iterum debita portione immiſceatur. Prout materia, aut ſtatis, aut inſtabilibus, temporibus fuerit congregata; ita etiam peridos affectus reciprocaturas. [72]

Pulcherrime quidem, inquit ACKERSD. iſtiuſmodi ratiocinium a Williſio excogitatum, ſed belle, ſed melius, haberet ſe, ſi conſtaret inter nos de tanta, quantam ipſis affinxit, ſpirituum animalium & ſanguinis arteriarum diſcrepantia, de actu effervescendi, & ſubita particularum; maxime ſubtilium, in fibras muſculorum, irruptione. Reliqua omittam, ne videar me animum induxiſſe, viro ſpectato, ejuſdemque ſectatoribus, adverſari.

Facis bene, inquam: & præterea Domino SCHRADERO eſſes impedimento, quo minus inchoatum ſermonem conſummare poſſet.

Ain' inchoatum? inquit, SCHRAD. falſe dicis. Ego potius meum in animum induxi ſermoni clauſulam imponere: adeo multa enim hodie ſum locutus.

Ergo, inquit WAGTENA. Tibi a placitis Williſii nihil reſtat?

Multum equidem reſtat, inquit SCHRAD. Sed quis ſingula extemporali oratione abſolvet? Attamen ne videar contra vos tergiverſari, diſſeram pauca de febri, & id quidem generatim. Febrim, Williſius ait,

[72] Vide libr. de morb. convulſ. Cap. VI. & VII. de motu muſcul. pag. 37.

ait, esse inordinatum sanguinis motum, & sanguinem nimiopere effervescere. Si in sanguine aut spiritus aut sulphur nimis exaltatum ac efferatum, cætera principia superemineat, in caussa hoc esse, ut sanguis continuo effervescat, i. e. ut febres continuæ oboriantur. Sin vero aliquid diversum sanguini confundatur, cujus particulæ tamdiu ebullitionem cient, donec vel subactæ reddantur aptæ mixtioni, vel foras excernantur, esse id in caussa, ut febres, vel statas periodos observent, vel earum accessiones aut anticipent, aut succedant sibi tempore incerto. Febres hæ, cujusquemodi sint, a Medicis appellantur intermittentes. Intermissionem autem oboriri, existimat, quia materia morbida uno paroxysmo omnis diffletur; quamprimum vero de novo alia, in debita quantitate, accumulata, iterum aliam febris accessionem sequi, necesse esse. Quod vero typi non sint uniusmodi, in caussa esse diversam sanguinis constitutionem, dum a temperie naturali degenerans consequatur modo acrem, modo acidam, modo austeram qualitatem. Cujusmodicunque ea fuerit, tamen non oblivioni tradendum esse succum alibilem, quem non ita pridem in sanguinem advectum, plus aut minus crudum, in materiam citius aut tardius ad fermentandum idoneam, perverti. Hinc typorum varietates, putat, deducendas. [73] Sunt quidem Willisio multa artis theoremata, in tractatu de medicamentorum operationibus, ubi insimul complures morbos omni cogitatione pertractat. At enimvero, quia hæc, & illa, quæ hodie commemoravi, inter se conveniunt, derivantur enim ab eodem fonte, ea de caussa his supersedeo.

Sed quid judicas, inquam, de Medicis, qui subsecuti hos, & quorum doctrinæ tu nobis, hodie copiam feciſti?

[73] Pervolve libr. de febrib. Cap. III. & seq.

Si vis Rolfincium, inquit SCHRAD., ſi Etmullerum, ſi Wedelium, & plures alios eruditione longe clariſſimos, tunc eos haberem in numero *Eclecticorum*. Elegerunt namque aliqui varia dogmata partim ex Helmontio, partim Tackenio; aliqui multa e Sylvio, & Williſio, ut & e Philoſophia Carteſii: aliqui e veteribus, & recentioribus ſimul, & ſic, pro ſuo quiſque modulo, alia atque alia artis Medicæ theoremata fabricavit: de quibus unus quiſque facili negotio judicium faciet, ſi modo noviſſimæ primis contulerit. Sed tempus eſt abrumpendi ſermonem, non vacat mihi amplius eſſe confabulatori. Idem & *Wagtendorpius* & *Ackersdyk* cauſſabantur, quare ipſis a me diſcedendum, eſſet.

DIALOGUS. XVIII.

De ratiociniis Medicorum, Theoria Geometrarum, vel Mechanicorum, nixis.

LUcio & Angelo, Medicis hujus Urbis longe clariſſimis, me die feriato inviſentibus, & fumum *Tabaci*, ut nunc nobis uſus eſt, apud focum ſugentibus, in quæſtione erat, utrum vinum, an hæc planta, magis acueret ingenium? Verbis in utramque partem diſputabatur, alter pro vino, pro Tabaco alter, ſtabat. Uterque mentem ſuam roborandi cauſſa afferebat argumenta, quibus alterum convinceret. Et cum in fervore diſputationis eſſent, nobis nuntiatum veniebat ancilla, adeſſe foris *Serarium*, Matheſeos in Inclyta noſtra Academia Profeſſorem multo celeberrimum, introiturum ad nos, niſi nobis vel moleſtiam, vel impedimentum, inferret.

Exeo actutum foras. Quorſus iſtuc? inquam, quin domum introis. Et Tu, & Tui ſimiles, mihi ſunt ſemper acceptiſſimi. Neſcio

Neſcio an auſim, inquit *Serarius*. Ego enim te aliquoties viſum veni: Te vero apud me hucuſque expectavi fruſtra.

Næ, inquam ego, hoc eſt nimis exigue & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par ratio ſit acceptorum & datorum. Do fidem me in poſterum, ſi munia mea modo permiſerint, te iterum atque iterum inviſurum.

Tum *Serarius*. Accipio, inquit, ſpero autem, te quamprimum promiſſa præſtiturum. Verum nolitis, quæſo, ſermocinationem veſtram interrumpere.

Judex, inquam, qui rem decidat, nobis eſt opus.

Quid cauſſæ eſt? inquit *Serarius*. Ut talem exoptes.

Etenim modo, inquam, cum tu advenires, hi Dni Doctores inter ſe controverſabantur de vino deque *Tabaco*, utrum utri potentiæ acuendi ingenium ratione eſſet anteferendum.

Jocularis quidem, inquit *Serarius*, iſthæc diſceptatio. At, ſi me arbitrum ſumatis, judico, utraque debite ſumpta, dictis viribus magis pollere, quam ſi utrumlibet ſeorſim uſu venerit. Scientiam enim veſtram, arbitror, non fugere, quod, fumum Tabaci ſugendo, animus errore vagans, applicet ſe ad certum ſubjectum, in cujus inveſtigationem tunc omnes cogitationes intendit, diſtractis videlicet ſenſibus, a pleriſque rebus externis. Quod ſi vero modicum vini generoſi poculum interponatur, ocyus, ac ſecus, ingenium meditationi redditur aptum. Merum quippe, ut noſtis, propter ſubtiles agileſque particulas, quibus ſcatet, ſpiritus corporis noſtri, in torpore quadantenus ſitos, ſuſcitat; eoſque materia, qua tanquam obruti jacebant, extricat, blandeque commovet; adeoque in cauſſa eſt, ut hi ad nutum imperioſæ mentis munere ſuo perfungi extemplo queant.

Tum *Lucius*. Rem acu tetigiſti, inquit. Et mihi, tibi aſſipulanti, probatur debitus utrorumque uſus: mallem tamen, ſi mihi optio detur, vinum ſine Tabaco, quam Tabacum, ſine vino.

Noſtrorum omnium in ea ſententia erat conſenſio.

Hoc loco ego. Jamdudum exſpectavi, inquam, ut me aliquis, Matheſeos peritus, inviſeret, eruditetque, qualia placita aliqui Medici ab hac ſcientia mutuati ſint. Igitur Tu, Clariſſime *Serari*, jam opportune veniſti: nullus dubito, quin hodie opportunitatem idoneam audiendi addiſcendique talia nactus fuero. Peteſſo itaque, fac me voti compotem; non ambigo & cæteros heic præſentes, lubentes te auſcultaturos.

Lubentiſſime, inquit *Lucius*, & cum voluptate. Nam volupe eſt, ea audire, quæ vel memoria exciderunt, vel ſcientiam noſtram etiamnunc fugiunt.

Tum *Serarius*. Itane, inquit, me negotiis arduis implicem, neceſſe eſt: vereor autem, ne ſpes veſtras concidant, ſi tenuitatem verborum audiveritis.

Non verba, inquit *Angelus*, ſed rem, ſolemus ponderare.

Attamen verba, inquit *Serarius*, ſunt primo declaranda, antequam rem, de qua diſſerere volumus, explanatius definire aggrediamur. Ideoque, ut ſimili modo procedam, indicabo obiter, Mathema ſignificare quidem quamviſcunque diſciplinam: per excellentiam tamen Mathemata ſeu ſcientiæ Mathematicæ fuerunt nominatæ, Arithmetica, Muſica, Geometria & Aſtronomia. Addatis his alias, ex dictis quaternis, quæ apud poſterioris ævi ſcriptores quadrivium vocabantur, ortas, ut *Algebram*, Architecturam, *Staticam*, Mechanicam, Opticam, Gnomonicam, &c. Eadem ratio eſt vocabuli Mechani-

ces,

ces, quod notat generaliter artem, quæ ingenio & manu ſimul exercetur : per eminentiam vero ſcientiam, juxta Mathematicorum & Phyſicorum rationes, efficiendi machinas, & organa admirabilis effectus. [1] Mechanicum autem Boerhavius noſter appellat, qui non modo callet dicta conſtruere; verum qui corporum vires ex mole, figura & velocitate, vel aſſumptis, vel obſervatione deprehenſis, calculo æſtimat Geometrico. [2] Proinde, niſi aliquis Geometriæ præceptis initiatus, nunquam is evadet magnus Mechanicus. Et, ut ad ſtudium Medicinæ deveniam, Geometria eſt illa neceſſaria ſcientia, quam & Hippocrates, [3] & Galenus, [4] quos & quantos viros appello, ſectatoribus ſuis inculcandam, inter ſcitu maxime neceſſaria duxerunt. Quis enim ignorat, ii, qui Mathematici vocantur, quanta in obſcuritate rerum, & quam recondita in

[1] Vide lexica *Hoffmanni* & *Reyheri*.

[2] Ita *Boerhavius* in Oratione de uſu ratioc. Mechan. &c.

[3] In Epiſtola ad Theſſalum filium. Ubi memorat Geometriam & Arithmeticam non modo in omnigenis hominum negotiis, verum etiam in Medicina, ex uſu eſſe. Namque illam maximæ utilitatis eſſe, in articulorum, oſſium, &c. membrorum ſitu cognoſcendo, inque luxati membri reſtitutione; hanc vero in omnis generis febrium natura, ac circuitibus determinandis.

[4] De libris propr. Cap. XI. confitetur ſe a patre, ab avo & proavo ad omne humaniorum diſciplinarum genus inſtructum. Et Cap. V. de ord. libr. ſuor. narrat, ſe, poſteaquam ad XVII. ætatis annum pervenit, & liberalibus diſciplinis innutritus, monitu inſomnii patris, ad Medicinam applicuiſſe, atque hanc Philoſophiæ conjunxiſſe. Et *talem*, inquit, *meam felicitatem, quamquam majorem etiam redderem, quod citius meliuſque reliquis omnibus, quæcunque docebar, diſcerem: niſi tamen per univerſam adeo vitam in illis Medicina, Philoſophiaque theorematibus me diligenter exercuiſſem, nihil præclarum excellenſque eram conſecuturus. Quapropter mirum non eſt, in tanta hominum multitudine, qui in Medica & Philoſophica exercitatione, ſtudioque verſantur, inveniri tam paucos, qui recte in illis profecerunt.*

(5) Ita

arte, & multiplici ſubtilique verſentur? quo tamen in genere, vel Tullii ævo, ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo fere ſtuduiſſe ei ſcientiæ vehementius videatur, quin, quod voluerit, conſecutus ſit. [5]

Tu tamen non diffitebere, inquit *Angelus*, Mathematicos, teſtibus Jureconſultis, quondam male audiviſſe.

Eos videlicet, inquit *Serarius*, qui in Aſtrologia vel Genethlialogia, vel in aliis hujuſmodi divinationibus, male horas collocarunt. Hos crimine Imperatores damnarunt. [6] Quippe illi præceptis diſciplinæ abutebantur, perinde ut olim aliqui Magi, Philoſophiam profitentes; quibus cum eſſet animus nimis ſubtiliter ſtudium Sapientiæ excolendi, tum in ſuperſtitionem quoque inciderunt, perbene Pindarus [7] dixit, conſentaneum cuique rei eſſe modum, quem intelligere, opportunitatem eſſe maximam.

Tum ego. Ita res ſe habet, inquam, verum quotus quiſque eum aſſequitur? Eſt quidem inter nimium & parum mediocritas, ſed hanc tenuere beati. Ut autem e diverticulo in viam redeamus, des nobis, quæſo, mi *Serari*, nunquis a diſceſſu Aſclepiadis e vita, Mechanicorum more Medicinam interpretatus?

Ad hæc *Serarius*. Quantum mihi conſtat, inquit, Caſſius, quem Celſus, [8] æqualis illorum temporum, vocat ingenioſiſſimum ſeculi noſtri medicum, Mecha-

[5] Ita *Cicero* libr. 1. de oratore.

[6] Dioclet. ſc. & Maxim. vide Cod. libr. IX. Tit. XVIII. §. 2. Cæterum, *artem Geometriæ diſcere atque exercere publice intereſt*, eadem lex teſtatur. Item *Cod.* libr. X. Tit. LXIV. §. 2. Mechanicos, Geometras & Architectos, & eos, qui aquarum ductus, & inventos modos docili libratione oſtendunt, Impp. Conſtantinus & Conſtans immunitatibus donarunt.

[7] Olimp. Ode XIII.

[8] In Præfat. libr. 1.

(9) Hæc

Mechanice explicat, quare ulcera rotunda cæteris difficilius coaleſcant? Sententiam ſcilicet corpore angulato & rotundo declarat. In illo enim partes, ſibi viciniores eſſe, quam in hoc, in quo omnes partes æqualiter a centro diſtant: difficiliorem proin hic fieri labiorum vulneris ad ſeſe acceſſionem. [9] Quæſtionem etiam habet de acceſſibus febris, qua de cauſſa videlicet in univerſum fere extrema frigore capiantur? Rationem eſſe, ait, quia humores eo confluunt, ubi motus initium extat: id autem in mediis viſcerum penetralibus conſiſtere. [10] De cætero culpat paſſim adſtrictionem nimiam, aut perſpirationem corporis impeditam, aut nimiam ſpirituum motionem. [11] Poſt hunc jacuit ratiocinium Mechanicum diutiſſime, aliis ſectis in Medicina interea primatum habentibus: adventu autem Viri incomparabilis Carteſii, Galliæ præfiſcine ſideris, ſeculo haud pridem

[9] Hæc e Probl. I.

[10] Ita ratiocinatur. Probl. VII.

[11] Sic Problem. LXVII. qua de cauſſa in febrientibus alteretur pulſus, hanc affert rationem. Nimirum, quoniam ſpiritus innatus, quum naturali & ſymmetro ſtatu, redundat, & a calore interiore dividitur, tenuaturque, ac levitatis occaſione concitam acquirit celeritatem, non pulſui tantum, ſed & ipſi reſpirationi, alterationem inducat. Et Probl. LXXII. cur in Cholera convellantur contrahunturque, & refrigerentur extremæ corporis partes, atque pulſus adſit obſcurus? fieri hæc ratiocinatur, per ſpiritum impetu elatum, propter tenuitatem partium, qua ventriculum eſſe præditum. Et, quia hujus ſpiritus ſit oppido calidus, idcirco eum latenter difflari: &, quod conſequens eſt, dictas partes torpore affici; ea autem torpere, quæ ſpiritus vehiculo priventur. Extrema porro refrigerari, contrahique propterea, quod in iſtis calidum nativum ad ventriculum, ob illius partis tenuitatem, commeet. Et Probl. LXXIX. inſanorum deliria accidere, ait, quoniam ſpiritus animalis propter impedimentum, & obſtructionem pororum, qui in partibus, memoratum ſpiritum conficientibus, ſunt, anguſtum inveniat tranſitum. Quin etiam *Caſſius* variis corporis affectibus, in quibuſdam problematibus, mentem ſuam explicat ſpiritu, calore vel frigore.

pridem elapſo exorti, id reviviſcere cœpit. Hujus e Phyſica poſtmodum multi medici, ut Regius, le Grand, Craenen, Broekhuſius, Waldſchmid, &c. complures hyphotheſes in Medicinam tranſtulerunt; eaſdemque cum variis, quæ ad rem pertinere videbantur, tam Galenicorum quam Chemicorum decretis, copularunt. Hinc orta nova Medicinæ rationalis facies. Inter alia tamen, quæ medici a Philoſophia Carteſii mutuati ſunt, eminet decantata illa Mundi Materia ſubtiliſſima. Hanc, ſtatuit, univerſum mundum perfluere, adeoque non inepte vocabulo animæ Mundi nuncupari. Hanc, ne uſpiam vacuum eſſet, omnes omnium corporum poros adimplere; quandoquidem autem horum natura non uniuſmodi, ſed tum amplitudine tum figura, diverſa ſit: neceſſe itaque eſſe, ut illa etiam aliis atque aliis particulis referta, quæ omnis generis poros explere poſſit. Sin vero pori alicujus rei ita comparati, ut materia ſubtilis eos difficulter, aut plane non, penetrare valeat, immenſam tunc rerum luctationem ſeu agitationem oboriri; quæ prout omnifariam, aut mitis, aut valida, aut brevis, aut diuturna, ita quoque omnimodam ſortiri nomenclationem. Inde varios fermentandi, efferveſcendi, putrefaciendi, &c. actus, quibus corpora omnimode, aut conjunguntur, aut alio quoque pacto alterantur, vel immutantur, originem capere. Latiſſime proinde patet, quod hæc ſit cauſſa princeps extraordinariorum effectuum, in animantibus non ſolum, verum etiam rerum in univerſitate, obortorum: atque adeo putant, eandem tamquam dominam omnium rerum habendam. Poſita pororum differentia, conficitur ex hac, ſuum cuique rei eſſe ætherem. Alium metallis, alium lapidibus, alium frumento, &c. eſſe. Quippe particulas materiæ ſubtilis, quæ v. g. in Auro inſunt, neſci-

re

re eadem ratione aliorſum hoſpitari. Quæ cum ita ſint, liquet inter nos poſitionem materiei ſubtilis, cumulare & Phyſicam, & Medicinam ratiociniis omnimodis. [12]

Hoc loco *Lucius*. Memini, inquit, me audire, Cl. Craanium, qui mihi propinqua cognatione conjunctus, & cujus ſub inſtitutione Medicinæ operam dedi. Is, perinde atque a Te modo factum, ſolebat de efficientia materiæ ſubtilis diſſerere; Quin etiam de variis corporis animalis poris, foris intro, & intus foras, ſpectantibus: per illos aliquid rarefactum in corpus vel partem ejus mitti, per hos vero e corpore, vel parte ejus, idem emitti. Glandulam pinealem itidem, ut id apud eos, qui de familia Carteſii ſunt, in more eſt poſitum, ſenſuum in officinam aſſumebat. Ad hanc, tanquam ad mentis immortalis ſolium, ſpiritus animales ſenſationes ſuas deferre: Indidemque mandata iiſdem ſpiritibus identidem dari de negotiis gerundis.

Tum ego. Plauſibile quidem, inquam, eſt iſtiuſmodi ratiocinandi genus: verum tamen, quomodocunque fuerit, laborat id a veritate; ſiquidem multas habet hypotheſes, quæ proinde, quaſi veræ eſſent, ponuntur. Quod, cum Pitkarnius, [13] & Baglivus, [14] & alii, obſervarent, occaſionem ſunt nacti ejuſmodi ratiocinationem reprehendendi, quia nihil fere habeat ad fidem proni, ſed pleraque, cujuſcunque modi ſint, poſſideat precario.

Et tamen, inquit *Lucius*, hypotheſes memoratæ mihi

[12] Vide opera, quæ titulo *Craaneni* in lucem a variis edita, *Broeckhuſii* Oeconomiam animalem, *Waldſchmidium*, Broenii ſcripta, &c. qui hujuſmodi ratiocinativo dicendi generi frequentiſſime inſiſtunt.

[13] Cujus gratia vide diſſertat III. de cauſ. diverſ. mol. &c.

[14] Prax. Medic. libr. I. Cap. x. §. 4.

mihi cummaxime probantur. Hujus enim, & aliis a Carteſio inventis, in ſubſidium vocatis, poſſumus prope omnes Naturæ effectus interpretari.

Tum ego. Suus cuique, inquam, eſt modus, & ſuo quiſque delectatur: Quæ cum ita ſint, apparet ex hoc liberas eſſe mentes debere, & nullam crimine notandam, ſi non idem ſibi, quod altera, habuerit perſuaſum. Verum quo elabor? diſcedo a propoſito. Faceſſi *Serario* negotium, & nunc ei ipſe obſto, quo minus Mechanicorum decreta nobis tradere poſſit.

Tum *Serarius*. Tu poſtulas, inquit, negotium, in quod ſi vel totum hunc diem inſumerem, tamen id haud conſummarem. Tanta enim dicendorum eſt copia. Aſt enimvero, quoniam ſcio, quod ſi ego hoc negotium recuſem, tu tamen iterum atque iterum mihi ſis inſtiturus, ut cœptum proſequar, faciam itaque, ut potero. Sed ad rem. Hoffmannus F. F. [15] tanquam Theorema proponit, quod, quemadmodum rerum univerſitas in Mechanice ſita, ita etiam Medicina; quam ideoque non modo hic, ſed complures alii ſenſerunt, Mechanice declarandam. Ut autem id perſpicue inſtituatur, in conſiderationem venire bina rerum elementa, materiam nempe & motum. Materiæ, cujus natura conſiſtit extenſione, differrentiam eſſe poſitam in diverſa ejus figura & magnitudine, quibus ſi inſuper & motus, & quies adjungantur, tunc hæc quatuor conſtituere univerſales corporum ſimplicium affectiones. Ipſam materiam autem, non dubitat, ad duo genera redigi poſſe, quorum alterum ſolidam, alterum fluidam, materiam complexu ſuo continere. Motum porro habet pro primo ac univerſali rerum principio, & cauſſa, omnis generis

[15] In Fundament. Medicin. Cap. 11.

generis formas, efficiente. Primam vero motus cauſſam eſſe materiam ſubtiliſſimam, cui Deus impulſum in corpora univerſa conceſſit. Motus autem naturam ita comparatam eſſe, ut ſemper procedat ſecundum lineam rectam, præterquam alia res ipſi obſtiterit: exinde oriri, ſi ita accidat, vel reflexum, vel refractum motum. Et cujuſquemodi motus fuerit, non evenire hunc tractu, ut complures credidere, ſed pulſu: cujus momentum, aut ex celeritate corporis, aut ex mole, æſtimandum. Peculiare autem hoc cuilibet corpori eſſe, ut id, quale quale fuerit, eadem vi deorſum ingravet, niſi vis aliorſum premens, illius niſui ſuperior, interveniat. De omnigenis corporum actionibus, quarum Medius Fidius ingens eſt numerus, Bellinus excipit contractionem & diſtractionem. Sub his, velut duobus generibus, reliquas comprehendi. Has igitur utramque facere paginam. Ut autem dictarum actionum aliquod ſit vobis cogitatum, proponam gratia exempli, chordam: quæ ſi diſtendatur, longitudinem tunc illam, in quam chorda tractu oppoſitas ad partes redigitur, vocari diſtractionem; contractionem vero, ſi ceſſante diſtenſione chorda priſtinam recuperet longitudinem. Eadem ratio eſt rerum flexibilium, quæ quoque, exacto pauliſper curvamine, per latera nitentia ſponte in priorem poſitum reſtituuntur: cujuſmodi actus ſolet hoc tempore vocabulo *elateris*, vel vis *elaſticæ*, frequentiſſime nuncupari. [16] Hanc juxta omnigenam corporum ſoliditatem, qua res cum re differt, Baglivus ſtatuit, diverſam. [17] Verum enim

[16] Hæc e propoſ. L. de contract. natural.

[17] In ſpecim. de fibr. motric. libr. 1. Cap. VIII. corollar. 4. Hanc ibi tradit Elateris definitionem. *Vis elaſtica corporis, ea eſt, qua corpus externa vi a figura ſua detruſum, in priſtinam figuram ſe ipſum reſtituere nititur.*

enim vero, antequam ſolidi naturam, quam Mechanici, teſte Bourhavio, [18] tantummodo declarare norunt, aliquis indagare potis ſit, neceſſe eſt, corporum cohæſionem ſcire, quam, Bellinus ſenſit, in hoc poſitam, quod v. g. duo corpora ſe contingant niſu quodam: & repugnent poſtea contra ſui disjunctionem ſeu remotionem; ſin vero alterum ab altero ex facili removeatur, merum modo talium corporum contactum accidiſſe, & ea haudquaquam cohæſiſſe. Ut autem natura cohæſionis duorum corporum plana fiat, neceſſe habet Phyſicus conſiderare, niſum in contactum determinati gradus, determinatæque poſitionis in lineis directionum. Poſthæc cohæſionem corporum dici tamdiu in uno tenore verſari, quamdiu perſiſtunt in contagione, atque ad hanc, per lineas directionum eodem modo poſitas, nituntur. Quoties nunc corpora dictum cohærendi modum, qui plurifariam accidit, amiſerint: toties illorum forma mutatur, id eſt, nova, a prioribus diverſa, corpora, generantur. Exempla poſſumus ſumere e rebus fermentatis, putrefactis, aut alio quovis modo cunque immutatis. [19]

Hoc loco ego. Quandoquidem, inquam, Bourhavius noſter [20] ſtatuit, corpus humanum eſſe machinam, cujus ſolidæ partes aliæ ſunt vaſa liquidis coërcendis, dirigendis, mutandis, ſeparandis, colligendis, & excernendis apta: aliæ vero inſtrumenta mechanica, quæ figura, duritie nexuque ſuo vel fulcire alia, vel definitos motus exercere queunt: pervelim itaque, ut generalia ad Phyſicam ſpectantia, omittas; verum tradas, quid Mechanici de homine, quatenus vitalis eſt, ſtatuerint?

Tum

[18] In Oratione de uſu ratiocin. Mechan. &c. p. 15.

[19] Vide Propoſ. xxxi. in qua actus fermentandi exponitur.

[20] Dictæ orat. p. 14.

(21)

Tum *Serarius*. Et Baglivus, [21] inquit, mechanicorum ſententiam amplexus, ſtatuit, corpus humanum, quatenus functiones naturales edit, eſſe complexum motuum Chemico Mechanicorum, a principiis mathematicis pendentium. Namque non dubitat, eum, qui attenta mente machinam hanc perquiſiverit, inventurum in mandibulis & dentibus forficem: in venis arteriis cæteriſque canalibus, tubulos hydraulicos: in corde, embolum: in viſceribus, cribrum: in thorace, follem: in muſculis, potentiam vectis: in hirquis, trochleam, &c. Quibus inventis eundem, putat, facile conceſſurum, actiones corporis re vera ad vires cunei, æquilibrii, vectis, *elateris* & ſimilium Mechanices principiorum, referri debere. Quantum vero ad ejus vitalitatem pertinet, ſenſit Boerhavius, [22] hanc potius communi fluidorum, a Mechanicis explicatæ, naturæ, in ipſo corpore vi viſcerum productæ, quam ſingulari, cujuſquam particulæ virtuti, deberi. Motum eorum ſolum, quem cum eo primum parentes communicarunt, quemque alternantes cordis, ac ejus auricularum, contractio ac diſtractio continuant, præcipuam vitalitatis cauſſam eſſe. Sed antequam tractationem partium ſolidarum capeſſam, opus eſt indicare ſtaminum, ex quibus illæ coaleſcunt, naturam. Hæc a Bellino villi, & a Baglivo fibræ, vocantur. Quid uterque ſenſerit, ſigillatim narrabo. Villum, contractioni aptum, Bellinus ſtatuit, non ex unico individuo, ſed ex dividuis conſtare corpuſculis: aliter enim, ac dixit, ſi comparatus eſſet, nec diſtrahi, nec contrahi viciſſim poſſet. Partes autem villum quemque componentes, cohærere non poſſe per

[21] Praxeos, Medic. libr. 1. Cap. xi. §. 7. Vide etiam inſtitut. Medicin. *Boerhavii*. §. 27.

[22] Memoratæ orat. p. 21, 22, 23, & 25.

plana ad axim recta, quia ipſis intermedium, cui adhærere poſſit, deeſt. Cohærere autem eas poſſe per plana ad axim obliqua, ſi quando axis ſit directus, aut æqualiter diſtet a linea, per quam villi partes in contactum nituntur. Quin etiam partes villi, cujus axis angulum conſtituit, cum lineis, per quas illæ in contactum nituntur, cohærere poſſe per plana ad axim quomodocunque inclinata. Utut nunc villus fuerit, facultatem, hunc contrahentem, ſtatuit, ejus eſſe conditionis, ut eodem tempore per eandem rectam lineam partes in oppoſitas nitatur. Duplicis generis porro contractionem villo eſſe, unam naturalem ſeu neceſſariam, alteram voluntariam: cauſſam autem hujuſmodi contractionis eſſe liquidum nervorum ſubito rareſcens, aut quaquaverſum ſe in bullas innumeras effundens, ipſius villi partes ſecundum longitudinem & amplitudinem penitus premens. Utrarumque contractionum diſcrimen in eo poni, quod villus naturali contractione alterne, & id quidem intervallo æquali, contrahatur: in voluntaria autem continue per intervalla æqualia, inæqualia, majora, minora, prout nimirum uſus fuerit. Hæc Bellini, [23] aſt Baglivi, opinio eſt, fibrarum corporis humani duo eſſe genera, altero membranaceas, altero carnoſas, complecti: illas a cerebro, ut & a pia duraque matre: has vero a tendinibus, ortum ducere: & tendines ab oſſibus. Quid? quod opinione non ſolum, ſed & ad veritatem ſibi perſuadet, pleraſque corporis partes, exceptis muſculis, tendonibus ac oſſibus, nihil aliud eſſe, quam productiones, quam continuationes membranarum medullæque cerebri: has, poſtquam plurifariam circulatæ,

[23] Deſumpta hæc eſt e propoſit. de contract. natur. Item ex iis, quæ ad motum muſculor. pertinent. §. 4. 11. 15. & 16.

culatæ, contortæ, expaſſæque fuerint, efficere omnis generis interranea, vaſa, ſaccos membranaceos, &, neſcio quid amplius. [24] Dixi fibrarum duo genera a Baglivo tradi, traduntur etiam ab ipſo duo morborum genera, quorum alterum membranaceis alterum carnoſis corporis partibus, ſecundum memoratam fibrarum differentiam ineſſe. Illos periculoſos, propter neceſſitatem, quæ ipſos cum capite, vel dura meninge intercedit: hos vero minus periculi ægris injicere. Utrumcunque etiam genus ſeparatim in corpore ſubſiſtere poſſe: quandoque vero ambo inter ſe copulari in tantum, ut alterum cum altero vitium communicet acceptum. [25] Cæterum, priuſquam fibrarum munia perſequi queam, opus eſt, prius indicaſſe originem motus ſolidorum. Baglivus igitur, ut hanc rite explicaret, ſtatuit, geminos partium omnium motores, cerebrum nempe & cor: ab horum mutua conſenſione omnem ſenſationis motioniſque rationem dependere. Cor namque ad cerebrum, ſanguinem: cerebrum vero ad cor, nervorum laticem, tanquam perennem rivulum, mittere. Quid? quod autumat ſuum cuique ſingulare eſſe dominium, & neutrum neutri obnoxium. Etenim cor, ratione originis, motus & nutritionis, in partes carnoſas, & ſanguineas: & cerebrum ob eandem rationem, in partes membranaceas, cummaxime dominari. [26] In primis vero magnifacit membranam cerebri, ab Anatomicis duram vel meningem, vel matrem, nominatam. Ab hujus motu, conjectat, cordis motum pendere, adeoque id ipſum ſub illius ditionem cadere. Et, quia in dicta membrana,

[24] Specimin. de fibr. motric. libr. 1 Cap. 1.
[25] *Ibidem*. Cap. IV.
[26] *Ibidem*, ut & Cap. VI.

parilis ferme fibrarum lacertorumque ſtructura reperiatur, ut ea cordi eſt, non addubitat eam jure quodam dici, cor cerebri e villis membranaceis compoſitum; cujuſmodi villos, cum criſpentur contrahanturque, omne id, quod ipſis ineſt, contactu, pariter ac cor, conſtringendo exprimere. Quinimo conjicit, hanc duram matrem longe cordi in potentia inque efficientia excellere. Eam quippe maximum eſſe corporis humani agitatorem. Eam ipſam perpetua agitatione ſecretiones fluidorum varie promovere, dirigere. Eam ſolidis juxta & fluidis imperare. Imo ſingularum partium motus, quoniam ab ipſa impellantur, ab ejuſdem legibus pendere. [27] Et, ut in ſumma dicam, utraſque meninges, adeo utiles, adeo neceſſarias ad vitam eſſe, putat, ut aliquorum vita ſine cerebro quidem, aſt non ſine meningibus degi potuerit. Ita etiam eos, quibus ſana mens eſt, & alios, qui mente capti, non differre inter ſe cerebro, ſed dura matre, cujus tonum & renixum hos nimis debilem & laxum habere: ideoque etiam eos, ſi non gravioribus corporis ægritudinibus obnoxii, ſaltem eſſe plerumque valetudinarios. [28] Quid cauſſæ vero ſit, quæ innatum meningi *elaterem* & excitet jugiter, & promoveat, ratum habet, eam ſolidarum partium motibus ſuccedentium, & reflectentium æquilibrio tribuendam. De cætero affectuum, qui in quibuſvis membranis oboriuntur, ſedem, arbitratur, eſſe in meningibus, quarum fibras exquiſitiſſimo præditas ſenſu: e diverſo medullæ cerebri fibras qualicunque ſenſatione torpere. Pulſationem equidem intrinſecus in variis capitis affectibus ab ægris non raro percipi, quam non arterias, ceu vulgo

[27] Vide ejuſdem ſpecim. Cap. v. & Corollar. vii.

[28] *Ibidem.* & corollar. x. & Cap. vi.

go homines credunt, ſed duram meningem, concitare. Hujus ab agitatore, tono, diſtractione, contractioneque, a naturali ſtatu recedentibus, cephalalgiam, maniam, vigilias, epilepſiam alioſque capitis morbos, originem ducere.]29] Eandem eſſe rationem, aſſerit, meningis, quam Anatomici vocabulo piæ matris nuncupant. [30] Præter hæc, opinatur, dari re vera in corpore duplicis generis motionem, ſeu contractionem cujuſdammodi reciprocam, a meningibus videlicet ad partes, & ab his rurſus ad illas tendentem: ſiquidem plerique exiſtiment membranarum proprium eſſe ſentire: & muſculorum, motus corporis perficere. [31] Sed, cum mihi in mentem incidant membranæ, debeo memorare, omnes ad unam, Baglivio putante, primordia generis ſui ducere a dura meninge: [32] eaſdemque aliis partibus non tantum involvendis eſſe deſtinatas; ſed ſummum Numen ordinaſſe, ut oſcillarent perpetuo, ut liquidorum ſecretionem promoverent, ut æquilibrium reliquis corporis partibus importarent. [33] Quod ſupereſt, quandoquidem quilibet muſculus peculiari membrana involvitur, hæc vero a nervis, per mu-

[29] *Ibidem*, & coroll. v.

[30] Ejuſdem ſpecim. Cap. VIII.

[31] Motum a meningibus ad partes, vocat *ſyſtalticum ſucceſſivum*: & ab his ad partes, *ſyſtalticum reflexivum*. Namque, ut animi juſſa partes patrent, laticem nervorum & meninges recipere impreſſiones talium directionum, ab anima determinatarum, quas poſtea illas per motum, primo loco dictum, ad partes tranſmittere. E diverſo, ut impreſſiones, in externis ſenſibus ab externis objectis factæ, ab anima percipiantur, neceſſe eſſe, ut per humorem nervorum a ſenſibus perveniant ad cerebrum: nec non per ipſas meninges, in partibus ſenſiferis expaſſas, cujuſmodi ſenſationem fieri ratione motus *ſyſtaltici reflexivi*; quia veluti reflectendo, a partibus ad primum mobile duræ matris momento temporis propagetur. vide ſpecim. Cap. v. in fine.

[32] *Ibidem*. Cap. VI.

[33] Corollar. 1. Cap v.

ſculos expaſſis, ortum trahit: confici hac ratione, putat Baglivus, cum fibris carnoſis jactationem, ſeu oſcillandi inſtinctum, participare duram meningem; ſiquidem ab hac ſingulæ membranæ ſingulique nervi, ceu jam jam memoravi, oriundi, & cui omnes ad unum contigui, ſeu cohæreant. Idcirco etiam fibram oſcillantem, ſeu motu agitatam, ocyus motum ſibi impreſſum ad remotas partes propagare, quam lineam cujuſcunque fluidi itidem commotam. Fruſtra eruptionem ſpiritus nitri & ſulphuris repentinam in medium afferri: Sed acceptum robur, acceptamque agilitatem fibrarum, *elateri* agitationique, ſeu tono, corpus referat, neceſſe eſſe. Enimvero, niſi fibræ decenter, aut tendi, aut laxari poſſent, vix fore, ut corpus valeat. [34] Sed ſatis de fibris verba feci, ordo diſſerendi poſtulat, ut narratione aliquas corporis partes ſolidas, a fibris ortas, delibem. Ex his mihi primo in mentem incidit nervus. Hunc, Borellus, [35] ſtatuit, eſſe faſciculum plurium capillamentorum, ſeu fibrarum, involucro quodam membranaceo colligatarum. Et, quamvis oculorum acies ullas in eo cavitates offendere haud valeat, tamen non ambiguum ſibi eſſe, aſſerit, quod nervus, inſtar cannæ indicæ, ſeu ferulæ, habeat tubulos, humore aliquo refertos. Beli-

[34] Hæc, quæ auctor. Cap. 1. dicti libri conferantur iis, quæ Cap. VIII. & IX. ut & libro de Anatomia fibrar. monumentis prodidit. Dictis adde præcipuum, ac innatum quaſi fibrarum, effectum accidere contractione. Ab hac fluidorum motus promoveri dirigique. Fibrarum membranacearum contractionem jugi duræ matris agitatione & renixu foveri, augeri, dirigi: carnearum vero, ab æquilibrio jactationum cordis per arterias & ſanguinem in illas propagatarum. Hanc contractionem, ſi ea naturæ congruenter contingit, appellat tonum: contra, ac dixi, ſi fuerit, laxitatem, vel partium *atoniam*.

[35] De motu animal. Part. II. Propoſ. 23.

linus, [36], ait, hujuſmodi humorem, pariter ac lympha, ſeu ovi albumen ſolet, igne condenſere ſe. Et Hofmanno [37] probabile habetur, hunc duplici materia, altera humidiore ac ſubtiliſſima ſucci nutritii parte, altera ſicciore, e purioribus aëris particulis, pulmonum miniſterio in ſanguinem receptis, elaborata, conſtare. E fibris quoque ortum ducunt muſculi, quorum Borellus tria genera poſuit. Primo comprehendit muſculos columnæ ſimiles, e fibris inter ſe parallelis compoſitos: cujuſmodi trahere reſiſtentiam per eandem fibrarum directionem. Altero, muſculos rhomboidales ſimplices, quorum fibras obliquas, oſſi annexas, trahere ad ſe aliud os vel tendinem. Tertio denique, muſculos pennæ ſimiles, quorum firmo perimetro fibras duplici ordine annecti. [38] Quantum ad eorum potentiam ſpectat, Borellus ſtatuit, duplicem iis eſſe, unam propriam, ab ipſa naturali fibrarum ſtructura, ſeu poſitura: alteram a cauſſa externa, dependentem. Illam eſſe debilem fibrarum muſculi contractionem contra ſuos *antagoniſtas*: hanc vero validiſſimam contractionem, qua ingentia ſuſpendant pondera. Ut altera ab altera diſtingueretur, majoris perſpicuitatis ergo illam vocat propriam: hanc vero voluntariam fibrarum muſculi contractionem. [39] Quandoquidem muſculi e fibris cavis ſeu tubulis, in quibus, vel lympha, vel ſanguis, ineſt, compoſiti, Borellus opinatur, in actione eorundem affluere ſuccum nervorum, quem inibi efficere ebullitionem quandam, qua deinde muſculos inflari, tumeſcere, breviari, exinde contrahi, atque ſic actionibus ſuis reddi accommodos. [40]

[36] In comment. Part. II. §. I.

[37] In fundam. medic. Cap. V. §. 50.

[38] Part. I. propoſ. VI. de motu animal.

[39] *Ibidem.* Propoſ. VII.

[40] Vide Part. II. propoſ. 24. 26. & 27.

Bellinus ejuſmodi efficientiam ſoli nervorum latici attribuit, ac vult in contractione muſculi fieri refluxum liquidi per nervos, per ejuſdem muſculi villos diſtributos: & tanto quidem impetu, ut ſeries partium refluentium ſuperet momentum, quo ſeries partium ſuccedentium ſe inter naturaliter cohæret. [41] Influxum hujus liquidi, in omnes muſculos, ſentit Boerhavius, fieri ſemper æquabiliter, in aliquos uno tenore alterne: in aliis vero mutari ejus influxum, mente momentum preſſionis mutante. Dirigi autem vim muſculi ſæpe faſciis membranaceis coercentibus, ut ad carpum, &c. ſæpe lacertorum faſciis, ut ad dorſum & femur: ſæpe trochleis cartilagineis, ut ad trochleas oculi, &c. ſæpe alio muſculo dirigente, ut ad digaſtricum, &c. [42] Baglivus, obſervavit motum muſculi in medio ejus ordiri, in tendonibus autem terminare; quod ſibi innotuiſſe, aſſerit, facta muſculi ventris colligatione, quæ quantiſper arcta fuerit, contractiones in toto muſculo ceſſaſſe: e diverſo, relaxato paululum vinculo, muſculum intermiſſam ad tempus motionem recuperaſſe. [43] Quomodocunque hæc nunc fuerint poſita, Baglivus tamen aperte & ingenue confitetur, eos opus arduum conaturos, qui mechanice muſculorum motum declarare annituntur. Neceſſe etenim ipſis eſſe, inveſtigare proportionem motus, & gravitatis minimorum, liquidum quodlibet conſtituentium, & ſingulorum liquidorum per canales fluentium: nec non indagare æquilibrium, quod fluida inter & ſolida eſt. [44] Reliquis ab eo in medium allatis, difficultatibus,

[41] In comment. Part. II. ex iis, quæ ad mot. liquid. &c. §. 8.

[42] Hæc in Inſtitut. medic. §. 318.

[43] Specim. de Fibr. motric. Cap. VIII.

[44] Vide libr. de Anatom. Fibr. p. 408. Edit. in 4.

tibus, quoniam prolixam dictionem requirunt, ſuperſedeo.

Hoc loco *Angelus*. Miror, inquit, Baglivum in ſententia non conſiſtere. Modo aſpernatur tam veterum, quam recentiorum ratiocinationem: modo Mechanicorum amplectitur ſententiam: modo Chemicis vitio vertit, ſi quando complurium experimentorum operationumve ſimilitudines cum actionibus, & effectibus corporis inſtituunt: & tamen is ipſe, cum de natura fluidorum paſſit egit, Chemicorum experientiam ac principia in ſubſidium vocat. [45] Huic non diſſimilis eſt Frind, [46] qui etiam vituperat Chemiam, quatenus ab hac ratiocinia pro ſtabili-

[45] Ut Prax. medic. libr. 1. Cap. x. Et Cap. x1. §. 3. & 4. ſcribit Galenicorum Theoriam non ſolum per inanem quæſtionum exercitationem, imbecillos multorum animos a recta Praxeos ratione abducere, verum moleſta rerum repetitione inventionis ſterilitate, argutiarumque oſtentatione, Praxi tenebras offundere. Cap. x. §. 3. Paracelſum Helmontiumque dicit, tranquillum Medicinæ ſtatum perturbaſſe, quoniam ea, quæ vel librorum lectione, vel *venaticis* furni experimentis, didicerunt, haud ad amuſſim ad motus naturæ progreſſuſque morborum aptaverunt. Ejuſdem generis reprehenſionem vide. Cap. x1 1. §. 4 Et Cap. x. §. 4. facta Philoſophiæ corpuſcularis mentione, ſcribit, ejus auctores nihil aliud re vera prodidiſſe, quam puram & abſtractam Philoſophiam. Vide etiam Cap. x1. §. 5. Adde his, quæ habet §. 7. Poſtquam utilitatem Hypotheſis Geometrarum in Medicina indicavit, hæc notatu digna ſubjunxit. *Si morbi a ſolidis vitiatis duntaxat penderent, certe origines, & cauſſas effectuum morboſorum, in eis exiſtentium, facillime per antedicta principia inveſtigarentur, notarenturque: at quoniam major pars illorum fluidis, varie affectis, originem debet, ideo nil mirum, ſi per principia theoretico philoſophica, veram ac genuinam morborum cauſſam inveſtigare unquam poterimus.* Subtiliori enim quolibet Mathematico, ait, ſubtiliorem eſſe Naturam Quantopere autem is fuerit in explicandis corporis actionibus, Geometrarum ſeu Mechanicorum præceptis deditus, ejus opera lecturis plurimum conſtabit. Ita etiam Tarantularum venenum, ſalivæ, atque bilis naturam principiis, ac experimentis, quæ Chemia miniſtravit, explorat.

[46] In Præfat. Emmenolog.

enda Medicinæ Theoria petantur: & tamen is, ut medicamentorum vim, aut adſtringendi, aut attenuandi, exploraret, ipſe periclitatus eſt in ſanguine, cui omnis generis res admiſcuit; utcunque poſtmodum eventus rerum fuerit, judicat de medicamentorum & ſanguinis natura. Quid? aſſerit præterea, quod ea, quæ ex hujuſmodi experimentis elicitur, non futilis ſibi videatur argumentatio. [47] Sed facite rem ſe ita habere, verum, ſi aliquis Chemicorum ejuſcemodi ratiocinativo dicendi generi inſtiterit, de præpoſtera ordine objurgatur, perinde quaſi ſambucam aptaſſet caloni; ſed ſi aliquis Mechanicorum iſtiuſmodi argumentis, quæ Chemia miniſtravit, egerit, tunc appoſite, tunc probe judicavit, tunc nemo primoribus medicorum probatior.

Tum *Serarius*. Haud ſtomachare, inquit. Ego, quamvis Matheſin, cujus pars Mechanica eſt, profitear, horum partes non univerſe defendam: ſcio enim complures homines in contraria ſtudia ſcindi.

Tum *Angelus*. Non ſum, inquit, adeo ſtomachoſus, ut fortaſſis vobis videor, ſed ſignificare volui, quod, ſiquis alicujus dogmata vituperat, eademque abſurdorum in numero habet, is tunc ea faciat miſſa, & meliora horum in locum ſupponat. Redeo ad Baglivum, qui, licet copioſe de ſolidorum natura atque potentia diſſeruerit, non inficiatur, has nobis a poſteriori, i. e. ab effectibus, innoteſcere tantum. Enimvero, quomodocunque aliquis accuratiſſimas ac exquiſitiſſimas demonſtrationum Geometrarum leges, ſeu canones in medium attulerit: tamen non evidenter corporis functiones a nobis percipi poſſe. Siquidem nobis latent, ait, vaſorum omnium diameter, ſeu

[47] Vide Cap. XIV. in quo auctor complura hujus generis argumenta, & experimenta ex arte Chemica petit.

ſeu amplitudo, eorundemque productiones: quin minus differentes, humorum per ſingulas corporis partes, motus, in quibus vitam conſiſtere. Hæc & ſimilia, quoniam ad exactam Geometrarum demonſtrationem redigi nequeunt, prodere, nos per caliginem corporis vitalis actiones videre. [48] Ex hiſce dictis conficitur, ne Mechanicorum quidem ratiociniis Baglivum prorſus confidiſſe.

Tum *Serarius*. Pone, inquit, Baglivum, ita ſentientem, quid inde? An hac ratione efficitur, Mathematicorum doctrinam, Theoriæ Medicæ nullam afferre utilitatem? Minime gentium. An Baglivus Medicinæ dictator? Nequaquam. Nimis modeſtus, nimis humanus eſt, ut talem dictaturam ſibi arroget.

Poſitis omnibus controverſiis, inquam, revertamus eo, quo digreſſi ſumus. Ediſſere nobis, obſecro, Doctiſſime *Serari*, quod ſentiant Mechanici de motu articulorum.

Borellus, inquit *Serarius*, Mechanicorum facile princeps, ſtatuit duplicis generis articulorum motum, alterum ſphæræ, alterum cono, ſimilem accidere. Nempe, quotieſcunque motus unius oſſis undequaque circa unum punctum fixum fieri, tum motum fore ſphæricum, dextrorſum utpote, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum, ante & retro: ſin vero motus fieri debeat circa duos polos vel axim, neceſſario articulum, aut in ſuperficiè plana circulari, aut in ſuperficie conica, circumduci. Illius exemplum nobis eſſe in motione humeri circa ſcapulam: aſt hujus in motu cubiti circa humerum, ut & in motu tibiæ circa genu. [49]

Equi-

[48] Ita differit Libr. 1. ſpecimin. de Fibr. motric. Cap. VII. vide etiam Corollar. II. Cap. X.

[49] De motu animal. Part. I. Propoſ. 9.

Equidem generaliter, inquam, a Te hucuſque ſolidorum mentio eſt facta: Sed nonne ex uſu ducis, ut etiam ſingulariter de quibuſdam ſolidis corporis partibus mentio fiat.

Tu mones, inquit *Serarius*, in ipſo temporis articulo. Quod ni fuerit factum, parum abfuit, quin earum fuiſſem oblitus. Sed hæreo in dicendo, quoniam neſcio, quo ordine dicam? Verum enimvero, quamvis aliter vobis videatur, ſpero, vos mihi, extemporalem ad vos orationem habenti, non vitio verſuros, ſi a ventriculo, reliquarum corporis partium promo, dicere ordiar. Sed ad propoſitum. Cibos, Pitkarnius ſtatuit, non mitigari in ventriculo ratione alicujus fermenti; ſed ratione attritus, quem tunicas ventriculi interiores efficere. Muſculos abdominis ſymbolum conferre, ut alimenta commolendo, comminuendove, in Chylum mutentur; facta earum partium, quæ ultimo coierunt, in tubulos fibraſve formæ, in animali ſpectandæ, ſejunctione. Quæ cum ita ſint, fruſtra aliquos Archæum, qui ope caloris & fermenti ex alimentis ſulphur alibile, ſeu acidum & *alkali* pro ſulphure extricando, ſecernat, fuiſſe commentos. Fruſtra itidem aliquos ad comminiſcendum ingenioſos, de natura ciborum, de eorundemque partium aut pororum magnitudine ac figura, more philoſophorum diſſeruiſſe. Etenim non eſſe uſui ſcire, an ullum ſit fluidum pervadens, an omnes ciborum partes ejuſdem, an diverſæ, ſint figuræ; verum ſatis eſſe noſſe, ſolidum, quod ex conjunctione rerum, antea fluidarum, coaluit, redigi poſſe in ſimile fluidum, detrudendo partes illas in contrarias vias. Memoratis abdominis muſculis, ut & ventriculo, adeo validum cibos perficiundi poteſtatem eſſe, hac demonſtratione, credit, confici poſſe. Nimirum pondus muſculi medium abdominis re-

cti æquare grana MDCCCLX. pyramidalis grana LXIII. Muſculi oblique adſcendentis, grana MCCCXX. pondus muſculi oblique diſcendentis grana MXX. pondus ſepti tranſverſi MMMCCCLX. Summam, ſiquis collegerit, inveniet 8223. Quandoquidem nunc propoſitione [50] Borelli efficiatur, potentiam flexoris pollicis, quem pendere 122. grana, æquare libras 3720.: pariter ſe habere modo dictum muſculorum pondus ad 248235. libras. Muſculorum enim potentias ſe habere in ratione compoſita. Nempe ſecundum rationem longitudinis & profundi: hoc eſt ſecundum rationem ſolidorum homogeneorum. Ex quibus poſitis apparere vires horum muſculorum non cedere potentiæ lapidis cujuſvis molaris. Et licet non nemo muſculorum auxilium pro cibis comminuendis inficiatus fuerit: attamen ſoli ventriculo ſatis virium eſſe ad tale munus ſubeundum. Quippe pondus medium ſtomachi humani eſſe unciarum octo, quod ſi nunc memorato modo calculus inſtituatur, inveniri potentiam muſculi ſtomachi æqualem eſſe ponderi librarum 12951.

Tum *Angelus*. Potentiſſimas ſcilicet! inquit, in medium protulit Pitkarnius probationes. Borellus flexori tantam, quantam commemoraſti, potentiam tribuit, quia ejus fibræ pennæ ſimiles ſeſqui digitum excedere videntur: harum ratione itaque vim 124. librarum prius poſitam, debere trigeſies multiplicari. Subducto taliter calculo provenire ſummam a Te jamjam allatam. Nunc Anatomicis ad dirimendum relinquo, num tantus fibrarum pennæ ſimilium numerus tantaque earundem longitudo in ſingulis abdominis, muſculis, inque dimidiato ventriculo, inveniatur? quod, ſi numero plures, ſi aut minoris aut majoris

[50] CXXVI. Part. 1. de mot. anim.

joris longitudinis fuerint, de quibus non pendet mihi animus, ecquis noſtrum inficias ibit? longe alia tunc ratione calculum eſſe ſubducendum. Adhæc ponite rem ſe ita habere, prout Pitkarnius ſtatuit, nonne inde conſequitur eos, qui ponderoſiores abdominis muſculos & ventriculum, qui longiores talium partium fibras habent, facilius cibi copiam digerere, quam alii contrario modo ſe habentes: at quis noſtrum non habet perſuaſiſſimum, puerorum muſculos & ventriculum multo minores, quam adultorum, vel ſenum eſſe; dein cui noſtrum eſt dubium, quin illis in dies major ciborum digerendorum copia ſit opus, quam his. Quæ cum ita ſint, conſtat inter nos, de longinquo Pitkarnium ratiocinationem petiviſſe, & plura, proinde quaſi vera eſſent, poſuiſſe, quorum tamen dubia etiam nunc eſt ratio.

Tu hæc mihi, inquit *Serarius*, obprobras, quaſi vero ego iiſdem aſtipuler. Haud pendeo animi, Te abunde convictum, me non mea, ſed ex opinione Pitkarnii dixiſſe. [51] Eadem eſt conditio cæterorum,

[51] Hæc memorat. diſſert. in quo tractat motum, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam ſanguini reficiendo idoneam. Dictis addatis. Uſum liquoris copioſi ventriculo eſſe impedimento, quo minus is munere ſuo perfungi poſſit. Ab interpoſito enim fluido, aut copioſo, aut tenaci, ait, eludi muſculorum ventriculique impetum, a quo ſolo, cum nullum ſit fermentum, vel liquor, coquens, pendere coctionem oportet. Præterea, quo gravius fuerit interpoſitum in ventriculo fluidum, eo magis id valere motui ventriculi reſiſtere, vimque motus, ac contactum fruſtrari: atque adeo coctionem abolere. Inde ſequi, putat, falſos acidoſque liquores, cum graviores ſint, digeſtionem ventriculi impedituros. Deinde, quod ad modum mutationis alimentorum in ſuccum alibilem attinet, ſtatuit, necubi in corpore ſecretionem contingere, quæ potis ſit alimenta mutare in ſpiritus Chimicos, ſalia volatilia, &c. Nam cibos in ventriculo comminui, fierique prius earum partium disjunctionem, quæ minus arcte inter ſe cohærent. *Atqui partes*, inquit, *ex quibus ultimo conflati ſunt canales, vel quarum adjunctione ſunt aucti, minus cohærent*,

rum, quæ hodie commemoravi, & quæ etiamnunc memoranda reſtant, quæ ſingula ex communi Mechanicorum opinione dixi, ac dicam. Nolis proinde, quæſo, me ex latere alieno petere.

Aberramus propoſito, inquam, reverte, amabo, a quo digreſſus es.

Boerhavius [52] ciborum digeſtionem, inquit *Serarius*, tribuit fibris. Has utraque ventriculi ora claudere, has contenta premere, cogere, variataque contractione miſcere: minus cohærentia utpote cum fluidis eliquando, & tenacia intermedio acrium dividendo. Imo varias fibrarum ſeries aut ſimul, aut deinceps contractas, ſecundum omnem ſuperficiem partes jam maceratas liquidis calidis perpetuo miſcere, dividere, mutare, ſoliditatem ciborum deſtruere, fluida in iis contenta exprimere, & ita cuncta in uniuſmodi liquorem mutare. Haud diſſimile ſane ratione juxta ac Pharmacopœi aſſolent e ſeminibus, vel nucleis, lac quoddam interveniente liquido quodam conficere. Borellus [53] admittit fermentum, cujus ope piſces & aves aliquas alimenta in ventriculo vindicare. In homine fermentum ejuſmodi dari, Hofmannus [54] aſtruit. Sed quandoquidem cibos digerendi actus, quo pacto is utpote contingat, in nobis excitat aliquantam animi ſuſpenſionem: miſſum ergo hunc faciamus, percontemur potius ex Mechanicis

rent, quam iſtarum partium partes, cum iſtæ a reliquis, non hæ a ſe mutuo per impetum cordis ſanguiniſque diviſæ & ſecretæ fuerint. Poſtquam vero iſtæ ita fuerint in ventriculo ſeparatæ rurſus, ut fluere unæ ſupra alias poſſint facile, tum motu ventriculi expelluntur in lacteas. Unde ſequitur nihil fieri in ventriculo, unde quis pro certo poſſit ſtatuere, ciborum coctione elici ſulphur, ſalia-que, & alia corpora pro elementis venditata.

[52] In Inſtitutionib. Medic. §. 53.

[53] Part. II. Propoſ. 189. de mot. animal.

[54] In fundament. Medicin. Cap. V. §. 23.

nicis de Chyli in ſanguinem mutatione. Statuunt, itaque Chylum in inteſtina propulſum, in his magis ac magis elaborari, in ductu Thoracis lympha miſceri, ut dilutior evaderet, in vena ſanguini confundi, in auricula cordis ſolvi, ſubigi, attenuari, in dextra cordis cavitate eadem pati: tandem per tot ambages, per tot diſcrimina rerum tendere ad canales conicos & cylindraceos arteriæ pulmonis, ubi eundem a poſtico premi & a lateramine reprimi, formarique in ſanguineam figuram. [55] Proinde chylum miniſterio pulmonis, quem intumeſcendo fieri ſe ipſo breviorem, atque inſtar ſphæræ evadere: detumeſcendo vero, per lineas ad ſuam longitudinem quoquo modo inclinatas circum compreſſum, fieri ſe ipſo longiorem, ac quodammodo ſphæroidem; [56] chylum, inquam, miniſterio pulmonis, perfectionem ſuam indipiſci, ac mutari in humorem, quibuſvis corporis functionibus inſerviturum. [57] Hanc chyli in ſanguinem elaborationem autem, non accidere ratione aëris, aut majori, aut minori momento, inſpirati, vel exſpirati: Verum, ſi aër momenti mediocris exſpiretur; & id quidem expirationis initio, tunc ſanguinem ab ipſo ſolvi in partes minimas. [58] An vero aliquid aëris per pulmones ſanguini admiſceatur, multi pendent animis; ſiquidem vias non reperiri, ajunt per quas aër pertranſiens ſe ſanguini aſſociare poſſit. [59] Borellus [60] opinatur, laticem, qui ſemper veſiculis pulmonis, lubricandi ergo, ineſt, imbui inſpirando aëris particulis. Et, quia talis latex facile poros venarum per-

[55] Vide *Boerhavii* inſtitut. Medic. §. 149.

[56] *Bellinus* in Comment. ex iis quæ in prim. part. reſpir. §. 20.

[57] *Boerhavius* in inſtitut. §. 157. & ſeq.

[58] *Bellinus* in Comm. ex iis, quæ in 1. part. reſpir. §. 24. 31. & 32.

[59] *Ibidem* § 26. & *Boerhav.* in inſtit. Medic. §. 150.

(60)

pernetrare valeat, fieri non poſſe, quin ſibi conjunctas aëris particulas exinde cum ſanguine communicent. Bergero [61] nihil vero ſimilius videtur, quam partem aëris, intra utriculos pulmonum admiſſi, per raram veſicularum, & quæ ſingulis illarum planis modo reticuli intertextæ perque minima diſperſæ ſunt, venularum pelliculam, in ipſum ſanguinem intromitti. Hanc aëris, reſpirando intra ſanguinem admiſſi, commixtionem, Borellus [62] judicat, ad vitam animalium producendam & conſervandam, eſſe maxime neceſſariam. Quantum vero ad abſtruſum reſpirationis negotium pertinet, putat Bergerus, [63] id totum a motu muſculorum thoracis, & pondere aëris ac elatere, pendere. Thoracem enim, quo velut injuncto jugo pulmones coerceri, paulatim dilatari, quapropter aërem in illorum veſiculis adhuc concluſum, ſpatium deinde nactum, & libertatem, ſuam explicandi vim experiri, atque externo athmoſphæræ cylindro, in ora, & naribus, aſperaque arteria comprehenſum, nitenti, facile concedere: locum autem invadendi pulmones dare, viam aperire, hinc veſiculas illorum, quouſque poteſt, replere & expandere. Præterea, ſiquidem pectus eſt in aëre conſtitutum, Bellinus [64] ſenſit, nec muſculos contrahi nec oſſa moveri poſſe, niſi aëri, externam ejuſdem pectoris ſuperficiem in quolibet animalis poſitu undecunque comprimenti, aliqua alia facultas, ab inteſtina ſuperficie per eaſdem quaquavorſum lineas æqualibus viribus contranitatur. Hujuſmodi facultate autem præditum eſſe aërem, qui in pulmones ducitur; quoniam

[60] Part. 11. Propoſ. 113. de motu animal.

[61] Libro de natur. hum. Cap. IV.

[62] Part. 11. Propoſ. 116. de mot. animal.

[63] Loco jamjam citato.

[64] In Comm. ex iis, quæ ad reſpir. §. 16. & 18.

nulla alia cauſſa poteſt concurrere ad æquilibrium illud conſtituendum. Deinde contractis ſemel pectoris muſculis, neceſſe eſſe, animal per totum vitæ ſpatium reſpiret. Scilicet dictos muſculos tantiſper, dum animal vitam vivit, alterne reſtitui contrahique: & quo tempore eos contrahi, dilatari pectus, & aërem in pulmones duci. i. e. inſpirationem contingere: verum muſculis iterum ſe reſtituentibus, pectus conſtringi, aëremque reddi. i. e. exſpirationem fieri.

Tum ego. Sed quid de corde, inquam, ſentiunt?

Ratione cordis, inquit, *Serarius*, faceſſitum Mechanicis eſt negotium. Siquidem ejus potentia difficulter ex cognitione effectus poteſt indagari, quemadmodum tali pacto potentiam muſculorum ſolent explorare: ad eos utpote appendendo pondus, donec in trutina radiorum æquabilium alteri altera haud prævaleat, ſed conjunctim in æquilibrio perſiſtant: vel eos conferendo cum machina, cujus vires cum vecte comparantur ratione potentiæ reciprocæ, ratione proportionis diſtantiarum, ſeu velocitatum, quibus moveri poſſunt. Verum, quoniam cordis natura non comparata, ut articulos graves ac pondera trahat ſuſtollatque, ſed, ut conſtringendo inſtar præli exiguam ſanguinis molem in ventriculis, ejuſque contenti exprimat: ergo alia ratione progrediendum eſt, ut potentia cordis exploretur. Borellus opinatur cordis potentiam cum arcu, vel ſimili re tenſa, & reſiliente, conferendam. Antequam autem eouſque aliquis pervenire potis ſit, eundem neceſſe habere ſimilitudinem inſtituere cor inter & cæteros muſculos: Et quia inter Mechanicos liquet æquales moles duorum muſculorum continere æqualem fibrarum minimarum multitudinem, confici hac ratione, putat Borellus, vi unius muſculi movente perſpecta, exinde nos nullo negotio de alterius potentia judicaturos. Igitur, moles

carnoſa

carnoſa cordis cum ſit prope ejuſdem magnitudinis, ut unus muſculus temporalis & maſſeter; apparere ex hoc vim cor moventem æqualem eſſe ei, quam quæ dictis duobus mandibulam ſtringentibus muſculis eſt: & quæ M M M circiter librarum. Præterea cor ſua contractione ſuperare majus obſtaculum, quam eſt vis illa, quam ipſe cordis muſculus, vel ejus fibræ minimæ edunt. Etenim vim muſculum cordis moventem ſuperare ſuo momento obſtaculum totius ſanguinis arteriarum, & faſciarum, earundem dilatationem impedientium, quam vi eſſe majorem ponderis 180000. librarum. Quale aſſertum ut planum fiat, conſiderandam eſſe primo vim, quam cordis muſculum exerere inflando omnes veſiculas ſeu poros ſuos. Hanc adeo grandem eſſe, ut vel ſine machina quadam poſſit ſuperare pondus 3000. librarum. Deinde in contemplationem venire proportionem vis moventis ad cordis momentum, ſeu ad vim, qua ſanguinis motus in arteriis impeditur: hanc vero ſe habere ut 1. ad 60.; ſi jam uterque numerus, id eſt, alter cum altero, fuerit multiplicatus, effici inde propoſitionis memoratæ demonſtratio. Scilicet vim totam, a qua ſanguinis motus impeditur, & quam cordis potentia ſuperat, majorem eſſe vi ponderis 180000. Q. E. D. Ab hoc validiſſimo cordis muſculo, alterna vibratione propelli ſeu exprimi, in modum emboli, in arterias certam ſanguinis portionem (uncias tres circiter in adultis exiſtimat Borellus): Quo facto univerſam arteriarum compagem amplitudine dilatari, diſtrahive: molem ſanguinis vero noviſſime immiſſam, aliam, quæ ante eſt, protrudere, popellere, cogere, ut locum cedat, donec ea ipſa ad vaſa minima pervenerit, ubi arteriarum faſciæ, diſtractionem ulteriorem ob renixum diſtentus renuentes, eandem undique comprimunt, ac ita in cauſſa ſunt, ut

totius molis, per vaſa minima, ex arteriis in venas expreſſio; atque adeo ejus per univerſum corpus circuitus fiat. Compreſſio itaque & reſtrictio arteriarum a vi Machinæ, qua vaſorum viſcerumque fibræ contrahuntur, & quæ diverſa a vi propellente, projiciente, vel exprimente cordis, ſunt in cauſſa, ut ſanguis extra arterias, per earum orificia, expellatur. Quænam autem ſit cauſſa cor movens, utrum ſcilicet id propter organorum neceſſitatem, qua automa quoddam movetur: an vero a facultate animali, inſciis nobis, ob conſuetudinem habitu acquiſitam, primario moveatur? incertum. Et id verbis Borellus in utramque partem diſputavit. [65] Hoc tamen inter Naturæ ſpeculatores conſtat, cruorem ſolo cordis pulſu, in extremas trudi arterias, & has eſſe canales conicos, diſtentui aptos, inflexos, diviſos in ſimiles minores eodem trunco ortos, quos ultimo circa vertices cylindraceos retis ſtructura in ſe mutuo patere. Inibi ſanguinem *elaſtica* arteriarum contractione retropelli aliquantulum, quo momento ictum cordis ceſſare, ejuſque valvulas concidentes, regreſſui ſpatium laxare. Hoc reciproco impulſu & repercuſſu, varias mole partes cruoris, ubique applicari ad diverſa capacitatis hiantia oſcula, eaſque, aut intra hæc ſuſcipi, aut inde repelli. Hoc artificio ſolum ſecedere ſanguinem in diverſos, qua colore qua tenuitate, humores, mox in venis iterum ſanguini permiſcendos. De cætero ſtatuunt, arteriam, poſtquam memoratum antea rete conſtituerit, tubos emittere cylindraceos adeo arctos, ut rubras ſanguinis ſphærulas

[65] Hæc Part. 11. de motu. animal. capit. v. quo tractat cor, & ejus pulſationem propoſ. 37. 51. 52. 66. 67. 72. 74. 75. 79. & 80. contraxi. Conſer. hæc, quæ modo attuli, cum iis, quæ habent *Bellinus* de motu cordis propoſ. 24. *Boerhavius* in inſtitut. Medic. §. 104. & ſeq. & *Thomſon* in diſſertat. 1.

(66)

rulas in oſcula ſua ſuſcipere neſciant : miſſis itaque illis factis, hæc vaſorum lymphaticorum oſcula potius recipere tenuiorem tantum, & limpidam ſanguinis partem. Eandem arteriam ibi locorum recto decurſu porrigere truncum, quem tanquam initium venæ habendum. Hunc emiſſis *lymphaticis* ſenſim ſenſimque ampliorem nanciſci formam, ob advenientem per fiſtulas, ei a latere poſitas, laticis *venoſi* & lymphæ molem. Hunc deſtinatum, ad rubrum craſſioremque, ſero liquidiori orbatum, ſanguinem, vehendum. Ex dictis vaſis, ut & nervulis omnifariam inter ſe, in modum glomeris, convolutis, oriri modo ſimplices, modo compoſitas, glandulas. [66] Quomodocunque nunc hæc, & alia corporis, vaſa fuerint, ratum habent, eorum orificia non inter ſe differre ratione figuræ, ſed ratione amplitudinis figuræ : omnia quippe ad unum circulorum more eſſe diſpoſita. [67] Quid? quod diametri ramorum, Boerhavio [68] auctore, fere ubique minores ſunt diametro trunci recta pergentis eodem in loco communi. Qui cum ita ſint, hac lege diviſionem in minutiſſima uſque pergere; & cum ultimi rami ultimo trunco minores, ergo ibi in ſanguine, propter omnimodam arteriarum preſſionem motionemve jugem, ſoluto attenuatoque, omnis generis partes reperiri : aliis diametros eſſe majores diametris ramorum; aliis diametros minores: illas cogi inire in ultimum truncum rectum, ubi ramos deſinere, ubi conum, cylindrum, ubi arteriam, venam fieri : has vero, obli-

[66] Vide *Boerhavii* orat. de uſu ratioc. Mechan. &c. pag. 8. 9. 10. 11. & 26. nec non ejuſdem inſtit. §. 97. uſque. 142. & a § 161. ad 173.

[67] *Pitcarnius* in diſſert. de circuit. ſang. §. 15. & 16. & de curat. febrium §. 4. *Hoffmanni* fundam. Medic. Cap. VII. §. 50. 51. & 52.

[68] In Inſtitut. Medic. §. 200.

qua oppoſita validaque preſſione, in ramos patentes, impelli. Et quamquam hæc vaſa non prout arteriæ a fluido projecto dilatentur, nihilominus tamen ea aliquatenus, ut Thomſon [69] auctor eſt, diſtendi, propter multiplex obſtaculum fluidorum. Reſiſtere autem fluidum, quod in canalibus ineſt, ratione molis ad movendum ad perfluendum inertis. Ad hæc, quoniam fluidorum motus non fiat ad lineas directionum rectas, ſeu canalium lateribus parallelas; verum pro vario, fluidi a tergo prementis, impulſu, canalibus impingat, & ad angulos plus minus obtuſos reflectatur: Proinde anguli quo minus fuerint obtuſi, id eſt ad naturam rectorum acceſſerint, eo magis eos motui eſſe impedimento. Dictis addatis admirabiles quorundam vaſorum contorſiones, mutuum eorundemque implexum in modum retium: nec non lymphaticorum valvulas ultro citroque ſe fluidis obviam dantes. Hæc & ſimilia obſtacula priuſquam fluida ſuperare queunt, neceſſe ipſis eſſe, ſe omnino juxta latitudinem expandere, quod cum contingat, diſtrahi quoque canales in majoris latitudinis diametros.

Liceat interfari, inquam. Hactenus quarundam ſolidarum corporis animalis partium proprietates narratione delibaſti. Pandas nunc, velim, quid de fluidis ſtatuant. In horum enim motu, & libera per vaſa fluxione, ſanitas & vita pariter, ut non ignoras, ſitæ ſunt.

Tum *Serarius*. Horum naturam, inquit, Bourhavius [70] ſtatuit, eum examuſſim mente capere, qui minuta & agitata corpuſcula, quorum congeries aliquod fluidum conſtituit, noverit. Etenim, ſiquis dictorum unum attenta mente conſideraverit, eundem

[69] Diſſertat. 1. pag. 36. [70] In Orat. memorat. p. 17.

dem illi tunc ultro delaturum rationem ſolidi; adeoque ejus efficientiam moli, motui, figuræque eſſe aſſignandam. Sin vero aliquis univerſam fluidi molem ſimul ad Mechanices præcepta perpenderit, innoteſcere tunc ipſi gravitatem & fluorem eſſe generales cujuſquam liquoris proprietates: ſingulares vero, qua alius ab alio diſtinguitur, eſſe virtutem *elaſticam*, ponderis, ſpiſſitudinis, fluxuræ, nixuſque in contactum gradus varios, impetus, quo feruntur, momentum, & itineris directionem. Et quantum attinet ad omnigenam in corpore humano humorum ſecretionem, putat Bellinus, [71] hanc fieri ratione plexus, more retis conſtructi. Hunc maxime facere ad conſervandam promovendamque generalem liquidorum ſolutionem, & ſecretionem liquidi a liquido, in glandulis ſine ullo fermento. Et Bourhavius [72] preſſius verbis, aſſerit, variam longitudinem arteriæ a corde, varium ejus ſitum, complexum, velocitatem, proportionem rami ad truncum, vim exprimentem, moram in cavo variam, i.e. mechanica neceſſitas ſecundum Borellum, [73] in cauſſa eſſe, ut varia liquida variis in locis ſecernantur, & ſecreta mire immutentur. Quibus conceſſis poſſe mille modis omnis generis humorum ſecretiones fieri. Bellinus [74] arbitratur ſecretionem, & derivationem diſſimilium liquidorum, per canales corporis conjuncte fluentium, fieri per compoſitionem duorum motuum, quorum alterum accidere ſecundum canalis longitudinem, alterum eodem tempore

[71] Libro de ferment. propoſ. 36. & 37.

[72] In inſtitut. Med. §. 203. & 204.

[73] De motu animal. p. 11. propoſ. 160.

[74] In comment. ex iis, quæ ad ſecret. §. 1. & 2. Eadem ſuffuratus eſt *Baglivus* Libr. 1. de fibr. motric. Cap. x. prop. 5. & 6.

quaquavorſum ad latera: prius autem exprimi, quod liquidius eſt. Et Baglivus [75] ſenſit, ſecretionem cujuſvis laticis, in quolibetcunque viſcere factam, pendere in primis a majori vel minori velocitate ſanguinis, ad viſcus quoddam appellentis, & a longinquitate viſceris a corde. Quin etiam nutricatum Pitkarnius [76] ſtatuit, ſui generis eſſe ſecretionem. Hujuſmodi a cæteris non differre, niſi, quod motus fluidi, in nutritione ſecreti, per canalem, ſeu porum ſecernentem, multo tardior ſit, quam aliorum fluidorum motus per ſuos canales. Cujus rei cauſſam eſſe, quod in ſecretione, nutricationis ergo inſtituta, angulus per verticem canalis ſive pori, a latiori baſi orientis, multo major ſit angulo, per vertices aliorum canalium, per quos vulgo ſecretiones fiunt: & hanc eſſe rationem, auctor memoratus aſſerit, ut in ſecretione hujuſmodi maximum latera alicujus pori obſtaculum importent progreſſuris partibus, e pertranſeunte fluido dicta ſecretione ſeparatis. Hæc, & ante memorata, cum ſe ita habeant, efficitur inde non modo ſecretionem fluidorum omnigenam a ſolidis; verum etiam illorum motum a ſolidis. i. e. a varia canalium tenſione *elaſtica*, dependere. [77] Vaſis enim quibuſque corporis id peculiare eſſe, ut tum actionem ſuam inſtituant, quando fibræ, a liquido transfluente diſtractæ, verſus ſuæ cavitatis axem ſe contrahendo, humores propellunt. [78] Quid? quod humores, ut Baglivus [79] monumentis prodidit, in juvenibus plurimum faciant impetum verſus loca ſuperiora: e diverſo in ſenibus verſus inferio-

[75] *Ibidem.* Propoſ. 8.

[76] Diſſert. de motu, quo cibi in ventric. &c. §. 17.

[77] *Thomſon* diſſert. 1. de motu, quo renituntur, &c. pag. 37.

[78] *Boerhavius* in inſtit. Medic. §. 856.

[79] Libr. 1. ſpecim. de fibr. motric. Cap. x. propoſ. 1.

feriora : atque hoc contingere in his propter nimiam ſolidorum, & fluidorum laxitatem : in illis vero propter dictorum nimiam tenſionem, vim, ſeu agitationem. Cæterum, licet plerique de ſanguine decreverint, eum bifariam moveri, nempe juxta ductum vaſorum, & juxta latera, qui motus etiam inteſtinus vocatur, in quo globuli, ſanguinem conſtituentes, juxta axem perpetim commoventur. [80] Baglivus tamen præter hos novit ſanguinis motus projectionis, inclinationis, *horizontales*, aſcenſus, deſcenſus, &, neſcio, quos amplius. [81] Gulielminus autem, [82] ratum habet, triplicem in ſanguine motum ineſſe. Primum vocat *circularem*: alterum, *agitativum*: *fermentativum*, tertium. Illum a corde ducere originem, a vaſorum vehentium, & revehentium ſitu, nec non a valvularum poſitione, determinari: adjuvari autem a conſtrictione vaſorum, & muſculorum ea comprimentium. Iſtum non toti ſanguini, ſed ejus partibus ineſſe, producique, quia ille non ſolum in diverſis ejuſdem arteriæ ſectionibus, verum etiam in eadem ſectione, non uniuſmodi, propter obſtacula varia, fiat. Pro certo enim habet, ſanguinem, qui circa vaſorum axem verſatur, velociter magis, vel rapidius fluere eo, qui prope circumferentiam eſt. Quin etiam diverſam partium, ſanguinem componentium, gravitatem, & partes aëris tenuiores, reſpiratione ſanguini admixtos, ut & ætherem Carteſii, hujuſmodi motui cauſſam dare. Hunc denique, quamquam non æque in naturali, ac in ſtatu præter naturam, obſervetur, adeſſe, ſanguinem extra vaſa perfacile corrumpentem, atque febres, quas majores appellarunt putridas, tanquam

[80] *Hoffmanni.* Fundam. medic. Cap. IV. §. 37.

[81] Lib. I. ſpecim. de fibr. motric. Cap. VI. Corollar. XI.

[82] In libro de ſang. nat. &c. §. 6. 18. 20. & 22.

aſſertionis habet documenta. Naturam hujus motus generaliter partium diverſitate eſſe fundatam. D. Frind tamen [83] contradicit tot ſanguinis commotiones, ut & ejus efferveſcendi fermentandive actus. Illum ſanguini ineſſe non poſſe, cauſſatur, quia deeſt acidum, primarius illius actionis auctor; neque adeſſe hunc, fermentandi nempe actum, quia fluidi cujuſvis partes, quæ ſub iiſdem planis *horizontalibus* jacent, æquabiliter premuntur; adeoque conquieturæ deinceps, niſi intercedente novo impetu, vel liquido a corde miniſtrato, fieret motus redintegratio. Quod ſi res ita ſe habeat, latiſſime patere, præter eum, quo continuo progreditur, & circumfertur, vel propellitur per univerſum corpus, nullum alium in ſanguine motum dari poſſe. Quandoquidem nunc omnia, quæ de natura & motione fluidorum vitalium dixi, apprime cum principiis mechanicis conveniant, atque illorum proprietates per hæc congruenter dilucidentur; apparere ex his, ut auctor eſt Boerhavius, [84] illa quoquo pacto vitiata, egere, ut in ordinem naturalem redigantur, auxiliis mechanicis. Nempe fluida eſſe ſubinde inſpiſſanda, coacta reſolvenda, ſtagnantia movenda, diſſoluta compeſcenda, craſſa diluenda, leviora ſolidanda.

Hoc loco *Lucius*. Miror, inquit, Te Tua narratione haud delibaſſe ſpiritus animales, quos alii nomine ſucci nervorum nuncupant.

Tum *Serarius*. Obruor rerum multitudine, inquit. Haud mirum igitur eſt, ſi ſuo quæque ordine non fuerint a me diſpoſitæ. Inter nos liquet, Medicos ſemper ſpiritus animales, vel nervorum laticem, ratione corporis motionum conſideraſſe, ut quondam Romani tribum

[83] In Emmenolog. Cap. 81.

[84] In citata Oratione pag. 22.

bum prærogativam, cui cæteræ tribus frequentiſſime aſſentiebantur. Spiritus enim, ſi debite munere ſuo funguntur, in primis in cauſſa ſunt, ut corpus animale ſit vitale, ſit mobile, & ſibi in functionibus, naturæ ſuæ conformibus, expediendis, aſſentiatur. Borellus [85] ſtatuit ſpiritus animales eſſe naturæ fluidæ, ſubtiliſſimæ, puriſſimæ, & mobilis: & Boerhavius, [86] ſtatuit nervorum ſuccum eſſe corpus tenue, celere, fluidiſſimum, in cortice cerebri *glanduloſo*, ſecretum; & quod hujus fibrarum ope in medullam oblongam, & inde in ſpinalem, poſt hæc in nervos deferri. Hoffmanno [87] probabile habetur, liquidum nervorum conſtare ex duplici natura, una humidiori ſubtiliſſimaque ſucci nutritii parte; altera ſicciore, quam e purioribus aëris particulis, pulmonum miniſterio in ſanguinem receptis, elaborari. Siquidem hujuſmodi fluidum nequicquam aliud, quam materia ſubtiliſſima, potentia mechanica determinata, ut ait, inſtructa ſit, & ad *ideales*, & ordinatos in corpore motus edendos, apta; hinc ei recte ſpiritus nomen imponi. His ſpiritibus duplicis generis motionem eſſe, alteram rotando quaſi perfici, quoniam quævis particula circa axem moveatur: alteram directam eſſe, tendereque a termino ad terminum. Præter hæc ſpiritus animales in nervis ſecundum lineam rectam ſe movere: aſt ætherem in ſanguine ſecundum lineam curvam, inde ejus calorem dependere.

Belle conjectum, inquit *Angelus*. Ceu vero acies oculo-

[85] Propoſ. 24. Part. 11. de motu animal.

[86] In Inſtit. Medic. §. 311. no. 8. & §. 219.

[87] Vide Fundament. Medicin. Cap. v. §. 50. 47. 54. & 55. vide etiam Cap. vi. §. 2. 3. Et in antedictis, ut & §. 13. 14. & 16 *Hoffmannus* vocabulis ſpiritus animalis, & ſucci nervorum, ut æquivalentibus, utitur.

oculorum iſtiuſmodi motus ſpecies unquam deprehendiſſet.

Sive oculorum acie, inquam, ſive mente ſint deprehenſæ, in medio hoc tempore relinquamus. Etenim anguſtiis temporis excludimur, ut longe lateque de rebus controverſis poſſimus diſputare. Proin has omittamus, velim, Audiamus potius de *Serario*, quid Medici, qui nomine Mechanici cooptati, ſenſerunt de corporis humani excretionibus?

Non eſtis neſcii, inquit *Serarius*, Sanctorium indefeſſo labore primum vel ſe ipſum vel alios in trutina, ad id negotium concinnata, ſtateram vocant, ſuſpendiſſe, explorandi animo, quanti ponderis corpus quotidie perſpirando jacturam faciat? libratis prius alimentis, ventriculo ingeſtis, exinde excrementis alvi & veſicæ ſeorſim ponderatis, invenit excretiones hanc plerumque ſervare rationem. Nimirum excretionem alvi eſſe quatuor: veſicæ ſedecim: cutis quadraginta & amplius: oris, ratione reſpirationis, ſex unciarum. [88] Ex quibus apparet *perſpirationem* omnium corporis excretionum eſſe maximam. Quid? Pitkarnius [89] minime dubitavit, quin computando poſſit adinveniri, quantum ponderis de quodam corporis villo expiret? Hoc pacto calculum ſubducit. Sanctorii obſervatione fretus, ponit viginti quatuor horarum ſpatio, perſpirando excernere uncias quinquaginta, ſeu ſcrupulos clↄ. cc.; & ſpatio horæ I. ſcrupulos, & quovis horæ momento, quinque pondera, qualium ſex conficere ſcrupulum. Quandoquidem nunc corporis humani pondus medium ſit librarum CLX., quas ſcrupulum minimum ſexa-

[88] Vide ejus Medicin. ſtatic. Sect. 1. §. 59. 5. 6. & ſeq. Et *Pitcarnii* diſſertat. de curat. febr. §. 8.

[89] In citata modo diſſertatione, §. 14.

ſexaginta millia æquare; & e tali corpore intra horam quinquaginta ſcrupuli *perſpiratione* excernantur; effici hac ratione, ſi utpote quinquaginta, in ſexaginta millia ducantur, quamvis corporis partem emittere eodem tempore, partem ſui milleſimam ducenteſimam: vel ſpatio cujuſvis horæ quemvis corporis villum unius ſcrupuli de ſe exſpirando emittere partem ſcrupuli milleſimam ducenteſimam.

Hoc loco *Lucius*. Superſedeamus, inquit, hujuſmodi ſubtilibus quæſtionibus. Dubiæ ſunt, quas memoraſti, enodationis. Quippe inter Medicos conſtat, corpora, ut & ſingulos eorum partes, ſeu ratione ponderis & figuræ, ſeu laxitatis & denſitatis ratione, eſſe inter ſe cummaxime diverſas; quin & non quolibet tempore, ne ipſo quidem Sanctorio negante, fieri uniuſmodi exhalationem. Quibus poſitis, & ita re vera, ut dixi, ſe habentibus, latiſſime patet, eos periculoſæ plenum opus aleæ tractare, qui conantur calculo mathematico excretiones corporis determinare, quot ac quantum videlicet ſingulis horis, ſinguliſve horæ momentis, excernatur. Magni potius ad utilitatem Medicam intereſt, ſcire, qui incolumitas corporis ſarta tecta conſervetur, qui morbo Medicina ſit facienda.

Tum ego. Quoniam ſanitatis, inquam, & morbi incidit mentio, perhibe, mi *Serari*, quid Mechanici de iis ſtatuant.

Tum *Serarius*. Non uno modo, inquit, ſentiunt. Sunt aliqui, [90] qui ſtatuunt, ſi fluida corporis decente temperie æquabileque motu prædita; ſi ſolida debitam figuram, ſitum & ordinem ſint nacta, corpus tunc bonam conſequi valetudinem; & hanc perenne, fluidorum per ſolida, motu, fundatam. Alii

[91]

[90] Ut *Hoffmannus* in Fundam. Medic. Cap. III. §. 2.

(91)

[91] perhibent ſanitatem animalis conſiſtere, in juſta canalium tenſione, eam ob cauſſam inſtituta, ut valido renixu, canalium villi alterna contractione, fluida comprimant, ad circuitum per vaſa minima abſolvendum. Contra, ac dixi, ſi ejus conſtitutio fuerit, ad morbum tunc illud proclive. Baglivus, [92] priſcorum Methodicorum communitates in Medicinam rurſus introducens, ſtatuit, ſtrictum & laxum, quia æque in fluidis, ac ſolidis, vigeant, in primis in numero cauſſarum morborum habenda. Contractione enim & laxatione non modo in Mechanicis, verum etiam in univerſitate rerum, pleraſque operationes perfici. Bourhavius morbos ad tria genera redegit, ſub primo complexus eſt, qui ratione ſolidi aut fluidi accidunt: ſub altero, qui aut maribus aut fœminis ſunt proprii; ſub tertio autem eos, qui eveniunt, quatenus homo ex anima & corpore compoſitus. Quod vero ad ſolidum ſpectat, ratum habet, quod ultimum minimi vaſis ſolidum, cum liquidi fuerit plene expers, ſit conſiderandum, ut corpuſculum terreſtre, ſimplex, tenue, cujus connexæ particulæ adeo minutæ, ut vix a fluidis differant, ſintque omnes nervoſæ, vel e nervis ſaltem oriundæ. Hoc ſolidorum genus, autumat, non inepte in quatuor claſſes poſſe diſpeſci. Sub prima comprehendi particulas terreſtres minimas, quarum ex unione fibram, cujus dotes eſſe laxitatem, rigorem, robur, debilitatem, oriri: ſecunda canales minimos, e quibus adunatis, nervum minimum: tertia canales ex unione minimorum canaliculorum, unde reliqua vaſa: quarta denique ea, quæ ex liquido & vaſe, vel e vaſis, liquido expulſo, concretis, originem ducunt,

[91] Ut *Thomſon* in fine diſſertat. 1.

[92] Specimin. de fibr. motric. Cap. VIII. Corollar. 3. Cap. IX. propoſ. 3. Et anatom. fibrar. p. 409.

cunt, comprehendi. In his, ſemel incolumitatem adeptis, nihil morbidi, niſi quod ſolutæ unitati, vel laxitati, vel rigori, vel robori, vel debilitati, vel pravæ ſolidorum cohæſioni, vitium acceptum refert, concipi poſſe. Quantum vero ad vitiatam fluidorum qualitatem pertinet, tunc in his conſiderandas eſſe particulas ſingulas, qua mole, ſoliditate, figura, rigore, flexu, elatere, cohæſione, &c. ſint dotatæ ſingulatim. Molem enim adauctam corpori obſtructiones omnimodas, minutam vero nimiam importare *perſpirationem*. Soliditatem auctam producere oſculorum apertionem, rupturam vaſorum, &c. vel fluidorum nimiam attenuationem & attritum. Soliditatem juſta minorem augere inertiam liquidi in vaſa, & obtundendo vim ſolidi in liquida fere enervare. Figuram ſe, propter angulorum aciem, vitioſe habere, dum partes a ſphærica nimiopere recedant, aliamque induant formam. Rigorem nimium, ob acrimoniam plerumque adjunctam, inducere malum vix medicabile. Flexilitatem nimiam, aucto contactu, in cauſſe eſſe, ut partes facile concreſcant. *Elaterem* nimium, ob calorem mutatum & vim comprimentem, cuncta mutare. Cohæſionem nimiam impedire requiſitas, partium in aliam naturam, mutationes. Præterea fluidum in conſiderationem venire generatim, ratione univerſæ maſſæ fluidæ: ſcilicet an fluor, tenuitas, motus, quies, &c. rite ſe habeant: item ratione loci, ſi nimis aucto vaſis diametro craſſiora liquida in arctiores mittantur canales, ſi ruptis vaſis in ſolidorum interſtitia fluant diſtenta, [93] Quid? quod fortaſſis, cauſſæ morborum ſimpliciores, & potiori jure inter mechanicas ſolum referendæ ſint,

[93] Hæc ex ejus inſtitut. Medic. §. 490. 492. 507. 508. 509. & 510. contraxi.

ſint, quam aliquiſpiam medicorum cum animo ſuo cogitare valeat. Documentum hujus poſitionis nos capere poſſe, ait, e punctura nervuli, ſeu feſtuca membranaceæ corporis parti infixa. Quæ & quanta non oboriri ſymptomata, corpori, alias optime valenti, mortem minitantia. Quotus quiſque eſt, qui tali pacto læſi non torqueantur doloribus, rubore, tumore, ardore, pulſatione, febri, ſiti, delirio, convulſione, &c. [94] quia copioſior, teſte *Thomſone*, [95] in partem dolentem fit liquidorum fluxus, ob renixum canalium fortiori & celeriori impetu exertum. Hæc cum ita ſe habeant, exiſtimat Boerhavius, [96] venenorum ſpicula, peſtis lanceolas vel ſalium acumina, quoniam pariter efficientiam mechanicam habent, nemini admirationem motura. Quinimo ne ipſos quidem animi affectus eſſe de hac excipiendas: ſiquidem virtus cogitationis, quamprimum in corpus influit, totum id, quod in eo, producit, conficeat corporeum; adeoque tale etiam legibus Mechanices obedire.

Nunquæ ſingularis, inquam, Mechanicis eſt de natura febris opinio.

Equidem Borellus, [97] inquit *Serarius*, in Williſii fere veſtigiis inſiſtit, & ſuccum nervorum juſto acriorem, quin & quoddam fermentum, pro cauſſa,

[94] Vide ejuſdem oration. de uſu ratioc. Mechanic. pag. 32.

[95] In diſſert. 1. §. de ſtimulis.

[96] *Ibidem*. pag. 33. & 34.

[97] P. art. 11. de motu animal. propoſ. 225. 226. Ut viciſſitudinem acceſſus & remiſſionis febrium ſecundum rationem elucidaret, propoſ. 231. in medium affert fermentum quoddam, cujus reliquias, finito utpote priori febris acceſſu, ſuccos tenaces & acres, in glandulas deinceps advenientes, rurſus invadere, cumque his virtutem ſuam communicare. Inde vaſa, excretioni deſtinata, & poſtea nervulorum oſtia, ab iis ſecunda vice infarciri, obſtrui, pungi, atque adeo novum febris acceſſum excitari.

cauſſa, febrim efficientes, habet. Aſt Pitkarnius [98] ſentit febrim, tam a ſuppreſſa meatuum cuticularium ſecretione, quam a ſupreſſa alia, exoriri. Quandoquidem vero illa ſit omnium ſecretionum, vel duplo, vel triplo major: proinde ſuppreſſionem dimidiæ, vel tertiæ partis ſeri *perſpirabilis* febrem generaturam, æqualem ei, quam generaret aliarum ſimul omnium ſuppreſſio. Adhæc, quia cuticularis ſit minimum decuplo major, quam ventris: idcirco decimam partis ſeri *perſpirabilis* febrim excitaturam, æqualem ei, quam progigneret tota alvi ſuppreſſio. Quibus rationibus poſitis effici, auxilium dimidiæ vel tertiæ partis *perſpirationis* tantum in ſolvenda febre valiturum, quantum valeret reliquarum excretionum auxilium inſimul: & auxilium decimæ partis perſpirationis tanti futurum, quanti excretio alvi integra. Quin minus ex his confici, morbum non poſſe tam cito adaucta alvi excretione, quam aucta cutis *perſpiratione*, depelli; præterquam incrementum illius ad incrementum hujus fuerit in ratione inverſa. Scilicet, ſecretionem per alvum debere centuplo majorem eſſe, antequam ſpatio diei tantum evacuarit, quantum eodem tempore *perſpiratio*, decuplo tantum major naturali, potis eſt. Quin etiam febrem decupla iſtiuſmodi ſecretione cuticulari probabilius ſolvi poſſe, quia minori cum virium diſpendio ac faciliori negotio inſtituitur, quam alvi, vel alia corporis excretione, quoquo pacto adaucta. Cæterum venit mihi in mentem, venia ſit digreſſioni a propoſito, ſingularis, Pitkarnii, hominis ſane inprimis ingenioſi, opinio de ratione inebriandi. [99] Scilicet, ſi duorum animalium, inter ſe cum forma tum qua-

[98] Diſſertat. de curat febrium, &c. §. 9. & ſeq.

[99] Quam affert diſſertat. de circuitu ſanguin. &c. §. 14.

litatibus cæteris, ſimilium, & nervos amplitudine æquales, ac æqualiter a ſe mutuo diſtantes, habentium, arteriæ cerebri fuerint amplitudine inæquales, iſtud animal tunc, cui majores ſunt arteriæ, citius fieri ebrium, quam illud, cui minores ſunt, quod exin citius dolore capitis afficietur. Nam majorem molem requiri ad majoris arteriæ latera ad datam tenſionem, extrudendam, quam minoris: quippe moles ſe debet habere, ut quadratum diametri.

Hoc loco *Lucius.* Aliquoties, inquit, a Te mentio eſt facta Frindii. Et quoniam is, ut noſtis, mulierum menſes ſpecialiter tractavit, pervelim, *Serari*, ſiquidem inter nos conſtat, Te pleriſque Mechanicis familiariter uti, ut nobis, quid de illis ſenſit, tradas. Nunquid habet ſingulare?

Tum *Serarius.* Licet ejus librum, inquit, vel alios Mechanicos, qui Medicinam inſtaurarunt, perlegerim: ex hoc tamen non conficitur, me poſſe de iis extemporalem habere diſſertationem; verum enimvero, ne contra te tergiverſari videar, obiter attingam, quæ mihi in præſentia in mentem incidunt. Sed ad propoſitum. Purgationes fœminarum menſtruales, putat, potiſſimum exoriri, quia fœminis ſit humorum, cum primis vero ſanguinis, abundantia. Generari autem hanc, quoniam eæ ipſæ non tantam *perſpiratione* inſenſibili jacturam humorum faciant, quantam alias viri: quoniam earum temperamentum humidius, quam virorum: & quia non æque, ac viri, labores, validaſque corporis exercitationes, ſuſtineant. Sic & ſitus matricis multum conferre. Fœminis quippe eſſe uterum, reſpectu horizontis, *perpendicularem*, cum e diverſo cæteris animalibus, ſit vulva, reſpectu horizontis, parallela. Truncum Aortæ deſcendentem multo ampliorem in fœminis, quam in viris, reperiri: arteriarumque ſitum

eſſe

eſſe perpendicularem, & inflexionem tortuoſam: ita etiam non inveniri in venis matricis ullas valvulas. Quæ cuncta multum conferre, ut ſanguinis redundans uteri per vaſa evacuetur. Namque in fluido corporis cujuſvis circumpoſiti fieri *preſſionem*, non modo deorſum, ſed etiam a latere. Quandoquidem vero *preſſio* lateralis ſit in ratione altitudinis, qua attollitur incumbens fluidum: idcirco univerſam ſanguinis columnam, ab aortæ deſcendentis trunco ad uterum uſque, protenſam, vaſa uteri a latere, atque id juxta perpendiculum, comprimere diſtendereque. Igitur, propter plethoram & pondus fluidi, tum in arteriis tum in venis perpendiculi in modum, incumbentis, intumeſcere latera vaſorum, ita ut fibræ magis ac magis diſtrahantur, ac vi ſuperiori cedant. Præterea in plethora augeri ſanguinis momentum, quia augeatur quantitas, & inſimul, niſi lentor obſtiterit, ejus velocitas: Vim autem obſtaculi imminui, quia in vaſis, ob multitudinem ſanguinis pridem, diſtentis, minor ſit fibrarum contactus, vel cohærentia; ſanguinem itaque, ſuperato tali impedimento, tandem erumpere. Quod autem hujuſmodi fœminarum purgationes ſtata tempora ſervent, ratum habet ex his dicendis apparere. Deficiente videlicet in mulieribus perſpiratione, neceſſe eſſe, aliquid in dies intra vaſa coacervari, e quo paulatim Plethoram ortum trahere. Ut autem modus dictæ ſanguinis abundantiæ perſpicue mente percipiatur, hanc habet hypotheſin. Scilicet, ſi ſingulis diebus pars tantum triceſima alimentorum. v. g. libras duas pendentium, accumuletur, redundare tum talem fœminam, ſingulis diebus pondere drachmarum ſex & duarum quinque partium drachmæ: intra menſem vero triginta dierum ſanguinis adaucti copiam fore librarum duarum, quas quatuor unciis excedere co-

piam ſanguinis, purgatione menſtruali effuſam: cujus pondo plerumque eſſe unciarum viginti. Poſita hac ſanguinis redundantis, & quolibet menſe evacuandi, quantitate, quam eſſe circiter partem decimam totius ſanginis maſſæ, momentum ſanguinis fore ſub fine cujuſque menſtruæ periodi decima parte fortius. Quod cum ita ſit, velocitatem non commemorat, confici hac ratione, putat, ſingulos corporis canales, decima quoque parte magis comprimi diſtendique, donec tandem ſanguini effluxuro locum cedant. Haud diſſimili ſane modo, ceu lances in æquilibrio poſitæ, quas pondere adjecto protinus præponderare. Quibus conceſſis conſequi, menſtruales fœminarum purgationes æque, ac anni tempeſtates annuatim, ſuas vices & tempora obſervare. [100]

Ad hæc *Angelus*. Fateor quidem, inquit, ſubtiliter admodum. D. *Frind* cauſſas menſtrui fuiſſe rimatum, eſſeque ingenioſum ad comminiſcendum. Verum enimvero aliquas quoque in medium profert, quas non poſſum non in dubium vocare. e. g. memoratum paulo ante poſitum uteri, & ſingularem venarum conſtitutionem. Quæ ſi aliquid ad mulierum profluvium facerent, quare ſimiæ per vulvam, quare complures viri per penem perque hæmorrhoides, ejuſdemmodi ſanguinis profluvium menſtruale habuerunt, ſicuti varia hujus rei exempla, a medicis longe celeberrimis, memoriæ ſunt prodita. [101] Fortaſſis adhuc ſunt, qui notitiam noſtram fugiunt. Præter hæc non advertit, profluvium iſtiuſmodi non exactis triginta diebus, ut hypothetice habet, ſed poſt viginti

[100] Hæc de Capitib. III. IV. V. & VII. Emmenologiæ excerpſi, ac feci rationum auctoris qualecunque breviarium

[101] De quibus vide *Etmulleri* inſtit. Medic. Phyſiolog. Cap. XXI. §. 9. & 10. Therapeutic. Cap. III. §. 1. & de menſtr. flux. vitiis. Cap. 1. ubi talia exempla, e Zacut. Luſitano, Bartholino, & Fehr, de prompta, profert.

viginti duos, vel quatuor plus minus dies revertere, & ſic memoratam *preſſionem*, vel diſtenſionem vaſorum efficere: quia quamdiu menſes fluunt, qui non, ut ſcitis, in ſingulis individuis non idem dierum ſpatium obſervant: aliquando enim tribus, ſubinde quinque, & pluribus: interdum bis in menſe, aliquot diebus, effluere ſolent; tamdiu moles ſanguinis non adaugetur, ſed potius diminuitur. Calculum itaque debet D. *Frind* alio modo ſubducere, ut demonſtret, quod ſibi ad probandum aſſumpſit. Plura dubia ſunt, quæ ipſi objicere poſſem: verum ne videar me contradicendi ſtudioſum, eapropter his ſupersedeo. Mea faciam, quæ habet Baglivus. [102] Plurima nempe in rerum natura nobis occurrere, quorum effectus eſſe certos ac evidentes: & tamen nos cauſſas, quæ talia re vera produxit, ignorare. Is ipſe Thomſonius, qui alias ad amuſſim more Mechanicorum, corporis humani cujuſquemodi conditionem declarat, ingenue aperteque confitetur. [103] Medici non eſſe indagare cauſſam cauſſæ, vel curioſe perſcrutari, quare aliquid eveniat, ſed quid Natura faciat, aut ferat, id neceſſe eſſe, ut dignoſcat duntaxat.

Tum *Lucius*. Licet Tibi, inquit, de his Medici muniis aſſentiar; nolim tamen, putes, me inveſtigationem cauſſarum primarum, quia plerumque abſtruſæ, ideo eas ducere inter res ſcitu ſupervacaneas. At enimvero ſupervacuas tum eas habeo, ſi conjecturis meris, ſi hypotheſibus ſubtiliter excogitatis, ſi commentis opinionum, quæ ne ſpeciem quidem veri præ ſe ferunt, fuerint nixæ. Sed in viam. Audita, menſtrui naturaliter profluentis, ratione, ſupereſt dicenda, quapropter illud ſubinde haud ex ſententia ſuccedat?

[102] In Epiſtola ad Philippum Hecquet, de motu mening. & oſcill. ſolidor.

[103] Diſſertat. IV. de Mercurio. Propoſ. 4.

Ad hoc *Serarius*. Menſes auctore D. *Frind*, [104] inquit, ſupprimuntur vel vaſorum, vel ſanguinis, vitio: vaſa namque uteri ſi uſque adeo conſtricta, vel tenacia, vel diſtenta, ut cruor penitus effluere nequeat, in cauſſa eſſe, ut momentum ſanguinis intendatur. Enimvero non modo ejus quantitas peccat, verum etiam velocitas; quam vero, niſi lentor adfuerit, ratione copiæ una adaugeri. Lenteſcere autem ſanguinem ratione multitudinis trifariam. Nimirum, ſi major fuerit fluidi moles, quam vaſa complexu ſuo continere poſſunt, ſanguinem redundantem tunc majorem ſuſtinere renixum: quoniam ejus particulæ, tum a canalium tunicis, tum a præcedente liquido, cui continuo affricantur, proinde quaſi retro pulſæ & retardatæ, in anguſtius ſpatium coaleant, id eſt, tenaciter invicem coaleant. Deinde motum cordis imminutum in cauſſa eſſe, ut ſanguis minori impetu protrudatur, ut facili negotio a quocunque obſtaculo retardetur, adeoque prompte lentus evadat. Poſt hæc partium tenuiorum abſumptionem efficere quoque ſanguinis lentorem. Vaſa enim a redundante ſanguine admodum diſtenta, viciſſim, & reciproca quadam actione contra ſanguinem niti, ita ut ejus particulæ, a tunicis vaſorum, repercuſſæ, a *preſſione* recedere, conentur: quo fieri, ut per vaſorum poros, & ductus, ſecretioni deſtinatos, quicquid in ſanguine tenue vel aqueum fuerit, exprimatur. Quo facto, ſuperſtitem ſanguinis compagem, evenire arctiorem juxta & conſtrictiorem.

Hactenus, inquam, ſtatum qualemcunque quarundam corporis humani partium, earundemque functionum, audivimus mechanicorum more a *Serario* traditam: reliqui nunc nihil aliud eſt *Serario*, quam, ut,

[104] Cap. x. memoratæ Emmenologiæ.

ut, quod de curatione ægritudinis Medici Mechanici ſunt ratiocinati, ſimiliter tradat, atque id ab eo hodie factum in narratione præcipuorum quorundam dogmatum, ad Theoriam Medicinæ ſpectantium.

Tum *Serarius*. Medici, inquit, morbo medicinam facturi, eſt, attendere animum ad cauſſas impediti liquidorum fluoris, ad regulas ſuperandi renixus, ad reſtituendos motus *elaſticos*, ad augendam cordis virtutem, conferendo hanc cum morbi phænomenis, &c. [105] Baglivus autem auctor eſt, [106] ut in curatione ſemper habeatur major ſolidi, quam fluidi, ratio. Temperiem quippe fluidorum ſemel vitioſe ſe habentem, facile reſtitui: ſolidorum vero tonum amiſſum difficulter, vel raro, inſtaurari. Quid? ſicut pronunciatum habet, [107] quod morbi ſolidorum, a vitioſis fluidis producti, remediis ſanari neſciant, niſi fluidum prius ex malo convaleſcat. Et eandem eſſe conditionem morborum fluidi, vitio ſolidi cujuſquam obortorum, quos itidem non ſanari, præterquam quod ſolidum convaluerit. Etenim hæc duo morborum genera inter ſe reciprocantur. Sic etiam magni facit medicos, qui, antequam morbum curare in animum inducant, Meſenterii conditionem examinant, ac ſerio ad artis præcepta perpendant * Quantum vero ad ipſam medicationem attinet, Mechanici crebro mentionem faciunt de ſtimulis, quos, Thomſone doctore, [108] ſeu doloris ſpecies eſſe, ſeu voluptatis: utrovis modo tremorem parti inferri

[105] Hæc Cl. *Boerhavius* in oratione ſæpe ſæpius citata, pag. 33. vide etiam ejuſdem inſtit. Medic. §. 839. & ſeq.

[106] Specim. de fibra motric. Libr. 1. Cap. VI. Corollar. 1.

[107] *Ibidem* Cap. VII. Corollar. 2.

* *Qui hoc bene perpenderit*, ſcribit in Epiſtola ad Hecquet, *O quam bene curaverit! Sapienti pauca.*

[108] Differt. 1. de motu, &c. membro de ſtimulis, & purgatione.

validum, quem, poſteaquam ex hac ad ſenſuum officinam, *ſenſorium* commune appellant, interveniente nervorum motu, undatim progrediente, delatus eſt, validiori motione partem identidem ferire, ac liquidum inibi contentum magis ac magis exagitare. Sic ſalia actione ſtimuli, ad inteſtinorum glandulas, & ad ſanguinem delata, fortiores canalium villis movere renixus, ut deinde, accedente ſanguinis fuſione, quæ magis ſoluta ſunt, per vaſorum emiſſaria expellantur. Bellinus qui copioſe de ſtimulis ſcripſit, dicit [109] ſtimulos ſub genere doloris complecti: Quinimo ſtimulum appellat, quidquid ſenſum acrius movet: at enimvero ſi ponatur vim ſtimuli ſolum eſſe flectentem, & ſtimulum ſub genere doloris complecti: his rationibus tum confici, ait, flexiones in ſingulis partibus ſentientibus fore citiſſimas, & undas denſiſſimas, in longitudine nervorum per intervalla minima, factas. Et quemadmodum contingit in corporibus, ſeu diſtenſioni, ſeu flexioni, aptis, ut ea partibus prope medium poſitis, in extremitatem ſui contactus excurrentibus, & nitentibus, vel diſtendendo, vel flectendo, exiliora fiant: pari modo evenire in nervis, quorum partes tunc, id, quod ad exprimendum, & ad movendum, idoneum, movere ac exprimere. Ideoque ſtimulos loco miſſionis ſanguinis poſſe uſu venire, quoniam moveant, & augeant ſanguinis velocitatem, quoniam minuant ejus quantitatem, quatenus id, quod quoquo modo evacuant, ex ipſo ſanguine eliciant. Baglivus auctor eſt, [110] morbo non a fluido, ſed a ſolido originem ducente, iſtiuſmodi ſtimulos non reſerare vias, ſed

[109] Libro de ſang. miſſione propoſ. IX. §. 2.

[110] Libr. I. Cap. VI. Corollar. 8. ſpecim. de fibr. motric.

ſed potius intercludere. Talibus enim remediis, agitationem & ſpaſticam ſolidorum contractionem creſcere, oririque majorem ſolidorum contra fluida renixum: inde cauſſam patere, quare a præpoſtero dictorum uſu nonnunquam canceronoma, ſcirrhus, internecinæque viſcerum obſtructiones exoriantur. Sanguinem, Thomſonius ſenſit, [111] mittendum, quando ejus impedimentum, ſive a nimia mole, ſive ab expanſionis impetu, obortum, contractionis canalium vires ſuperat, adeo ut juſto renixus momento, actione alterna, eundem ſanguinem non comprimant, circuitus per vaſa minima ergo. Deinde venam incidere ex uſu eſſe, ſi tota ſanguinis compages, propter nimiam partium cohæſionem, eſt ſolvenda. Miſſa enim debita ejus quantitate, quod reliquum eſt, agitatione canalium, vehementius conquaſſari, ac exin minutatim facili negotio conteri comminuique. Cæterum Mechanici aliquando cum animo ſuo conſiderant medicamentorum quorundam gravitatem ſingularem, ut hujus ope ratiocinarentur de eorum viribus, quas edunt in corpore humano. Sic D. Pitkarnius, [112] ut vires mercurii inveſtigaret, advertit gravitatem in eo majorem eſſe, quam in cæteris mineralibus, adeoque, cum is celeritate non minori inſtructus, quæ ubique celeritati ſanguinis æqualis ſit, eundem plus momenti ſuſcipere, impetumque majorem exerere. D. Frind [113] ſtatuit gravitatem hydragyri decuplo majorem, quam ſanguinis: ideoque hac ratione hydrargyri momentum eo, quod ſanguini eſt, fore validius. Sanguine itaque, ob aſſumptum argentum vivum, fortiorem

[111] Diſſert. 1. de motu, quo renit. §. de miſſ. ſang.

[112] Diſſert. de cauſ. diverſ. mol. &c. §. 1.

[113] In Emmenolog. Cap. XIV. membr. IV. §. 7.

impetum acquirente, humores lentos per obſtructa vaſcula facilius protrudere. Neque hoc impetu ſolum pollere hydrargyrum, ſed propter partium gravitatem pariter & tenuitatem, id cohærentiam ſanguinis ita diffringere ſegregareque, ut, humoribus plurimum attenuatis, major fiat ſpirituum ſecretio, & vis cordis fortior: unde etiam velocitatis ratione, ab adhibito mercurio, increſcere ſanguinis momentum; imo id proprium eſſe mercurio, ut non modo vaſa obſtructa aperiat, verum etiam acidorum aculeos una retundat. Verum enim vero, D. Thomſon, qui plerumque Mechanicis aſſentitur, de potentiæ Argenti vivi ratione cum ante dictis auctoribus diſſentit. Literis enim prodidit, [114] ſe ponderi Mercurii, in quantum ad Medicinam attinet, parum tribuere. Lubenter equidem concedit illum gravitatis ſingularis ratione ſanguinem ſuperare; attamen illum, quamquam adeo gravis ſit, nihilominus ad nutum hujus circumferri. Nempe, vim motus ſanguinis, hydrargyrum propellentis, fortiorem eſſe, quam ut hujus gravitatis exceſſus, cum illius ſingulari gravitate, comparari poſſit. Interdum Mechanici, medicamentorum facultates indagaturi, alio atque alio modo procedunt. Sic D. Frind [115] quatuor modis remediorum. v. g. vim attenuandi explorat. Primus verſatur circa effectus ſenſiles, quos eſſe inveſtigandos, (1) Sapore, qui ſi acris ſi amarus ſit, indicare partes eſſe tenues, & ad motum excitandum idoneas. (2) Odore, qui ſi vividior adſit, prodere, pariter ac ſapor, ſalis volatilis præſentiam. (3) Pulſu citatiori, qui cum uſu remedii alicujus fortius increbreſcat, oſtendere tunc ſanguinem ita attenuari rareſcereque, ut copioſior fiat ſpirituum

[114] Diſſertat. IV. de Mercur. propoſ. 2.

[115] In Emmenolog. Cap. XIV.

um ſecretio: &, qui conſequens eſt, cordis impetus, pulſum moderans, validior. (4) Calore, quem nihil aliud, quam motum partium vividiorem eſſe, fierique earundem invicem attritu: inde ſanguinis globulos divelli plurimum, atque adeo rareſcere. (5) Sudatione, quam provocando remedia ſanguinis cohærentiam adeo reſolvere, ut facilius per poros vitioſum ſecerni queat. Secundus modus verſatur circa variarum rerum cum ſanguine calido, vel ſero, mixtionem, a qua ſi ſanguis aut fluidior aut ſpiſſior efficitur, adſcribit tunc eis aut attenuandi, aut condenſandi potentiam. Tertius inhæret mixtioni rerum cum ſyrupo violarum, quod ſi is indeptarit colorem viridem, vel proxime ad hunc accedentem, prodi tunc rem ejuſmodi *Alkalicæ* eſſe indolis: *Alkalicis* autem virtutem eſſe ſanguinis coagulum reſolvendi. Ex adverſo, quando color ſyrupi cœruleus additione rei in rubrum mutetur, indicium hoc eſſe, illam ſi non acidam, minimum tamen acoris alicujus eſſe conſortem: & inſuper facultate ſanguinem coagulandi dotatam. Eadem ratio eſt modi quarti, qui verſatur circa rerum in venam canis, vel alius animalis viventis, injectionem. Utcunque ſanguis poſt aliquam moram, & animalis deinde apertionem, inventus fuerit; ita poſt hæc judicat de omnimoda remediorum ſeu attenuandi ſeu condenſandi virtute.

Hoc loco *Angelus*. Utut dicta ſe habeant, inquit, mihi tamen, eadem, cum apud me eſſem, legenti, videbatur D. Frind delinquere in aſſignanda ferri ſolutionibus, ſpiritu ſeu ſalis ſeu nitri paratis, facultatem ſanguinem attenuandi; quia iſtæ, perinde ac *Alkalicis* id in more poſitum eſt, colorem ſyrupi cœruleum in viridem tranſmutent. Certe vix quiſpiam, mihi ſaltem ita videtur, credet, Ferrum ſeu Chalybem intercedente acido: vel acidum interveniente

dicto-

dictorum alterutro, immutaſſe ſe in aliquo, *Alkalica* natura prædito; quod tamen de illis, ut mihi videtur, laudatus auctor inferre voluit.

Tum *Lucius*. Tu iterum, inquit, rem controverſam in medium affers. Quæſo a vobis, ut hanc faciatis miſſam, nec non ipſam tractationem Medicinæ, cui nos hodie multum ac diu nos dedimus. Obtemperabamus dicto, ſurgebamus, ac in horto, ædibus, quas incolo, contermino, ambulatiunculam conficiebamus.

DIALOGUS. XIX.

De DD. Andry, de Moor, & Stahlii, placitis.

DIe otioſo, cujuſmodi multos habemus, Cane æſtifero cum Sole verſante, conveniebat inter *Motæum*, *Chlorhagcum*, *Seipium*, & me, facere a meridie breve iter ad pagum *Heemſtadium*, adireque ad prædium amœnum Viri Prænobilis VELTHUSII, Ordinibus Illuſtriſſimis ac Præpotentibus Diœceſis Trajectinæ adſcribti. Perveniebamus ad prædii portam, quæ nemini non, ob benevolam VIRI Prænobilis, erga cujuſcunque ordinis homines, indulgentiam, interdiu patet. Introibamus in ambulacrum nemoroſum, conficiebamuſque ultro citroque in hoc umbrifero, ratione diſpoſito, nemore, ambulationem. Tendebamus poſtea ad viridarium, a tergo villæ urbanæ ſitum; in quo non modo vireta amœna, ut viridantes lauros, citros, arantios, &c. arbores exoticas; ſed etiam fonticulos artificiales, lacum, &c. contuebamur. In pergula, ad finem viridarii poſita, retro & agros fertiles, & prata viridicata: ante viridarium & nemus memoratum: a dextra, pomarium: a ſiniſtra, ſeminarium, circumſpicientes, paululum con-

conquieſcebamus, admirabamurque de loci amœnitate. Hiſce oculorum oblectamentis refecti ſurgebamus, introibamuſque, hortulano duce, pomarium; inde pergebamus ad extremitatem prædii, ubi in vivario, vel leporario, feræ & alites diverſæ cuſtodiuntur. Revertentes per idem ambulacrum ab utroque latere conſpiciebamus locum extantem. Ingrediebamur per aperturam ſepimenti intra unum, figura quadratum, cujus in medio piſcina, in ſingulis angulis, ſingulare erat umbraculum. Nos, quia longius, quam in animum induximus, expatiati eramus, ob contractam laſſitudinem, requieſcebamus in uno ex dictis umbraculis.

Equidem fateor, inquam, me de via feſſum, ſed contuitu tot rerum amœnarum robur priſtinum membra paulatim occupat. Veneror benignitatem Viri Prænobilis, artium quarumlibet Patroni, ut non ſibi ſolum iſthæc oculorum, quibus animus paſcitur, oblectamenta, ut alias quibuſdam rerum ſuarum avaris perverſe in more poſitum eſt, reſervet; ſed animo libenti prolixoque eadem gratis cujuſvis conditionis advenis concedat.

Et cæteri præſentes in Virum Prænobilem illud conſentiebant elogium, & beatum eum dicebant, quia ſuam fortunam noſcat, boniſque ſuis itidem noſcat ſapienter frui.

Tum CLORH. Utinam plerique omnes, inquit, fortunam noſſent ſuam! non adeo multi tunc, eheu conditionem temporis! eſſent, qui in inquietudine, perturbationeque animi, vitam tranſigerent. Non eſſent tot ardeliones turbulentique homines: homines inquam, ſi eos ita appellare fas eſt, quorum temeritas plerumque omnia divina & humana pervertit. Si procaciſſima hujuſmodi ingenia ſecum reputarent almam Naturam cunctorum viventium ſaluti proſpexiſſe;

ſe: ſi brevitatis vitæ: ſi conditionis & corporis, & animæ, poſt diſceſſum e vita, eſſent memores: hanc utpote, prout ſe geſſerit, ad æternam aut beatitatem, aut calamitatem, deſtinatam; illud autem poſtliminio redire ad Terram, ac fore potiſſimum eſcam vermium; hæc & ſimilia ſi ad diſciplinæ præcepta perpenderent, dubium nemini eſt, quin ipſis pacatiſſimus eſſet animus.

Tum ego. Enimvero vera profers, inquam. Sed hic locus non eſt moralem Philoſophiam interpretandi. Dirigamus potius cogitationes noſtras ad Medicinam, cui nos jamdudum nos devovimus. Et quia jam incidit vermium, qui in numero inſectorum habentur, mentio, delibemus narratione inſectorum naturam, quatenus ea apud Medicos in diſquiſitionem venit.

Vos procul dubio, interpellabat Motæus, non ignoratis. D. *Nicolaum Andry*, de induſtria eorum Naturam, in quantum ea ad utilitatem Medicinæ pertinet, tractaſſe: interim tamen non inficior complures alios, ut Malpighi, Rhedi, Swammerdamum, Lewenhoeckium, &c. ei præmonſtraſſe, quo pacto dicta generentur, omnimodam in figuram intervallis transformentur, ac tandem intereant.

Quandoquidem hæc tibi nota, inquam, des, obſecro, quæ credis ex uſu Medici futura: cæteris, quæ ad Hiſtoriam naturalem ſpectant, in præſentia ſuperſedeamus.

Tum Motæ. Ut tuis conſiliis paream, inquit, non melius me poſtulatum efficere poſſe, arbitror, quam ſi quædam, e celeberrimo *Andry* deprompta, in medium attulero. Sed ad rem. Inſecta definitione declarans *Andry* ſcribit, eſſe animalia perfecta, diviſa in complures inciſuras, forma circulorum vel annulorum factas, quarum ope illa reſpirare.

[1] Ex insectis alia habere incisiones sub ventre: alia super dorsum: alia utrobique. Non dubitat cuncta insecta ad duo genera redigere; unum complexu suo continere magna, ut colubrem, aspidem, viperam, ranam, &c. alterum parva, quibus singulariter nomen vermis competere, ut muscas, erucas, papiliones, lumbricos, animalcula insolita in corpore humano generata, &c. Vermium genus denuo in duas classes distribuit. In prima ponit reptantes, quos ventre in modum lumbricorum terrestrium humo serpere: in altera, qui ratione ingressus ab illis distinguuntur, ut muscæ, formicæ, millepedes, &c. [2] Et quantum attinet ad vermium, in corpore humano natorum, formam, statuit, eos apte ad novem classes posse redigi. Nempe interdum inveniri vermes quodammodo vel ranis, vel lacertis, vel serpentibus, vel anguillis, vel iis, qui habent caudam instar furcæ; vel scarabæis, vel erucis, vel scorpionibus, forma similes. Non credit iis talem formam ab initio esse, sed, quando senescunt, tunc paulatim partes, quæ antea occulabantur, in apricum proferri. Haud dispari sane ratione, sicut bombyx, diuturnitate temporis, se multimodis transformat: accidere autem hoc ob accretionem partium, cutim, qua circumdati, & quam Physici nympham appellant, vi disrumpentium. [3] Qua de causa autem contingat, ut semina insectorum, quæ vel respiratione, vel alimentorum usu, in corpora immittuntur, non omnia simul, sed ex dictis, vel unum modo, vitalitatem accipiat: in causa esse, putat, diversitatem humoris, quo corpus aliquod præ alio abundat. Quinimo,

[1] Vide ejus tractati Gallice conscripti. Cap. 1. & Cap. XII. section. 1. §. 3. ubi ita breviter. *Les insectes sont ainsi appellez, parce qu'ils ont le corps marqué, d'insections, ou, pour mieux dire, d'incisions.*

[2] Chap. 1.

[3] Artic. III. Chap. 3.

nimo, prout ſemina plantarum non in unoquoque ſolo proveniunt; ſed aliud ſabuloſum, aliud pingue, humidum, aliud ſiccum, &c. requirere; ita etiam ſemina inſectorum indigere loco, ac nutrimento idoneo, ut vitam, & incrementum, obtineant. Siquidem ſemina inſectorum forma adeo exilia, idcirco vix quidquam in rerum univerſitate inveniri, in quod illa ſe inſinuare nequeant. Si calor modo, & materia alimentaria adfuerint, dicta tunc nullo negotio excludi. Non fortuitam admittit inſectorum generationem, ſed ſuum quibuſque eſſe ſemen, quod ſingulis ſpeciebus ad conſervationem ſui, Deum. O. M. cum in rerum initio res omnes creaſſet, indidiſſe. Quid? poſtquam animo ſuo conſideravit, dari inſecta, quæ nuſquam, niſi apud homines divertant, ut *ſolium*, ut pediculi prope inguina, &c. quæſtionem de iis habet, utrum eorum ſemina ſint in homine, an inſimul cum homine, creata? [4]

Magna quæſtio eſt, inquit CHLORH, quam in medium protuliſti. Nam ſi ita res ſe haberet, ut D. *Andry* conjectat, neceſſe eſt, ut alteruter e primis humani generis parentibus fuerit, ſi non ipſis inſectis, ſaltem eorundem ſemine, præditus. Quod ſi ita res ſe habuit, conditio eorum non fuit ab exordio perfectiſſima, ſicut omnes, qui ſacra biblia venerantur, perſuaſiſſimam habent: quippe inſecta, ſi in corpore humano inſunt, præter naturam corpori inſunt, ei demque omnimodam important calamitatem; igitur, quod conſequens eſt, & Religioni noſtræ nequaquam congruit, ſtatus primorum parentum non fuit perfectiſſimus.

Quouſque evagare? inquam. Paulo ante morali Phi-

[4] Chap. 2.

(5) Epi-

Philoſophiæ, jam vero Theologiæ te immiſces. Neſcis monitum Venuſini Poëtæ. [5]

Navem agere ignarus navis timet, abrotanum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. Quod medicorum eſt,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.

Nos heic præſentes ſumus medici; quæſo itaque a vobis, ut medica tractemus: cætera faciamus miſſa. Narratione hiſtoriam vermium delibavit *Motæus*; redeat, velim, ad propoſitum.

Tum ille. Tametſi totus Mundus, inquit, Paulino auctore, [6] verminoſus: & vermes in tribus, ita dictis, regnis reperiantur: [7] memorabo tantum ſpecies, quæ in corpore humano ſubinde ſunt inventæ. Celeberrimus *Andry*, vermium, qui in homine naſcuntur, duo genera poſuit. In primo collocat, qui extra inteſtina, in aliis quibuſvis corporis partibus: in altero eos, qui in interaneis fuerunt generati. Prioris generis, ſecundum locum natalem, decem ſpecies enumerat, ut *encephalos*, *pulmonares*, *hepaticos*, *cardiacos*, *ſanguineos*, *veſiculares*, *ſpermaticos*, *helcophagos*, *cutaneos*, & *umbilicales*. Poſterioris numerat tres ſpecies, ut vermes, longos & rotundos, breves & rotundos, dein planos. (α) *Encephalos* (quorum quatuor ſpecies eſſe, ut (1) qui in cerebro ſunt, & ſingulariter nominatione *encephalorum* nuncupantur, (2) *rinares*, (3) *auriculares*, (4) *dentarii*) capiti, vel parti, quam incolunt, inferre dolores acerbiſſimos, aliquando febrim ardentem, delirationem, imo interdum furorem. (β) *Pulmonares* efficere tuſſim, quandoque etiam aſcen-

Oo dere

[5] Epiſtolar libr. II. Epiſt. I.

[6] Paragr. XXVII. & LXIII. de morte verminoſa. In hoc libro auctor doctiſſimus quæſtionem tractat an mors naturalis plerumque ſit ſubſtantia verminoſa? cujus quæſtionis gratia e luculentis auctoribus plurima collegit exempla.

[7] Vide paſſim in dicta diſquiſitione; nec non D. *Andry*. Chap. 3.

(8) Ho-

dere in aſperam arteriam, & compungendo iſtic loci partem, ſimilem effectum producere, perinde ac id, quod forte in laryngem incidit, efficere ſolet. (γ) *Epaticos* producere jecoris gravitatem, lancinanteſque lateris dextri dolores: imo ſecundum aliquorum opinionem, caldoris per univerſum corpus ſenſationem cum magna triſtitia. (δ) *Cardiacos*, quorum aliquos in corde, alios in pericardio, efficere cordis dolores, palpitationes, ſyncopem, &c. (ε) *Sanguinarios* una cum ſanguine ad carnem adductos, iſtic locorum efficere furunculum, ſubinde corporis univerſi ſcabiem. (ζ) *Veſiculares*, intra renes generatos, & per veſicam exeuntes, conciere ſæpenumero retentionem urinæ, & in mingendo acerbiſſimos circa viſicæ collum dolores. (η) *Spermaticos*, partes, quibus inſunt, quadantenus vellicare; exempta tamen hac differentia, ut illæ partes nullis doloribus torqueantur. Et, quia ex his fieri propagationem ſobolis, confici hac ratione putat, quanto aliquis fuerit potiorem corporis incolumitatem nactus, tanto & eundem dictis animalculis abundaturum. (θ) *Helcophagos*, quamvis ulcera rodant, & carnem corruptam modo comedant, tamen propter excrementa relicta parti ſanæ corruptionem inducentes, eidem eſſe damno. (ι) *Cuticularium* diverſas eſſe ſpecies: præcipue tamen conſiderandos eſſe (1) crinones, ita dictos, quia, quando cuti exeunt, forma glomeribus pilorum quadantem ſimiles; eoſque inveniri in brachio, crure, præſertim vero in dorſo infantium lactentium, ubi ſuccum alimentarium conſumentes, maciem corpori inducunt. (2) Acaros, quos ſub cute repere, hancque ſenſim ac ſenſim rodendo excitare pruritus inſignes, & tumores parvulos, ſub quibus eos frequentiſſime deliteſcere. (3) Bubulos, ita nominatos, quoniam boves quandoque iis referti. Hos,

acaris

acaris majores, ſub cute ſerpentes, concitare pruriginem fere univerſalem. (4) Dracunculos, & (5) Ton. [8] (x) *Umbilicales*, in infantibus efficere maciem languoremque corporis, labra palleſcere, calorem naturalem diminui: ad ſummam, contingere univerſi corporis everſionem; præſentiam ejuſmodi vermium non magis innoteſcere, quam gobionis fluviatilis ſupra umbilicum applicatione, quem, ſi illi modo adfuerint, ex parte exeſum iri. [9] Poſterioris generis vermium, qui utpote in inteſtinis inſunt, eſſe tria genera, ut (1) rotundos & longos, quos aliquando in ventriculo, interdum in lactibus, inveniri. Hos varia mala corpori importare, ut nauſeam, vomitionem, acidos oris halitus, tormina, diarrhœam, teneſmum, & alia ſexcenta corporis cruciamenta. (2) Rotundos & breves, quos potiſſime in craſſis inteſtinis inhabitare: illos eſſe anonymos; hos vero appellari aſcarides, efficere pruritum in anu: quinimo ob ejuſmodi inteſtini irritationem ſæpenumero oboriri animi deliquia, ſyncopen, & ſæpiſſime teneſmum. (3) Planos, quos vocari tænias, propter formam, quæ ipſis cum tæniola intercedit. Duas earum eſſe ſpecies. Quæ nec motionem, nec capiti ſimile aliquid, habent, eas ſingulariter nomine tæniarum nuncupari. Tæniam autumat, in gracilioribus inteſtinis produci primum, indidem autem ſe poſtea per cætera inteſtina explicare. Alterius ſpeciei tæniam appellat *Solium*. Equidem Naturam, ferunt, amare nihil ſolitarium: contrarium tamen comperimus in hoc verme, qui nunquam non ſolus in corpore, cui ineſt, invenitur. Hunc mobilem eſſe, ait, hunc capite rotundo, verrucæ non diſſimi-

[8] Horum in dialog. VI. pag. 108. mentionem feci.

[9] Hæc e Cap. III. artic. 1. & Cap. IV. artic. 1. excerpſi.

le, præditum: hunc habere caput in pyloro, ac indidem nutrimentum capere; reliquum corpus vero per longitudinem inteſtinorum porrigere. Præter hos ſupereſſe quidem ſpeciem vermium planorum, quos aliqui *cucurbitarios* nominant; verum hos D. *Andry* dicit, alios conſiderare, tanquam excrementa, alios, ut ovula, *Solii*. [10] Et, ut in ſumma dicam, Auctor multo Celeberrimus curatione complurium ægrorum comprobavit, multos admodum in corpore humano oboriri affectus, quorum cauſſa perperam, neſcio, quot diverſis rebus, cum tamen ſæpius ſit vermibus, tribuenda. Compertum enim ſe habere, ait, enectis, ſeu eliminatis e corpore, vermibus, homines ex morbis variis convaluiſſe: cum antea ipſis omnifariam fuerit incaſſum Medicina adhibita.

Tum ego. Tu noſtrorum voluntati, inquam, in enarranda vermium hiſtoria abunde ſatisfeciſti. Verum, ut ne ſilentio horas, quibus feſſa membra paululum inſtauramus, tranſigamus, indicabo, propoſitum eſſe mihi, diverſas Medicorum opiniones, quas de qualicunque corporis humani conſtitutione habuerint, literis mandare. Et, quia perveni ad noſtri ævi auctores, quæſo idcirco a vobis, nunquæ vobis ſint quædam opiniones notæ, quæ cujuſmodicunque novitatem præ ſe ferunt, ut has mecum participetis.

Ad hæc Motæus. Non dubito, inquit, quin opiniones Doctiſſimi *de Moor*, tibi dudum ſint cognitæ, quas habet de *preſſione* ſanguinis, quæ eum tantopere ſupinant; quaſi vero hæc ſui conſilii eſſet inventa.

Siquidem, inquam, de hac meminiſti, deguſtes pauca, velim, de opinionibus, quas oratione exaggeravit. Cor-

[10] Hæc ex artic. 1. Cap. III. & artic. 2. Cap. IV. contraxi.

Corpus humanum, inquit MOTÆUS conſiderat D. *de Moor*, tanquam machinam *pneumonico-hydraulicam*: cujus vitam, & actiones a preſſu ſanguinis, & reſpiratione, pendere. [11] Vitam, definitione declarans, dicit, eſſe aliquid actuoſum ex interiori principio. Principium autem iſtud inteſtinum eſſe nequicquam aliud, quam perennem ſanguinis motum, circumactum, preſſum. [12] Imo omnes corporis humani acceptas functiones, quæ ac quantæ fuerint, dicit, huic principio, preſſuræ puta ſanguinis, eſſe referendas. [13] Hujus efficientia admirabilis traduxit D. *de Moor* ad admirationem adeo, ut nihil ſupra. Quare raptus ejus amore, non dubitavit exclamare, o blandam, o ſcaturientem, o efficacem ſanguinis preſſuram! [14]

Hercule! interfabatur CHLORH., Cothurnatus Orator tuus paratragœdiat, &, neſcio, quam pompam in dicendo adhibet: proinde quaſi is primitus ſanguinis circumactum adinveniſſet, utilitatemque hujus negotii indicaſſet.

Tum MOTÆUS. Equidem, inquit, Celeb. auctor non negat Harvæum ſanguinis circuitum deſcripſiſſe; celeritatem autem ejus inſignem, & conſequentias, quantæ ad eum ſatis ſunt, non monumentis prodidiſſe. Et, quamquam recentiores celeritatem ex

[11] Patholog. cerebr. Cap. XIII. de morb. caduc. pag. 402. & pag. 397. ſcribit, vitam, motum, calorem a preſſu ſanguinis & impetu ſpirituum animalium pendere. Et Cap. VII. de Caro. A ſanguine ejuſque preſſu, ſcribit, vitam & vires humanas dependere corporeas.

[12] Vide oration. de method. docend. Medic. pag. 12. & 15.

[13] Patholog. Cerebr. Cap. I.

[14] Vel potius ita, ut propriam auctoris exclamationem in medium proferam. *O blandam, & amicam vitæ atque calori noſtro nativo preſſionem ſanguinis! O ſcaturientem a primis vitæ incunabulis, ad extremum vitæ halitum fontem perennem! O efficacem iteratis pulſibus continuatam preſſionem, a qua nutritio, viviſicatio, motus voluntarius, robur*

inſigni pulſuum numero demonſtrarint; finem tamen hujus circumactus eos non probe perſpexiſſe. Scilicet, *ſanguinem maxima vi premi in arterias repletiſſimas*: unde functiones naturales plurimas, ſi non omnes, clariſſime demonſtandas. Fatetur quidem harum fundamenta ante jacta, ſed neminem, credit, rem, quamvis ſit conſequens circuitus, ſe excepto, verbis perſpicuis illuſtraſſe. [15]

Non capio, inquit CHLORH., mentem dictionis tuæ, quanquam ſermone tuo mihi mire aures arrexiſti. Contenditne Cl. auctor, modum, qualiter: & finem, utilitatemque quare, ſanguinis circuitus fiat, non æque aliis, ac ſibi, innotuiſſe. Si hæc habet perſuaſiſſima, quæ mihi vero vix quiſpiam perſuadebit, afferas argumenta, velim, quibus dicta comperiamus.

Licet Cl. Auctor, inquit MOTÆUS, in ſanguine admittat duplicis generis motum, alterum inteſtinum, alterum progredientem: [16] Poſteriorem tamen curatius diſſerit, &, ut tradendæ preſſuræ nobis aliquod cogitatum ſit, gratia exempli profert decollatum hominem, ex cujus trunco nos contueri plerumque ſanguinem ſubſultim decurrere. Idem etiam accidere, ſiquis hominum & beſtiarum venas inciderit. Tale vehemens ſanguinis profluvium, arbitratur, non poſſe ab ejus circuitu, aut motus celeritate deduci tantum. Fatetur quidem celeritatem poſſe effluentiæ ſubitaneæ, at non ſanguinis in diſtantiam

robur, agilitas, corporis noſtri pendent! Significanter & ornate dictum, in memor. Orat. pag. 13.

[15] Cogitat de inſtaur. Medic. Libr. 1. pag. 1. 38. & 40. Et in citat. orat. *Mirum re vera, utiliſſimum hoc inventum*, de circumactu ſanguinis diſſerit, *adeo fuiſſe hactenus ſterile, ſi modo ſterile ſit dicendum id, quod abortus non paucos, & opinionum peperit monſtra.*

[16] Patholog. Cerebr. Cap. 1. pag. 13.

tiam eruptionis, cauſſam eſſe. Igitur, ut rem exemplis illuſtraret, fontes artificiales, antliaſque hydraulicas, tanquam rei documenta, in medium profert. In his & ſimilibus nos animadvertere, quanto lympha ex ſublimoribus locis derivetur: quanto preſſura in machinis fuerit major; tanto aquam vehementius, & ſublimiter magis ex anguſtis canalibus, proſulturam. Eadem quadrare, putat, in dictam ſanguinis eruptionem, cujus cauſſam eſſe, quia eum cor perprimat. In primis vero preſſuram, quam efficit ſiniſter cordis ventriculus, validiorem eſſe: indidemque calorem corporis naturalem primordia generis ducere. Præterea ſanguinem, accedente aëre in pulmone, dilatari, atque in anguſtiora vaſa propulſum comprimi admodum: adeoque conſequi dictum premendi actum, quem in arteriis anguſtioribus eſſe ingentem. Neque vero oblivioni tradenda eſt cordis fabrica, quam fibrarum diſpoſitione non parum ad contractionem validam conferre: promoveri autem hujuſmodi ſanguinis propulſum, & preſſum ab ipſa arteriarum contractione. [17]

Ergo, inquit CHLORH., ut ex te audio, auctor tuus putat, ſuperiores non animadvertiſſe rationem eruptionis ſanguinis in diſtantiam: eam utpote fieri preſſu contractioneve cordis, ſanguinem propellentis. Contrarium, arbitror, me poſſe nullo negotio facere planum auctoritate Harvæi, [18] Wallæi,

[17] Vide cogit. de inſtaur. Med. Lib. 1 pag. 48. 51. 66. & 69.

[18] Qui ſæpe hujuſmodi ſanguinis eruptionem obſervavit. v. g. in Exercit. Anatom. 1. ad *Riol.* pag. 14. Edit. in. 12. *Et ſi quiſquam viderit, & cogitaverit, quanta difficultate & molimine, compreſſionem, ligaturis apparatuque multiplici cohibetur impetuoſus proſiliens ſanguis, e reſciſſa vel diſrupta minima arteriola, quantis viribus, (veluti ſi ſyphone ejaculetur) omnem apparatum projicit, propellit, aut pertranſit,* &c. Et exercit. 1. pag. 55. ſcribit ſingulis cordis contractio-

læi, [19] Borelli, [20] aliorumque. [21] Verum ne auctor ſim, ut a propoſito divertas, ea propter his ſuperſedeo.

Igitur, ut me, inquit MOTÆUS, in viam recipiam,

tractionibus ſanguinem ejici: *quinimo in arteriotomia, ſi exilem partem orificii laxaveris, ſanguinem ſingulis pulſibus ſubſultu ejaculari.* Pag. 60. dicit, cor ab auricula diſtendi, ultro autem contrahendo priſtinam formam adipiſci: pari modo arterias a corde dilatari, & ultro eas rurſus ſubſidere. Pag 114. & ſeq. perſpicue tradit modum, ut ſanginis circumactus fiat cordis impulſu, ac ita ſanguis in omnes arteriarum fibras didatur, &c. Tandem Harvæus, ut probaret arteriarum diſtentum, & pulſum, fieri a ſolo ſanguinis impulſu, in medium. pag. 121. profert reſciſſam arteriam, in qua nihil dictorum adverti. *Et quemadmodum*, ſcribit, *cum aqua, vi & impulſu ſyphonis, per fiſtulas plumbeas in altum cogitur, ſingulas compreſſiones inſtrumenti, (per multa licet ſtadia diſtent) in ipſo aquæ exeuntis fluxu, ſingulorum ictuum ordinem, principium, incrementum, finem, vehementiam obſervare & diſtinguere poſſumus: ita ex abſciſſæ arteriæ orificio.*

[19] Is in Libr. de motu Chyli, præter motum ſanguinis continuum & celerem, admittit quoque vehementem: & ſanguinem e corde in arterias pelli, dum cor conſtringitur; conſtringi contrahive autem id ipſum, ſi ejus ventriculorum fibræ ſecundum latitudinem undique diſtendantur: abbreviari eas tum juxta longitudinem, & in cauſſa eſſe, ut cavitas ventriculorum reddatur anguſtior; atque adeo ſanguis, inibi contentus, in arterias expellatur. Vide etiam ejus Libellum de motu ſanguinis.

[20] Qui principiis Mechanicorum nixus potentiores, quam antedicti, protulit probationes. Nempe Libr. II. de motu animal. propoſ. XLIX. demonſtrat ventriculorum cordis reſtrictionem fieri non poſſe a vi contractionis fibrarum ejus; neque cordis cavitates ſtringi, quia ventriculorum longitudines decurtentur, ſed quia eorum latera ad ſeſe accedunt. vid. propoſ. L. Pergit prop. LII. probare actionem propriam muſculi cordis eſſe conſtrictionem ventriculorum ejus, & compreſſionem, & expreſſionem ſanguinis in eis contenti inſtar preli factam: minime autem a contorſione fibrarum cordis ſpiralium; ſed ab inflatione, & earundem tenſione. Vide etiam propoſ. LXXI. in qua demonſtrat vim, quam ſanguis in ventriculis cordis contentus ab ejuſdem compreſſione patitur, æqualem eſſe vi, qua idem ſanguis ad inſtar emboli impellit ſanguinem intra arterias. Item propoſ. LXXV. ubi probat cauſſam, ſanguinem extra arterias per earum orificia expellentem, eſſe compreſſionem;

piam, indicabo utilitatem, efficientiamque, quas Cl. *de Moor*, ſanguinis preſſui aſcribit. Motum corporis voluntarium, qui fiat, multos, ait, anxie quæſiviſſe: cum tamen clariſſime demonſtrari poſſit. Scilicet (1) nervos, tanquam chordas, quæ ab influxu ſpirituum animalium tenduntur, eſſe conſiderandos. (2) Innumeras nervorum fibrillas per muſculorum carnem, ſeu tubulos ſanguineos, eſſe diſperſas, eaſdemque caudam vel tendonem conſtituere: (3) ablegationem ſpirituum verſus quoſvis muſculos, a voluntate noſtra pendere, eandemque diſtenſione fibrillarum nervorum, qua ſanguinis motus retardatur, perfici. Hiſce poſitis muſculorum actionem hoc pacto declarat. *Quandoquidem*, inquit, *ſpiritus animales ad voluntatis noſtræ nutum in fibrillas nerveas muſculorum, motui voluntario inſervientium, præcipue circa extremitatem influunt, ubi nerveæ fibræ copioſiores; neceſſario tubuli arterioſi expanduntur, ſanguineæ in progreſſu ſuo impedito: atque adeo muſculus contrahitur, & partem ſibi annexam trahit, qui eſt ipſiſſimus motus voluntarius.* [22] Sin vero ſanguis ordinarium circuitum impetu quodam repetit, muſculum, ſtatuit, rurſus flacceſcere ſeu detumeſcere. [23] Nec etiam heic loci omittenda eſt aëris inſpiratio, quam ſanguinis, dextro cordis ventriculo expulſi, motum vel magis, vel minus impedire: ſanguine interim venæ pulmonis, verſus ſiniſtrum cordis ventriculum

nem, & reſtrictionem arteriarum a vi machinæ, qua contrahuntur fibræ vaſorum & viſcerum. Vide ſupra Dialog. XVIII. pag. 546. & ſeq.

[21] Ut *Bellini*, in tractat. de ſang. miſſion: & *Pitcarnii* in duabus diſſertat. de circuitu ſang. Non modo hi, verum & *Borellus* propoſ. XXXV. XXXVI. & CCI. memorat utilitates, quas hujuſmodi ſanguinis circumactus corpori infert.

[22] Cogitat de inſtaur. Medic. Lib. I. pag. 75.

[23] *Ibidem* Libr. III. pag. 346. vide etiam Libr. I. pag. 78. & 79.

properante, ac eadem vi, qua arteriarum ſiſtitur, verſus cor propulſo. Hunc excipi ſtatim, exceptumque expelli in arteriam magnam; inde ſanguinis preſſum, muſculorum expanſionem, atque vires majores oriri. Imo, quanto obſtaculum, ſanguinis motum progredientem impediens, majus: quanto preſſura a tergo major fuerit; tanto etiam diſtenſionem muſculorum fore majorem. * Mirum dictu, quantopere ipſi hujuſmodi motus muſcularis explanatio placet. Nullam, aſſeverat, ſe hujus gratia habuiſſe hypotheſin: [24] cum tamen tres ante memoratæ poſitiones, ut mihi videtur, hypothetice ponantur. Sed ad alia, ſomnum, exiſtimat, oriri a valido cerebri, ejuſdemque membranarum, preſſu: qua de cauſſa ſenſuum externorum munia, nec non motum voluntarium, ad tempus retardari. Contribuere etiam decubitum aliquid ad ſomnum cuipiam inducendum: quia via ſanguinis, verſus cerebrum ardua, decumbendo redditur facilis, minuſque acclivis; hanc ob cauſſam preſſuram, atque adeo in ſomnum, majorem evenire propenſionem. Calorem, undiquaque excitatum, ſanguinem magis dilatando, eandem preſſuram intendere. Itidem, ſi ſpiritus circa cerebri baſin, nervorumque exortum, parum moveantur, orificia nervulorum facile tunc ab incum-

* *Ibidem* pag. 360.

[24] Vel ut Libr. 1. pag. 76. ſcribit. *Nihil hic ſuppono, non voco in auxilium non probata, non humores contrarios, non efferveſcentias, non pulverem pyrium, aut vim elaſticam fictitiam, non motus exploſivos, vel ſimilia.* Et poſt paulo. *Dico ſimpliciter, a tenſione nervearum fibrillarum ſanguinem arterioſum impediri in ſuo progreſſu, hinc extendi muſculos.* Ite jam *Williſius*, *Borellus*, & vos cæteri, qui per ambages, e principiis, ſeu Chemiæ, ſeu Mechanices, motum muſculorum incredibili meditatione ac ſtudio ſciſcitati eſtis. Celeb. de Moor illum facillime percipit, eum utpote a præpotente ſanguinis preſſura dependere.

(25)

cumbente desuper pondere, & sanguinis arteriarum pressu, comprimi: quibus deinde externorum sensuum & motuum voluntariorum cessatio consequatur, necesse esse. Enimvero, quanto dicta pressura major, tanto etiam somnum profundiorem futurum. In principio somni majorem inspirationem adesse, postmodum exspirationem increbrescere: tum enim particulas subactas, per minima quæque vasa, facilius trajici. Cum vero membranæ & cerebrum, ratione sanguinis minus subacti, deprimi cessent, pressum validiorem postea circuitui aucto ferre suppetias; dum interea particulæ, per cerebrum separandæ, lævigantur, poliuntur, attenuantur. En caussam, quocirca finito somno, tanta adest mentis sensuumque omnium alacritas. [25] Cæterum, sensit, a pressu sanguinis dependere quoque intestinorum, & fibrarum motui destinatarum, motum peristalticum: nec non variorum excrementorum sejunctionem. Exempli gratia proponit renes, e quibus, cadavere exemptis, & in frusta dissectis, facili negotio, carunculas papillares valide premendo, urinam satis copiosam exprimi; sine pressura autem nihil proditurum. Ex hoc apparere, pressum etiam in vivente requiri, ut urina versus pelvim, & ureteres, amandetur. Quemadmodum urinæ, pariliter se habere secretiones omnis generis humorum, sive in glandulis, sive in aliis quibusvis corporis partibus, peractas. Harum omnium solam

[25] Ibidem pag. 84. 85. 87. 365. & 366. *Atque hæc sunt*, postea quam plura alia, quorum ob operis prolixitatem non mentionem facio, interseruit, *quæ de somno moderato dicenda habuimus, perspicua, uti opinor, & verissima. Nihil enim assumimus, nisi, quod e vasorum constructione, & phænomenis diligenter expensis clarissime sequi arbitramur.* Vide etiam ejus Patholog. cerebr. Cap. VII. pag. 423. An dicta autem adeo perspicua, ut Cl. auctor sibi persuadet, me doctiores judicabunt.

ſolam validamque ſanguinis arteriarum preſſuram eſſe unicum auctorem. Quæ cum ita ſint, ratum habet, doctrinam hujuſmodi oportere nimis inculcari. [26] Quid? quod in libro, in quo morbos capitis omni cogitatione pertractat, preſſum ſanguinis ſeu intenſum ſeu imminutum potiſſimorum morborum cauſſam ſtatuit, v. g. comatis vigilis cauſſam dicit, eſſe nimium ſanguinis preſſum, cum ejuſdem particularum motu inteſtino rapido, & febrili vaſorum diſtenſione, per meninges & cerebrum, diſperſorum. Comatis ſomnolenti tres præcipue cauſſas eſſe, repletionem, ſanguinem exteriorem cerebri corticem prementem, & ſpirituum animalium torporem. [27] Et, ut brevis ſim, præter decantatum iſtum ſanguinis preſſum, mihi videtur, nihil novi ab Auctore allatum.

Proin omitte, inquam, cætera: potius trahamus tempus, quod nobis etiamnunc ſupereſt, collocutione rerum, quæ ut novæ, ut inauditæ, plurimis habentur.

Diſſerenda tunc ſunt, inquit SEIPIUS, inter nos dogmata Stahlii, in arte Medica celeberrimi: hæc enim, ut mihi videtur, novitatem olent.

In tempore mones, inquam. Et, quia ſcio, Te non exiguum laborem, in doctrina ejus addiſcenda, impendiſſe: ideo amice rogo, ut nobis decretorum Stahlii copiam facias.

Perplura ſunt, inquit SEIPIUS. Vereor, ne eorum imperfecta fiat a me narratio: pro ea copia tamen, quæ mihi eſt, ut ne tergiverſari contra vos videar, commemorabo, quæ memoria teneo. Sed ad rem. Duo jacuit Theoriæ Medicæ fundamenta, quæ longe omnium firmiſſima, ſenſit: innituntur autem hæc

[26] Ita Part. III. pag. 346. & part I. pag. 92. 96.

[27] Vide Cap. VII. Pathol. Cerebr.

hæc conſideratione corporis, quatenus id mixtum & vivum eſt. [28] In mixtione corporis duo conſiderat, (1) materiam videlicet, ſubtilem terram, pinguedinem, & aquam, e quibus illud coagmentatum: & (2) finem, quem in hoc poſitum, ut corporis conſtitutio, propter movendi ſentiendique actus, quos exerere oportet, ſit flexilis, tenax, minimeque fragilis. [29] Vitam quod attinet, dicit, eſſe conſervationem corporis, ejuſdemque mixtionis ab omni corruptione, cui alias id reſpectu materiæ obnoxium eſt. [30] Corpus humanum autem ſiquis ſecum conſideraverit diligenter, apparere ex hoc, id ad

[28] Diſputat. de fundam. Theor. Med. Cap. 111. & Theor. Medic. pag. 185. 194. & ſeq. diſputat. de vita. Cap. 11.

[29] Theor. Medic. pag. 95. & ſeq.

[30] Ibidem pag. 76. 194. & ſeq. & 561. Diſput. de febr. Therap. Sect. 11. ſcribit. *Vita formaliter nihil aliud eſt, niſi conſervatio corporis, & ſingularum ejus partium, adverſus corruptionem illam mixtionis ſuæ, cui tota materiali ſua conſtitutione abſolute expoſitæ ſunt.* Et in diſput. de vita. Cap. v. *Vita eſt conſervatio mixtionis præcipue corporis a principio, corpori inhabitante, non manifeſto corporeo, per actum etiam in ſe incorporeum, nempe motum in genere, ſecretiones vero & excretiones in ſpecie.* In diſput. de mechaniſm. mot. progr. ſang. §. 17. dicit vitam, ſi generatim conſideretur, eſſe conſervationem mixtionis ad corruptelam maxime pronæ: Speciatim vero, quod ea ſit. *Conſervatio mixtionis, valde corruptibilis ſeu diſſolubilis, ſine ullo materiali concurſu, aut mixtionis ulla alteratione, in ordine ad potentiam corruptionis, ſed tantum ad actum.* Et paulo poſt magis ſingularem tradit deſcriptionem, quæ talis. *Vita eſt conſervatio mixtionis, inter media corruptionis organa; ſine ullo tamen materiali concurſu, aut mixtionis alteratione in potentia corruptionis, a cauſſa ſeu principio, quod corpori intrinſecum exiſtit, proficiſcens.* Vitam conſiſtere *ſubjective* in partibus, quæ præ aliis magis corruptioni obnoxiæ: *objective* vitam verſari circa habitum partium ſumme *corruptibilem*: *inſtrumentalem* vitæ cauſſam, nihil aliud eſſe, quam actum quendam mechanicum, quo tota illa efficacia *conſervativa*, ſimpliciter & directe mechanice abſolvatur. Imo eſſe motum, quo illa heterogenea, quæ ab indole corporis non ſolum aliena ſunt, ſed etiam periculum illi minantur, perpetuis ſucceſſibus, e corpore eliminantur, ut ne corpori adverſarium

effe-

ad nihil aliud aptum, quam ut id animæ, ſicuti inſtrumentum quoddam, inſerviat. Ut autem id juſſa animæ patrare poſſit, neceſſe ipſi eſſe habere omnis generis organa, tam ſolida quam fluida; præſertim vero flexibilia ſint, neceſſe eſſe, ut non modo motus *craſſiores*, ſeu vehementiores: verum etiam quoſcunque ſentiendi actus, perficere valeant. Flexilia vero ea eſſe, quia temperiem mucido-pinguem nacta ſunt: & hanc eſſe cauſſam, quapropter corpus fragilitati & putredini obnoxium ſit, ob mixturam nempe aquæ & pinguedinis, nullum durabile conſortium ſervantium. [31] Quandoquidem nunc dicta organa non ſolum, ſed etiam ipſum ſanguinem ad corruptelam maxime proclivem: ideoque cuncta conſervationem ſui, ſine qua vita degi non poteſt, requirere. [32] Hanc partium conſervationem, in qua

effectum inferre valeant. *Formaliter* vitam eſſe conſervationem corporis ratione mixtionis quidem *corruptibilis*, citra tamen iſtiuſmodi corruptionis *actualem* eventum. *Finaliter* neceſſariam eſſe, ut corruptioni corporis reſiſtat, ut nutritio, &c. actus ad conſervandam vitam neceſſarii, fiant *efficienter per nudum actum mechanicum, in ſe formaliter incorporeum ſeu immaterialem, nempe motum; & quidem ſpecialiſſime, amotionem perpetuam alienorum a bonis atque ſinceris, quo ipſo actu hæc ab iſtis ita expurgata, in propria ſui integritate ita perenniter, conſerventur.* Vide Theor. Medic. pag. 119. 125. 561. 663. item Diſput. de temperam. Cap. v. Et paulo ante citata Diſp. de febr. Therap. dicit ſubjectum vitæ eſſe omnes & ſingulas partes corporis: objectum autem ejus quaſi *materiale*, hanc ipſarum *corruptibilitatem: formale* vero hujus objecti, *corruptibilitatis* hujus *expugnationem*, adeoque corporis adverſus illam *præſervationem*; inſtrumentum huic ſcopo inſerviens *remotius* & *generalius*, motum humorum progreſſivum; *ſpecialiſſimum* vero, ultimas illas hujus motus *productiones*, ſecretiones & excretiones rerum corrumpentium & corruptarum: quarum perpetua ſubtractione, reliqua incorrupta & integra manere. Has deſcriptiones, & diſtinctiones in medium eo attuli, quia Celeb. Stahl. putat, vitalitatem corporis pleriſque e medicis eſſe incognitam.

[31] Theor. Medic. pag. 33. 42. 43. 101. 268. Diſput. de fund. Theor. Med. Cap. 111.

[32] *Ibidem*. pag. 101. 271. 254. & 561.

qua, ut modo memoravi, naturam vitæ poſuit, fieri abſolute motu: quem re vera eſſe rem incorpoream, corpori adjunctam, *generice* ejuſdem indolis habitudiniſque, qualis ipſa anima eſt. [33] Quid? ſingulos corporis actus, generatim conſideratos, nequicquam aliud, quam unum actum, ſeu motum, eſſe. Eadem ratio eſt, ſi ſpeciatim conſiderentur, apparere tunc, omnes, ne ſenſationibus quidem demptis, eſſe motuum ſpecies, vel motus omnifariam directos. [34] In numero actionum, quas vulgo vitales appellant, quia ad corporis conſervationem adminiculantur, ponit duplicis generis actus vel motus: altero ea, quæ corpori adverſaria ſunt, removeri: altero ea, quæ quoquo pacto fuere abacta, vel rejecta, iſtis partibus admoveri. Hujus generis eſt nutritio, quam nequicquam aliud eſſe, quam corpuſculorum recentium, Lymphæ ſcilicet, in locum eorum, quæ deceſſerunt, applicationem, admotionem, receptionem. [35] Illius generis ſunt ſecretio & excretio, quas etiam vitæ inſtrumenta appellat: quoniam harum ope omne, quicquid corpori quoquo modo noxiam inferre

[33] Ibidem. pag. 569.

[34] Vide. pag. 43. 119. & 561.

[35] Vide. Theoriæ Medicæ veræ. pag. 564. 563. 474. & 484. dicit *aſſimilationem nutritoriam* nihil aliud eſſe, niſi corpuſculorum, cujuſlibet partis conſiſtentiæ convenientium, e lymphæ liquamine, a reliquis diverſæ indolis, ſemotionem (dum illa locum ubi appoſitio fieri debet, præterlabitur) particularum harum ad loca, in quæ imponi, ibique in poſterum immanere debent, admotionem, ſeu per motum immiſſionem, atque ita collocationem: ſed hoc ipſum abſolute, numero ſimpliciter conveniente; non quantum materiæ occurrit, ſed quantum ejus de die in diem, imo de anno in annum, per totos ætatum circuitus, in proportione perpetua, apponi congruit. In primis vero negotium nutritionis inſervire, ut partes ſolidæ decentem nanciſcantut formaturam: deinde ut ſanguis, perpetuis in dies agitationibus fatiſcens, reſtauretur. Diſp. de fundam. Theor. Med. Cap. III.

ferre poteſt, non modo e partibus, quibus inhæret, ſed ex univerſo corpore, emovetur. [36] Licet pleraque, quæ e corpore excernuntur vel educuntur, ſecretionis beneficio fiant: ſecernuntur tamen quædam, ut Lympha, ſaliva, &c. quibus ad corpus, pro inſerviendis variis commodis, opus eſt, ut intrinſecus apud ſe, corpus puta, maneant. [37] Et, quantum ad negotium ſecretionum & excretionum attinet, putat, id potius in materiæ movendæ proportione, quam in ulla organorum neceſſitate, conſiſtere. [38] Hac ratione ductus, nauci habet opinionum commenta, quæ quibuſdam Mechanicis ſunt de mira incredibilique, tam ſecernentis vaſis, quam ſecernendæ partis, forma, figura, conſtructioneque. His certiorem eſſe efficaciam meatuum, ſola magnitudine differentium, quorum alios tenuiora, alios ſpiſſiora tantum, ſecernere; & id colando quaſi per omnis generis vaſa perfici, ſimpliciſſima utpote Mechanicæ proportione; dum organa, ſecretioni deſtinata, id ex humoribus ſpiſſioribus, ſe pertranſeuntibus, retinent, quod tenue, quodque cum forma ſua maxime congruit. [39] Ideo autem tale vitæ conſervandæ ergo eſſe removendum, quia, propter tenuitatem agilitatemque nimiam, periculum aliquod corpori minatur. Proinde particulas acres *ſalino-ſulphureas*, ac tenues, ſecerni in renibus, ac amandari ad veſicam: item in hepate ſeparari, tranſmittique veſicæ bilis: nec non per poros cutis, atque inde immediate extra corpus pelli: ſubtiles, *aquoſo-vaporoſas*, *halituoſas*, *ſpumidas*, maxime per ipſam cutem forma ſudoris, udoris, halitus, vaporis, ſejungi; *mucido-*

[36] Diſput. de febr. Therap. in Gen. Sect. 11.
[37] Theor. Medic. pag. 444.
[38] *Ibidem.* pag. 571.
[39] *Ibidem.* pag. 327. & 123. & Diſput. de Autoer. Cap. 1.

tido-viſcidas, lentas tenueſque per inteſtina cum excrementis alvi, per *mucoſitatem* narium, oris, & paulo *inordinatius* per fauces, & ipſos pulmones, per tuſſim, &c. excerni. [40] Enumeratas actiones nunc, quomodocunque fuerint, peragi præcipue partium ſolidarum motu, quem duplicis generis eſſe: alterum intrinſecus ordiri, & terminare forinſecus, quaquaverſum, æqualiter, & generaliter pulſu cordis, & quadantenus reſpiratione: alterum a foris introrſum, quaquaverſum, ſingulariter, & inæquabiliter motu partium *tonico*, perfici: cujus ope partes modo relaxari, ut plus humorum, pulſu appulſorum, in ipſas penetret; modo conſtringi, ut poſtea inordinate impulſa, inde exprimatur, ac retrorſum in vaſa compellatur. [41] Non modo in ſolidis, ſed etiam influidis, ut ſanguine, lympha & ſero, † eſſe motum quendam, quem communiter, circumeuntem, progredientem, vel *progreſſivum*, vocant. [42] Præſertim vero ſanguinis motum progredientem fieri duplici impulſu, altero inteſtino, cordis videlicet contractione: altero externo, diſtentu utpote partium ſolidarum mollium, [43] præcipue vero muſculorum. Hos autem diſtentos eſſe confici duabus rationibus, (1) e muſculo tranſverſim diſſecto, cujus labia, vel fibras de ſe mutuo diſcedere illico, reſilireque, quod non fieri poſſe, infit, niſi fibræ ejus eſſent extenſæ, (2) ex humero, femore, &c. luxatis, ad quæ reponenda ideo valida diſtenſione opus eſt,

[40] *Ibidem.* pag. 124. & Diſput. de Autocrat. natur. Cap. 1. & diſp. de fundam. Theor. Med. Cap. III. diſp. de Temper. Phyſ. &c. Cap. VIII.

[41] Diſput. de Autocr. natur. in Procem.

† Diſp. de temper Phyſiol. Phyſ. Cap. VIII.

[42] Diſput. de Natur. erroribus. Sect. 1.

[43] Poſit. de Mechaniſm. motus ſang. §. 2.

quoniam muſculi, oſſe e loco excidente, non adeo longitudinem juxta expaſſi, ut alias ſolent, ſed retrahendo fibras breviores facti. [44] De cætero, ſanguinem, qui pulſu ad partes per arterias propellitur, non tranſire immediate ab arteriis capillaceis ad venas capillaceas, ratione fictæ alicujus *anaſtomoſis*: † Sed ex arteriis exiliſſimis in *poroſam* partium ſubſtantiam exprimi; ex hac vero rurſus in venas, interveniente partium ſolidarum molliorum diſtenſione, imprimi. Enimvero hujuſmodi partium diſtentum, quem nomine motus *tonici* nuncupat, moderari ſanguinis poroſas per partes progreſſui, ut is, aut copioſe admittatur, aut minus; & id quidem non generaliter modo, verum etiam ſingulariter: dum quævis corporis particula ſubinde, facta ejus aut contractione, aut laxitate, plus vel minus ſanguinis expellit vel admittit; [45] adeoque omnimodam humorum ſecretionem efficit, quam, juxta dictam partis diſtenſionem, multimodis conſtitutam, ſubito aut tarde, copioſe aut parce, perfici. Namque a tono partium remiſſo copioſe ſanguinem in poros exteriorum partium admitti: ab adſtricto autem abundanter ad interiora reprimi. [46] Hujuſmodi mollium mobiliumque corporis partium motu *tonico* menſtruale fœminarum profluvium, non ex ipſo utero, indole ſpiſſa denſa ac dura prædito; ſed ex vaſis, quæ a vena *hæmorrhoidali* in cervicem, atque collum uteri porriguntur, expelli. Ceſſare autem hocce profluvium, quia concipiendi facultas, vel intentio deficit. Concipiendi

[44] Poſit. de æſtu mar. microcoſm. §. 1.

† Theor. medic. ver. pag. 296.

[45] Poſit. de mechaniſm. mot. ſang. §. 3. 5. 8. 9. de æſt. maris microc. §. 1. Theor. Medic. ver. pag. 196. 575. & ſeq.

[46] Vide poſ. de æſt. mar. microc. §. 2. 3. de Mechan. mot. ſang. §. 10. & Theor. Med. pag. 217.

† Theor.

cipiendi actum vero desinere, quoniam proprii corporis struendi ulterior vegeta intentio & virtus cessant. † Cætera tonum istiusmodi diversimode variari non modo sensibilium, ut caloris, frigoris, siccitatis, &c. ratione; verum etiam ratione pathematum animi, unde ejus nimiam laxitatem aut distensionem; &, quæ consequuntur, nimiam aut modicam secernendorum secretionem, & excretionem, exoriri. [47] Præterea differentiam ponit in *tonico*, spastico, & *convulsivo* motu, hosque differre inter se specie. Illum esse secundum naturam, & partibus solidis, exceptis cartilagineis & osseis, familiarem, lenem, *successivum*, & a nemine hactenus observatum. Istum esse motus tonici repentinam *exacerbationem*, *contractoriam*, singularem, in quibusdam musculis exortam. Hunc tandem esse motus *tonici* completi, nempe *contractorii* & *relaxatorii exacerbationem*, in musculis factam. Ex dictis apparet, spasmum & *convulsionem* esse præter naturam, & motus *tonici*, qui naturæ congruens est, excandescentias. [48]

Sed liceat interfari, inquam, cujus utilitatis ergo sentit Cl. Stahl. circumactum sanguinis fieri.

Tum SEIPIUS. Varias in medium profert, inquit, (1) sanguinem hoc violento per dictas partes perenni pressu, attenuari, ac in fluore contineri; quod si non debite perprimatur, eundem tunc facili negotio lentorem nanciscì. (2) Hoc actu partes, nutricatui destinatas, ubi iis opus est, impelli: (3) secretiones humorum utibilium, & inutilium excretiones, fieri: (4) sanguinem quo vehementius per partes, & majori nisu exprimatur, eo magis incalescere: in primis vero sanguinem nusquam magis,

† Theor. medic. pag. 391. & 355.

[47] Posit. de æst. maris mi- crocosm. §. 4. & 5.

[48] Disp. de Mechanism. mot. sang. §. 11.

† Theor,

quam dum pulmones pertranſit, ab actu reſpirandi, calefieri, citra opem alicujus ætheris ſe iſtic loci ſibi admiſcentis: ingredi autem ſanguinem pulmonum vaſa, quando aërem inſpiramus. † (5) Sanguinem ob jugem iſtiuſmodi motionem mutari, attenuari, reſolvique in materiam, inutilem ac nocivam, ſerum dictam. Hoc ſerum maxima ex parte conſtare aqua, cui paucas, agillimas tamen, admixtas eſſe particulas *orgaſticas*, *halituoſas*, fermenteſcentes, ſalinas, *mucilaginoſas* & oleaginas. [49] Sin vero dictus ſanguinis circuitus præpoſtere, vel perperam procedat, tunc non modo ſecretiones & excretiones, præcipuas vitalitatis conſervatrices, male ſe habere; verum etiam ipſum ſanguinem, ob tarditatem circumactus, coagulari, deinde perfacile putreſcere: & ſic omnimodam corruptionem contrahere. [50] Quomodocunque inde aliquis affectus in corpore obortus fuerit, motus tunc, qui ei ſuccedit, non fieri a materiæ perverſitate, ſed propter illam vel eliminandam, vel ad ſtatum naturæ conformem redigendam. [51]

Hoc loco CHLORHAGC. Tu etiam atque etiam, inquit, memoras motum. Quid cauſſæ eſt, ut non commemores ſpiritus, qui pleriſque medicis, ut non neſcii eſtis, tanquam auctores cunctarum motionum, quæ in corpore fiunt, habentur.

Ad hæc SEIPIUS. In quantum ego, inquit, in lectione Scriptorum, a Celeb. Stahlio editorum, profeci, videtur mihi virum laudatum hærere in doctrina ſpirituum. Quid? quod ſenſit, motus quoſlibet cor-

† Theor. medic. pag. 407. & ſeq.

[49] Theor. medic. 149. 286. 288. 217. 284. 291. Poſit. de mechaniſm. mot. &c. §. 12. 13. 14. 19. de æſt. mar. microcoſm. §. 1.

[50] Theor. medic. ver. pag. 271. 609. 631. 1286. Poſit. de mechaniſm. &c. §. 16. & ſeq.

[51] Ibidem pag. 208.

† *Ibi-*

corporis vitales re vera ab ipſa anima adminiſtrari. Corpus vero propter animam rationalem ſubſiſtere: quia id nemini, niſi dictæ animæ ſolum, aliquod commodum afferre poteſt. Ideoque animam rationalem non modo re ipſa tali corpori ineſſe; verum per iſtud agere, ſentiendo: in iſtud vero agere, motus *locales* producendo. Et, quod ad animæ naturam ſpectat, monumentis prodidit, eam *generaliſſime* eſſe aliquid activum: generaliter, aliquid movens, & *ſpecialiſſime* aliquid intelligens. Ad ſummam, acceptos actus vitales ratiocinandi, ſentiendi (quem potius *active*, quam *paſſive* contingere †) & actum e loco movendi, animæ cogitanti & rationali corpus referat tantum, neceſſe eſſe. [52] Eam ipſam enim omnium, quæ in corpore fiunt, rectricem eſſe, peragereque ſingula, ſolo motu ſecundum incorporeas circumſtantias: nempe ſecundum gradum, tempus, loci directionem, organique electionem: &, ut ſtrictim ſententiam ſuam dicat, juxta proportionem reciprocam inſtrumentorum ad obtinendum certum effectum, exquiſitiſſime adminiſtratam. * Verum tamen, utut dicta fuerint, animam, ſtatuit, ſe ſubinde ad corporis temperamentum accommodare. Temperamentum vero, eſſe legitimam partium corporis ſolidarum, & fluidarum inter ſe mutuam proportionem, qua utrarumque debitus motus, purgatio & conſervatio per ſecretiones & excretiones in fluidis; & debita flexilitas in ſolidis conſervatur. Differentiam quatuor temperamentorum non ſitam in diverſitate mixtionis ſanguinis: quippe is qua quantitate qua qualitate in ſingulis plerumque uniuſmodi eſt;

† *Ibidem* pag. 524. 533. & ſeq.

[52] *Ibidem* pag. 567. 153. 491. 35. 32. & diſput. de Autocrat. in præf. & diſput. de abort. &c. p. 18.

* Diſputat. de fundam. Theor. Medic. pag. 27.

ſed differentiam eorum conſiſtere in hoc, ut partes ſolidæ reſpectu humorum majoribus aut minoribus poris ſint refertæ, atque adeo adeptæ aut laxitatem, aut denſitatem. Hinc evenire, ut in temperamento, ſeu ſanguineo, ſeu pituitoſo, non tanta humorum quantitas in vaſis, dum partes ſolidæ, ut dixi, ob meatuum magnitudinem notabili portione refertæ, reperiatur, quanta alias in bilioſo, &c.: ubi apud partes, ob meatuum anguſtiam, humores in copia diverti neſciunt. [53] Qualiſcunque nunc corporis conditio fuerit, animam illum typum, quem primæ ac jugiter peragendæ vitalium actionum principi, motui humorum videlicet per meatus certæ proportionis, abhibet, ſervare: eidemque parere conſueſcere in tantum, ut illum pleriſque omnibus actionibus quoque adhibeat; inde huic motuum typo reſpondere etiam morum, ſeu intentionis, ac proportionis omnium actionum, typum. [54]

Tu abſtruſas, inquit CHLORH. nobis pandis rationes, quas, reor, Metaphyſico potius, quam Medico, convenire.

Hujuſmodi objectationes, inquit SEIPIUS, prævidebat Celeb. auctor: ideoque adverſus reprehenſores excuſatione utitur. [55]

Miſſam faciamus hanc, inquam. Audiamus potius quædam ex te, ad Pathologiam ſpectantia.

Tum

[53] Diſſert. de temperam. phyſiol. phyſ. &c. Cap. III. & Theor. medic. ver. pag. 227.

[54] Vide Theor. Medic. ver. pag. 308. & ſeq. item pag. 656. ſi plura, quæ ad naturam animæ ſpectant, deſiderantur: habentur hæc diſſert. de febr. pathol. in genere. §. 1.

[55] Hujus gratia vide diſput. de febr. patholog. in genere pag. 11. & 12. ubi inter alia hæc habet. „Qui didicerunt, quid ſit propter finem agere, & ſciunt, „quod neceſſe ſit, qui vult finem, „velle media: in noſtro vero negotio corporeo, non uti timetur „metaphyſico, intelligunt abſolutam, & phyſicam: pro ipſa „etiam anima inquam, phyſicam, non

Tum SEIP. Hominem equidem, inquit, ipſis brutis animalibus crebrius ægrotare, cuique noſtrum eſt notum, ſcribit Cel. Stahlius: accidere autem id non ratione mixtionis *materialis*, nedum peculiaris membraturæ, verum ratione animæ, cujus perturbationes non ſolum vitales motus protinus alterare; ſed etiam illorum ordinem, atque legitimum progreſſum, & decurſum, juxta novas ideas immutare, efficereque, ut perplura inſolita periculoſaque morborum genera exoriantur, quibus beſtiæ potiſſime immunes ſunt. [56] Dictis addatis perverſos animi mores, errores, &c. in victu, &c. quos ſingulos aptos ad omnis generis corporis affectus producendos, ac ejus conſtitutionem omnifariam perturbandam. [57] De cætero mirum eſſe, ait, quod homo, etiamſi ejus corpus ratione omnimodæ materiæ, invicem mixtæ, corruptioni ſeu putredini promptiſſime obnoxium; tamen infrequentibus ac paucis morbis corripiatur. [58] Et, quod inſuper conſideratione dignum eſt, quod rariſ-

„ non metaphyſicam, illius finis „ neceſſitatem; & quidem non qua „ finis metaphyſici, ſed conſerva- „ tionis corporis pro uſu animæ. „ Illis non opus eſt reſponſionem „ hic ſuppeditare, & ita operoſe „ inculcare, quod in periculo œco- „ nomiæ humanæ capitali, & ne- „ ceſſitate hujus generis agendi, „ non contra Logicam, aut Meta- „ phyſicam; ſed contra λόγον ſit, „ libertatem agere volendi ab illo „ agente expectare, eo ipſo, quia „ rationale eſt. Plura non modo in hac diſputatione, ſed paſſim in ſcriptis editis occurrunt.

[56] Vide Diſp. de freq. morb. præ brutis. §. 27, 28. & 64.

[57] Theor. Medic. ver. pag. 227.

[58] Ibidem. pag. 71. 194. 222. 562. 612. Diſput. de fundam. Theor Medicin. Cap. IV. & diſput. de infrequentia morb. perſonal. § 1. 2. & 6. Cæterum, ut planum fiat, quid auctor hoc paradoxo ſignificare conatur, tradam quæ habet diſp. de fundam, &c. loco citato. *Quamvis etiam corpus humanum, ſed in diverſis individuis ingenti numero læſionum, e potentia in actum deductarum, diverſis temporibus & locis infeſtetur; quod nihilominus illæ corruptiones, quibus corpus materialiter directe ſimpliciſſime expoſitum eſt, adeo*

in

ſime corpori humano tales ægritudines obtingant, quæ ab externis, & quidem violentioribus, cauſſis, producuntur. Etenim morbos pleroſque omnes, ſtatuit, minime reſpectu vitiatæ mixtionis & ſtructuræ læſæ, ſed in primis ratione motus, ſe vitioſe habentis, oboriri. [59] Imo motuum in corpore humano læſionem, inæqualitatem, & perverſitatem magis pollere ad morbos quoſvis progignendos, quam ullam humorum intemperiem. Ex quibus, ita conceſſis, confici, verum *geraliſſimumque* ægritudinis ſubjectum eſſe perturbatam ideam regiminis ipſius œconomiæ animalis. [60] Et, quantum ad ipſius morbi naturam attinet, credit morbum eſſe actum, ab ipſa Natura, materiam pernicioſam expugnandi gratia, ſuſceptum: ideoque ad conſervationem vitæ neceſſarium. [61] Diſtinguendum eſſe in unoquoque affectu *paſſivum* ab activo. Scilicet cujuſmodi damnoſum actionibus propter partium corporis vitium accidat: & quale inſolitum reſpectu conſtitutionis, ſub variis morbidis occaſionibus, circa actiones varias, in primis vitales, eveniat. [62] Porro animadverſione Medici dignum, quod in ſingulares ætates, temperamenta, tempora anni: imo in ſexum fœmininum potius, quam in virilem, ſingulares morbi ingruant. [63]. Sed

in immenſum rariſſime ipſo actu corripiatur, ut ejus rei exemplum, ad incredibilem uſque raritatem raro eveniat. v. g. ſi conſideremus mille homines, quorum quilibet quinquaginta circiter annos vixerit, & tamen nemo illorum unquam vera & nuda putrefactione ſeu ſphacelo laboraverit; veriſſime dicimus, quod ſphacelus in quinquagies mille annis, non obtigerit, &c. & ita de tot myriadibus hominum, & ſecundum illorum intuitum, vix numeralibus myriadibus annorum. item Theoriæ ver. pag. 613.

[59] Diſputat. de infreq. morbor. perſon. §. 3. & 5.

[60] Theor. Medic. ver. 198. 601. & 602.

[61] *Ibidem.* pag. 47. 616. 619. 627. & ſeq.

[62] *Ibidem.* pag. 622. & ſeq.

[63] *Ibidem.* pag. 212. 656. 662. & 600. Diſputat. de morbor. ætat. fundam.

Sed quid de cauſſis morborum, inquam, ſtatuit;

Harum, inquit SEIPIUS, tria genera ſtatuit, ut *Plethoram*, *Cacochymiam*, & *Rheumatiſmum*, vel motum. [64] Multitudinem ſanguinis, etſi laudabilis, ejus liberum progreſſum non modo varie alterare; verum etiam eandem ratione ponderis, & molis, cum capacitate ſpatii, comparatam, ipſi motus actioni plurimum negotii faceſſere: atque id in primis, quia abundantia ſanguinis mox qualitatem lædat, dum ſanguis ob liberum progreſſum deinceps ſpiſſeſcat. [65] Rheumatiſmum eſſe motum humorum ad peculiaria loca tendentem. [66] Ex hiſce generalibus oriri deinde ſingulares morborum cauſſas, ut reſtagnationes, ſtationes, corruptiones: & motus, ad hæc omnia partim præoccupanda partim expugnanda apti, defectum. † Quid? quod ſenſit, plures morbos ratione motus, quam ratione corruptelæ mixtionis, & ſtructuræ partium, hominem corripere. ‡ Et hæc eſt cauſſa, quare complurium admodum motus ſpecierum paſſim in ſcriptis, hactenus in lucem editis, mentionem facit. * Præter dictas admittit etiam cauſſas, a

[64] Theor. Med. ver. 815. 973. & 673.

[65] *Ibidem.* pag. 638. 644. & 646.

[66] Vel Rheumatiſmum eſſe ſanguinis congeſtionem, qua ille ad propria corporis loca aſtringitur ita, ut ibidem ſtagnans omnigenas ſenſationes moleſtas proferat: præſertim vero oboriri tenſionem, gravitatem, preſſionem: poſtmodum ſub qualicunque *repreſſione*, ſeu *contentione* motus corporis, aut fortioris attactus, ſenſum acutiorem talem, qualem a contuſione plerumque perſentimus; quin etiam materialem diſtenſionem, mobilem calorem, quodam modo *inflammatorium*, & ardorem velut acrem. *Ibidem.* pag. 819.

† Ibidem. pag. 673.

‡ Vid. Diſput. de infreq. morb. perſonal. §. 5.

* Ut Diſput. de Autocratia. Naturæ. Cap. 111. memorat motum active *congeſtorium*, *eluctatorium* ad excretionem & expreſſionem ſpectantem, commemorat motus *arthriticos*, *hemicranicos*, *hypochondriacos*, *iſchiadicos*, *varicodes*, *eriſypelatodes*, *poda-*

Medicis non naturales appellatas, & violentas, & ſimiles a foris in corpus ingruentes, partium quarumlibet ruptionem, & texturam lædentes. [67] His adde habitudines corporis, ut conſuetudines, & affectus hæreditarios. Conſuetudinem, dicit eſſe habilitatem, vel celeritatem ſingularem, ad varias actiones tam ſuſcipiendas, quam decenter exercendas. Si quid huic contrarium in corpore contingat, id aptum tunc eſſe alicujus morbi productioni. [68] Quomodocunque nunc materia aliqua, præter ordinem naturæ, in qualibet corporis parte fuerit collecta, requiri tunc ad eam in ordinem redigendam, vel foras e corpore eliminandam, motus extraordinarios vitales, genere quidem eoſdem, ſed ratione proportionis, gradus, ordinis, ſucceſſus atque methodi, intentiores, ad materiam nocivam ſecretione, & excretione expellendam. [69] Cæterum, quoniam ſanguinis multitudo omnis generis mala corpori minitatur: ideo naturam moliri eam, ſecundum variam ſexus & ætatis differentiam, per hæmorrhagiam, diverſis in corporis locis, per vaſorum utpote extremitates, peragendam, imminuere; cui autem peculiariter auxiliari motus *tonicos* adauctos, quibus ſanguis in hunc vel illum corporis locum ita conſtringitur, donec tandem, facta vaſorum & orificiorum extremorum diſtenſione, in modum expreſſionis prorumpat. [70] Collectiones autem progigni, quando major ſanguinis

podagricos. Et in Diſput. de motu ſang. hæmorrhoidal. Cap. VIII. memorat motus *cardialgicos*, *ſuffocativos*, *flatulentos*, *colicos*, *alvi adſtrictorios*, ac *rigidos*. Cap. IX. habet motus *ſpaſmodicos* tam *preſſorios*, completos, quam *vibratorios*, *tractorios*, *palpitorios*, *incompletos*.

[67] *Ibidem*. pag. 597. & ſeq.

[68] Vide. pag. 452. & ſeq. nec non pag. 594. & 652. vide etiam Diſput. de conſuetud. efficac.

[69] *Ibidem*. pag. 646. & ſeq.

[70] *Ibidem*. pag. 631. 693. 694. & 703.

nis portio per motum tonicum in peculiaria corporis loca impellitur, ſalvo tamen progreſſu Maſſæ ſanguinis in genere: eapropter autem fieri, ut, quod ſuperfluum, quod nocivum, eſt, exoneretur. [71] Inflammationem eſſe intenſum, & verum calorem, naturalem vehementia excedentem, in aliqua corporis parte, cum tumore, rubore, duritie, &c. ob ſanguinis ſtationem, obortum. [72] Quandoquidem vero Celeb. auctor putat, neminem fere examuſſim inflammationis rationem tradidiſſe: [73] eapropter breviter, quoad fieri poteſt, dabo, quid de ea ſenſit. Ab aliqua ſangniuis portione, intra partium poros ſtatione, coagulata, ſtatuit, nil, niſi corruptionem ejus putridam, expectandum. Licet hac præſente ſanguis coagulatus rurſus ita diſſolvatur, ut mollior ac fluidior, quam ante hac erat, evadat: interea tamen eundem non adeo fluidum reddi, ut ita per ſe iterum ex illa ſtatione decedere valeat. Et quamvis putredinis particeps ſanguis, adeo fluidus fieret, ut reliquis humoribus apte immiſceri poſſit: expedit tamen id non fieri; quia partem ſinceram ex facili

[71] Ibidem. pag. 800. & 805.

[72] Ibidem. pag. 830.

[73] Vel hoc pacto doctrinam verbis extollit. *Interim, cum ego non ſine gravibus mei incommodis & faſtidiis, abunde expertus ſim, & publica experientia univerſalis hoc monſtret (provoco enim ut e claſſicis dogmatibus, uſquam receptis, aut approbatis, monſtretur, ubi hoc, quod agito, jam declaratum habeatur) quod præ in condita illa, & ad ſcientiam ſimpliciter inani, mechanica corpuſculari, vera Phyſico-Chymica materiarum, & vera Mechanica, ſeu machinalis, motuum (inſtrumentalis etiam) ratio, omnem cogitationem, nedum conceptum de his rebus diſſuaſerit, atque præcipuerit: quod me cum bona lectoris ſolertis venia facturum eſſe confido, ſiſtam etiam veram Phyſico-Mechanicam inflammationis rationem: tum quatenus adhuc iterum diſcuſſionem aſſequitur, tum ſuppurationem producit.* Ibidem. pag. 840. & ſeq. unde reliqua, quorum ſupra mentionem feci, excerpſi.

facili ſimile labe inficeret. Medici igitur eſſe ſubvenire ſanguini ſubſiſtenti, ne cujuſquemodicunque corruptelam contrahat. Fieri autem id non melius poſſe, quam per ſolitos motus vitales, i. e. ſanguinis per partem læſam perenni progreſſu: moveri tunc ſanguinem non ſolum e vicinia dictæ partis, ſed ſubinde ex ambitu corporis, reſtringendo quaſi, ad locum affectum; ac paulatim in moleculas ſanguineas, etiamnunc in meatibus corporis ſubſiſtentes, penetrare. Id autem accidere vix poſſe, quin inſimul dicta pars magis ac magis expandatur, inflctur, intumeſcat, &, ob copiam intromiſſi ſanguinis, rubeſcat. Calorem vero iſtic loci increbreſcere, quia ſanguis, propter vegetiorem *tonica* directione appulſum, & rigidiorem partis iſtius diſtenſionem, hæc loca tranſit: atque ad eorum fibras, & ad moleculas ſanguinis coagulati ſolideſcentes, allidit, impingitque; quinimo, ſi modo materia ſubſiſtens non nimis denſa fuerit, ab adaucto ſanguins motu, nonnullas illius particulas inſimul abradi, hinc illam mole diminui. Sin vero moleculæ adeo craſſæ, ut excedere e loco neſciant, contingere tum, ut interiorem ſuæ mixtionis diſſolutionem ſenſim ſubeant. Quandoquidem autem rei mixtæ partes tenuiſſimæ, & ad motionem maxime proclives, ut ſulphureæ, primum commoventur: fieri inde, ut, illis abactis diſſipatiſve, quod reliquum eſt, veram putredinem, non in reſolutione ſimplici, ſed in nova ſubtiliorique partium conjunctione poſitam, ſuſcipiat. Fugatis tali modo ſubtilioribus, ſulphureis utpote particulis, ruboris ſanguinis auctoribus: accidere tunc, ut id, quod ſupereſt, amiſſo coloris principio, album tantummodo appareat; eſſeque idem, quod puris nomine cognitum eſt. Hoc putrori inſuper vix aptum, ſed potius ad ſalſam indolem, exulcerationis auctorem,

pro-

proclive. Verum enimvero ſicubi talis motus progrediens, abſtergens, auferens, haud miniſtretur, produci tunc ſphacelum, vel ipſam putredinem: quam non modo ſanguinem, iſtic loci commorantem, verum etiam portionem partis ſolidæ, corrumpere: imo partes huic conterminas, *fermentali* agilitate, ulterius corripere, ſicque ſenſim ſenſimque mirum in modum evagari. [74]

Memini me audire, inquam, Cl. Stahlium interpolaſſe doctrinam de febribus: ediſſere nobis, velim, quid novi in medium protulerit.

Tum SEIPIUS. Licet Stahlio de doctrina febrium quadantenus cum Campanella, febrem rem utilem pronunciante, cumque Helmontio, & Sydenhamo, febrem tanquam opus Naturæ habentibus, conveniat: verumtamen ille perplura dubia, ab his tradita, perſpicuis illuſtravit. [75] Verum ad propoſitum. Febrem, ſtatuit auctor, eſſe actum, per ſecretiones & excretiones materiæ nocivæ, ad conſervationem corporis tendentem. [76] Principem febrium cauſſam, quam efficientem vocant, eſſe naturam humanam, vel animam, conſervationi corporis organici intentam. Materiam, cujus gratia motus

[74] Vide etiam Diſput. de inflamm. ver. pathol. Cap. III. Ibidem Cap. IV. tradit differentiam Gangrænæ & Sphaceli, ſentiens, illam eſſe ſummum gradum inflammationis jam defecturæ, & in puram putredinem, ſuppuratione non impetranda, ruituræ; hunc vero eſſe ſimplicem putrefactionem ſanguinis coagulati, una cum parte, cui is fuerit impactus. Quo magis purus & copioſus ſanguis ſtationis iſtius cauſſa fuerit, eo pejorem & acriorem putredinis fœtorem futurum: & quo plus ſeri ſalſi illi intercurrerit, eo tardius proceſſuram putredinem, & in ſalſam, ſeu in canceronoma degeneraturam.

[75] Theoriæ Medic. ver. pag. 209.

[76] Diſput. de febr. Patholog. in gen. pag. 23. Et pag. 40. ſcribit. *Febris non ſolum & abſolute eſt commotio, effrenis videlicet atque indeterminata: ſed ad effectus convenientes, ſecretiones & ex-*

tus febriles ſuſcipiuntur, eſſe rem aliquam corpoream, aptam ad corruptionem putridam, ſi non præcipuis, quibuſdam ſaltem corporis, partibus, inferendam. Materiam ejuſmodi conſtituere concreta ſalino-ſulphurea, terreæ plus minus ſubtili ſubſtantiæ, implicata: quorum temperiem non taliter, ut mineralium, ſed ut plantarum, ut animalium, comparatam, quæ notabilem aquæ portionem ſibi habere intermixta: hinc, quia tranſlatitiam mixtionem nacta, ea perfacile ab actu putrefaciendi fermentandique jugiter commota, extenuari in ſummam tenueritudinem adeo, ut vel halitus formam ſubire poſſint. Talem materiam nunc, ſi utpote ita, ut dixi, fuerit attenuata, eſſe idoneam, ut per varias ſubtiles ſecretiones e corpore excernatur. Equidem ſupereſſe, ut quibuſdam placet, alium modum materiam febrilem invertendi, ut effectus priſtinos non amplius exerere valeat: verum talem, exceptis pauciſſimis forſitan rebus, perraro ſub ditionem naturæ cadere. Quippe hæc non habet ſolenne, ut phyſicis actionibus formandi aut reformandi mixtiones, (dempta illa, quam corpori, ut organo ſuo, impendit) vacet; ſed potius illa mechanico organico actui, ſtructorum organorum motui perficiendo, invigilat. Efficitur igitur ex dictis, ſecretiones & excretiones, quas præcipue *Diapnoe*, mictu, vel alvi egeſtione contingere, media eſſe reſpectu materiæ, cujus gratia motus febrilis ſuſcipitur. Ut autem memoratæ extraordinariæ, ac operoſæ actiones deinceps fiant, opus eſſe circuitu ſanguinis generaliter aucto intenſoque,

excretiones deducenda. Et Theor. Medic. ver. pag. 925. *Dicitur autem febris, inſigniter, & ſatis conſtanter alteratus motus ſanguinis, & hunc veluti preſſis veſtigiis inſequentia, etiam caloris, frigoris, ſenſationum, augmenta: roboris autem ad voluntarium motum impotentia, ſeu atonia.*

ſoque, & variis directionibus *tonicis*, verſus loca affecta, aut verſus loca, ubi id, quod ſecernendum eſt, colari, vel excerni, decente ac efficace proportione, oportet. Motum febrilem quidem immediate propter materiæ, partibus vitalibus corruptionem penitus inferre aptæ, expulſionem: *mediate* vero propter corporis conſervationem, atque arcendam, quæ ipſi inde imminet, corruptionem & diſtructionem, ſuſcipi. Namque quamlibet febrem tendere ad expurgationem rei alicujus, in intimam ipſius mixtionis corporeæ diſſolutionem, vergentis. Ergo, peracta talis materiæ a moliente Natura expurgatione, febrem habentes, ſponte naturæ, ſine ullo artificiali ſubſidio, convaleſcere: quinimo febrem ſpeciatim conſideratam, nunquam non ad exitum ſalutarem tendere, præterquam ex accidente aliquo ordo ejus perturbetur. Calorem, qui plerumque in febribus adeſt, oriri ab augmento motus verticoſi corpuſculorum ſanguineorum circa ſuum axem: præſertim vero hujuſmodi verticoſam motus calidi intenſionem, adſcribit, rapidiori tranſitui, & affrictui corpuſculorum ſanguinis, ad ſolidas fibras meatuumque parietes; qua de cauſſa tunc illa latici *ſeroſo*, ſicut vehiculo, innatantia, verticoſum iſtiuſmodi motum velociorem nanciſci: quem omnifariam variare, prout ſanguis magis, vel minus celeriter progrediendo ad dictas partes alliſerit. Frigus contrario, ac de calore dixi, modo, ſe habere: efficere autem frigus rigidam atque craſſam partium *poroſarum*, conſtrictionem, in tantum, ut vel oculis compreſſionem, & inanitatem vaſorum, ſanguini vehendo deſtinatorum, conſpicere cuiquam liceat. Quandoquidem febres naturæ congruenter, per memoratas corporis ſecretiones, terminantur: ea de cauſſa hujuſmodi actiones oportet medicum, non ſolum in ægro tolerare;

ſed

ſed etiam obſervare, gubernari, & quoquo modo juvare, ac promovere potius, quam ullo modo negligere, nedum pervertere. Id tamen ab re ægri eſſe, onerare ventrem, quando neceſſarias excretiones fieri, oportet: item abſonum eſſe, tempore imminutionis ſanguinis, a natura inſtitutæ, eundem augere velle; quia impoſſibile, ut tum novus ſanguis perfici queat. [77] Et hæc eſt, in quantum ratione aſſequi potis fuerim, Cl. Stahlii Theoria febrium. Mirum dictu, quantopere hæc ſibi placet, & quam oſtentationem ſcientiæ ſuæ literis ultro citroque prodidit. [78] Sed mitto hanc, indicabo potius quinque præcepta, ad Therapeiam ſpectantia. I. Non movere, ubi nihil eſt movendum. II. Ubi quidem aliquid eſt, quod moveri debet, & tamen id ad movendum etiamnum ineptum, quod tunc id ad motum, & quidem generaliorem, impelli haud debeat. III. Ubi res mobilis, motus vero languidus adeſt, quod tunc nullum concitare oporteat. IV. Omnia tempori, menſuræ & loco convenienter ratione motus, agenda ſunt. V. Inæqualitates motuum aliunde coortas, oportet mitigare, refrenare, & in ordinem inque viam reducere.

[77] Hæc hauſi partim e diſput. de febr. Pathol. in gen. pag. 33. 40. 4. 13. 15. & ſeq. uſque 20. 28. 34. 35 & 37. item e diſput. de febr. tertian. gen. Cap. IV. diſp. de æſtu ſang. pag. 10. partim e Theor. Medic. ver. pag. 209. 927. 933. & 942.

[78] Quamquam Cl. auctor paſſim inventa ſua, quibus Theoriam Medicinæ ditavit, extulerit, ac glorioſius de ſe ipſo prædicarit; tamen non poſſum non heic perſcribere, quæ literis mandavit, pag. 22. diſput. de febr. Pathol. in genere. *Ego ſane*, ſcribit, *Diſputationis præſes, cujus eſt hæc hypotheſis, provoco confidentiſſime ad univerſi orbis practicos, e qua hypotheſi ante, aut extra hancce meam, bona fide, cordate, nedum diſtincte & connexe deduci potuerit, vel ſolum ὅτι, quod in febribus pleræque commotiones ſint activæ, contra materiam corpori noxiam directæ: eidem examuſſim quadrantes: & quidem non ad ejus difficiliorem, plus moræ requirentem, imo interdum impoſſibilem: alte-*

rationem

ducere. [79] Cæterum eos verbis perſtringit, qui complures ſubtilitates, quas vel Anatomia, vel Chemia, vel Mechanica miniſtrat, Medicinæ perverſe immiſcent. Longe alia enim via, quam dictarum artium cultores ſtatuunt, NATURAM procedere. [80] Reprehendit quoque affectatum noſtri ævi plurimorum ſtudium auctores admodum plures citandi, & id quidem ſubſidio complurium lexicorum, vel auxilio librorum indicis tantum. [81] Quin etiam non magni facit ſtudium bibliothecas antiquariorum more perreptandi, abs quo pulverulento labore, nec non ab exſcribendis auctoribus, & collectione locorum communium, ſe ab ephebis, ait, fuiſſe alieniorem. [82]

Chlorhagco quidem animus erat, quædam objectare, quorum dubia ratio, & quæ nimis generaliter

rationem tendentes; ſed ad evacuationem naturarum reſpicientes, &, ſi nihil ex accidenti impediat, pervenientes. Nedum ut ex alia hypotheſi quacunque illi parti τῷ διότι, quibus Mechanicis aptitudinibus hi organici effectus deducantur, vel minima lux affulſiſſet. &c. Vide etiam Theor. Med. pag. 197. 198. & alibi.

[79] Vide Diſputat. de fundam. Theor. Medic. Cap. v.

[80] Vide Theor. Medic. ver. pag. 68. 69. 70. 196. 197. 198. 199. 227. & ſeq. Quin etiam paſſim in diſput. in lucem editis.

[81] *Ibidem.* pag. 238. & ſeq.

[82] Sed e diverſo, aſſerit, ſe unice ipſis rerum *phænomenis*, per ipſam experientiam intentam obſervationem, deprehendendis, & quanta in ipſum caderet, penſitationis ἀκριβεία, e vera *cauſali* habitudine, & mutuo inter ſe nexu, ita æſtimandis, & tandem pernoſcendis, ut inde vera, firma atque immutabilis Theoria conſurgeret, potiſſimum invigilaſſe. *Quam quidem rem*, pergit ſcribendo, *facillime probare poſſum illis ipſis meis ſyſtematicis conceptibus non ſolum, ſed deductionibus, quas juvenis adhuc 24. annorum, non ſolum diſcurſibus publicis, ſed plane ad calamum dictatis, non profecto unquam e libris, ſed ſimpliciter e liberali ingenio, & liberrimo animi conceptu, dogmatibus, & collegiis uti vocant in Jenenſi Academia 1684. 85. 86. ingenuorum, & certe maximam partem egregie eruditorum juvenum non exiguo numero habui.* Ibidem 192. & ſeq.

essent dicta: verum homines, qui etiam hoc prædium amœnum veniebant spectatum, inter quos aliqui noti nos salutantes erant, deterrebant eum, ne interponeret judicium suum.

ORATIO
DE
NEPENTHE.

NOBLISSIMI & AMPLISSIMI, &c.



Elena, Tyndarei ex Leda, procreata filia, [1] Menelai Lacedæmoniorum Regis conjux charissima, fœminarum quondam totius Orbis longe formosissima, Telemacho parentis Ulyssis Fortunam iniquam narratura, vino immiscebat Medicamentum magna prudentia confectum, sibi, cum in Ægypto per quicquam temporis diverteret, a Polydamna, Thonis Ægyptii Regis uxore, datum: quod postmodum ad ebibendum Telemacho cæterisque convivis, non modo

[1] Ita *Hygin.* fab. LXXVIII. Verum *Pausanias* Attic. Cap XXXII. scribit Græcos dicere matrem Helenæ fuisse Nemesin, Ledam vero nutricem: præterea eos perhibere Helenæ patrem, non Tyndarum, sed Jovem, fuisse. *Servius* vero in Æneid. Lib. II. auctor est, de Jove & Leda natos esse Pollucem & Helenam.

[2] Li-

modo exhilarandi animum cauſſa porrigebat; verum etiam, ut ne contriſtarent ſe, ſiquando audiverint Helenam, decenne infortunium, quo vagum atque laborioſum Ulyſſem adverſa Fortuna immiſericorditer jactaverat, recenſentem. Admirabilis profecto, imo captum ſuperat, divina hujus Medicamenti virtus; quam miris laudibus Homerus, omnium ſane poëtarum, quotquot vitam vixerunt, parens & princeps, prædicavit. Medicamento erat nomen Nepenthes, & virtus, ut, ſiquis id ipſum vino mixtum bibiſſet, omnes id dolores omnemque iram tolleret, atque oblivionem protinus malorum induceret omnium: &, licet cujuſdam pater & mater chariſſimi jam noviſſime in rationem Libitinæ veniſſent; vel filius fraterve coram conſanguineis ferro crudeliſſime trucidatus fuiſſet, idque cum horrore neceſſitudine conjunctiſſimi quique aſpexiſſent; tamen iidem nequirent tota iſta die, qua facinus malum acciderit, ullam de genis profundere lachrymam. [2] Tanta huic Pharmaco vis animum lætificandi erat. Tanta

[2] Licet Doctiſſimus *Petitus* Librum, in quo pererudite Nepenthis naturam pertractavit, in lucem ediderit: tamen non dubitavi eandem materiam tractare; quia mihi alia, quam Cl. *Petito*, circa tale Medicamentum, opinio eſt. Argumentum autem noſtræ orationis tradidit *Homerus* Odyſſ. his verbis.

Ibi tum alia excogitavit Helena e Jove nata
Protinus ſane in vinum miſit pharmacum unde bibebant,
Abſque dolore & ira, & malorum oblivionem inducens,
Qui illud deglutierit poſtquam crateri mixtum erit,
Non utique tota die profundere poterit lachrymas a palpebris,
Neque ſi ei mortui fuerint mater paterque:
Neque ſi coram eo fratrem, aut marum filium.
Ferro trucidarent, ipſe vero oculis videret.
Talia Jovis filia habebat pharmaca utilia
Bona, quæ illi Polydamna præbuit Thonis uxor
Ægyptia, quæ plurima producit fertilis terra
Pharmaca plurima quidem ſalubria mixta, multa lethalia.

[3] *Ma-*

dolores ac iram cogitationeſque triſtes auferendi poteſtas, ut nihil ſupra. Hanc nemo non, niſi ſtupente cum animo, conſiderare poteſt, explicareque. Hæc nunc, quomodo ſe cunque habeant, non impedimento tamen mihi erunt, quin experiar paululas ingenii mei vires: numne poſſint aliquid, audientia & obſervantia veſtra non indignum, de hujus ab Homero decantati medicamenti natura indicare. De hac, & tali re, quæ elogio Nepenthis digna, rationibus conquiſitis in utramque partem diſputabo. Vos autem A. D. ſeligetis, quicquid vero ſimillimum vobis probabitur, & condonabitis mihi, ſi me ſine ſermonis lepore, ſine latinitatis puriſſimæ phraſibus, ſine apta & quaſi rotunda verborum conſtructione, ſine tam multis aliis requiſitis, quæ dicendi venuſtatem procreant, auditorumque aures permulcent, audiveritis balbutientem. Quidni impetrem a vobis veniam? Siquidem nemini veſtrum latere puto, me quidem ab ephebis chemicos proceſſus elaborandi: at non atticiſſandi, artem didiciſſe. Nullum itaque meo cordi dubium eſt, quin me in dicendi ſtudio prorſus hoſpitem, ſi qua in parte animadvertatis errores errantem, ſeu leges diſſertationis prætereuntem, excuſatum habeatis: ac menda qualiacunque mea, in dicendo prolata, corrigatis, inque mitiorem partem interpretemini. Haud quaquam provinciam hanc, tenuitatis quippe ingenii ego mihi probe ſum conſcius, ſuſcepiſſem; niſi juſtum, ac æquum eſſet, morem gerere Academiæ legibus, quæ ſervari ſuum ſolenne flagitant. Nempe, ut is, qui in ordinem Profeſſorum recipitur, in quem & ego ab *Ampliſſimis* & *Nobiliſſimis* hujus Academiæ Curatoribus benevolentiſſime inauguratus, recitata Oratione, vel diſſertatione publica, initietur. Sed quo evagor? Revocem me ad iter, quod mihi propoſitum, neceſſe eſt. Ne-

Nepenthis vocabulum, quod tantum ſignificat, ut luctus mœroriſque expers: vel luctum mœroremque abolens, [3] ſatis cognitum quidem; ſed inexploratæ rationis eſt, an id ſignificat Medicamentum ſingulare, & quodnam tali nomenclatura inſignitum ſit: ſive an vox Nepenthis ſit, tanquam allegoria, accipienda duntaxat? Utrumcunque ſuos habet defenſores. Inter eos, qui poſteriorem aſſerunt tuenturque ſententiam, ſcilicet Helenæ medicamentum tanquam allegoriam eſſe accipiendum, eminent complures præclaræ eruditionis viri. In horum numero Athenæum primum habeo, qui narrat Helenam, Jovis gnatam, oratione commercioque ſapientum Ægyptiorum multa edoctam, panacem, efficax revera mœroris auxilium, vino injeciſſe, & de Ulyſſe narrare incepiſſe, obiterque etiam texendi conſuetam aggreſſam fuiſſe operam. [4] Poſt illum in mentem incidit Apollonius Thyanæus, qui Damidi, ſuo ſectatori, abſurdum eſſe, inter viros mœſtos deambulare proferenti, ita alloquitur. Imo vero, inquit, hi cummaxime colloquentibus, & conſolationibus indigent, ſi Homeri carminum meminiſti, qui dicit Helenam Ægyptia medicamenta in cratere miſcuiſſe, ut animæ dolores dilueret. Quod ego, verba ſunt Apollonii, nihil aliud ſignificare puto, quam Helenam, cum ſermones Ægyptios didiciſſet, eos mœſtis hominibus narrare ſolitam fuiſſe: atque eos in cratere ponere, id eſt, ſermones pariter & vinum pro levanda animi ægritudine adhibere. [5] Quin etiam Plutarchus, hiſtoriæ Homericæ literarum ſenſum redarguturus, ita infit.

[3] *Macrobius* Saturnal. Libr. VII. Cap. 1. Latine reddedit delinimentum.

[4] Vide Deipnoſoph. Libr. V.

[5] Hæc apud *Philoſtratum* de vita Apollon. Thyanæi. Libr. VII.

[6] Ita

Sunt qui buglossam, inquit, *vino admiscent, aut solum rigant verbenarum adiantorumque succis imbuta aqua, quod hæc conviviis hilaritatem aliquam, & comitatem parere opinantur. Imitantes Homericam Helenam, quæ vino medicamentum injecerit: neque intelligunt fabulam illam, longo itinere ex Ægypto usque deductam, tandem in sermones decoros & elegantes desinere. Bibentibus enim narrat Helena de Ulysse*

Infractum quantum toleravit mente laborem
Cum se verberibus fœde multasset acerbis, &c.

Hoc enim fuit illud mœrorem abolens medicamentum, omnemque amoliens dolorem, Oratio videlicet præsenti rei & eventibus accommoda. [6] Verum, ut reliquis, ut Macrobio, [7] & aliis, quos adducere possem, supersedeam, videtur mihi ante memoratos scriptores, fuisse Homericæ historiæ contortores: & verbis, clare ac distincte exaratis, citra rationem, allegoricam tribuisse affinxisseque significationem. Quandoquidem de connexione ac serie historiæ, ab Homero conscriptæ, planissime constat, Helenam, postquam calici prius medicamentum injecisset, eidemque postmodum vinum super affundere jussisset, tunc demum verbis mensæ assidentes convivas allocutam fuisse, in modum, veluti Poëta narrare pergit. Hanc sententiam varii quoque ex antiquis scriptoribus amplexi sunt, ut Diodorus Siculus, comprobans Homerus etiam in Ægyptum iter feciſſe, inter alia hæc affert. Quod autem Homerus eo loci pervenerit, cum aliis argumentis, tum pharmaco, ab Helena Tele-

[6] Ita *Plutarchus* Symposiac. Libr. 1. Quæst. 1.

[7] Apud quem Eustachius. Libr. VII. hoc pacto confabulatur. *Nam*, inquit, *si Homeri latentem prudentiam inscruteris altius, dilinimentum illud, quod Helena vino miscuit, non herba fuit, non ex India succus, sed narrandi opportunitas, quæ hospitem mœroris oblitum flexit ad gaudium.*

[8] Bi-

Telemacho apud Menelaum, ad inducendam exantlorum laborum oblivionem, exhibito, Ægyptios probare. Nepenthes enim pharmacum, quod Helenam a Polymneſte, Thonis uxore, acceptum ex Thebis Ægyptiis aſportaſſe, Poëta diligenter exploratum habuiſſe videtur. Nam etiamnunc efficaci hoc remedio mulieres iſtic loci uti. Quinimo apud ſolas Diopolitanas iræ & triſtitiæ medicamentum, ut aſſerunt, inveniri. Thebas autem & Dioſpolim unam & eandem eſſe civitatem. [8] Quin etiam Plinius ejuſdem ſententiæ favet. Et Homerus, inquit, herbas certe Ægyptias a Regis uxore traditas ſuæ Hælenæ plurimas, narrat, ac nobile illud Nepenthes, oblivionem triſtitiæ veniamque afferens, & ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum. [9] Quid? quod ipſe Plutarchus: alio loco [10] verba Homeri juxta literam intellexit: ſcribit enim Homerum, præter medicamenta, quæ extrinſecus applicantur, noviſſe, quæ intrinſecus adhibentur. Hujuſmodi eſſe illud, quod Helena in cratere temperavit, quod omnem dolorem & acerbitatem animi abolendi, & oblivionem omnium malorum inducendi potentiam habere. Ex hiſce adductis exemplis, nec non recitata paulo ante Homeri hiſtoria, nullo negotio unus quiſque concludet, id, quod ab Homero, Nepenthes vocatum, fuiſſe re vera medicamentum quoddam: injuſte autem, ac citra neceſſitatem, quoſdam traduxiſſe hiſtoriam totam, vel partem

[8] Bibliothec. Hiſtor. Lib. 1. Cap. XCVII.

[9] Ita Hiſtor. nat. Lib. XXV. Cap. 2.

[10] Libro de Homero in fine circiter. Et Anonymus, qui vitam Homeri deſcripſit, monumentis quoque prodidit, Homerum noviſſe etiam poculenta remedia, ut cum Helena pharmacum crateri inmiſcet, Nepenthes adimens iram, malaque cuncta tollens.

tem ejus ad allegoriam. Quæ cum ita ſe habent, ſupereſt igitur inveſtigandum, quodnam pharmacum Nepenthis titulo inſigniri poſſit. Incertum hoc eſt; quia Homerus nuſquam dedit exquiſitam medicamenti, tam præclari, deſcriptionem, unde aliquis concludere poſſet, aut hoc, aut illud genuinum eſſe Nepenthes. Priſci itidem Medici, ut & herbarii conſimilis vitii ſunt incuſandi. Memoriæ namque haud prodiderunt, quænam res ejuſmodi Nepenthis nominatione digna ſit. Hoc autem an ignorantia an negligentia factum, non facile dixerim. Contingere quippe poterat, ut ipſius Homeri ſcientiam fugeret Medicamenti forma: cum nihilominus Poëta ejus virtutes, quas forſitan ex relatione aliorum didicerat, accurrate haberet perſpectas. Nemo ideoque, velim, adeo perfrictæ frontis ſit, ut inſimulet Poëtam mendacii: quaſi ad gratiam hiſtoriæ conciliandam modo, tam incredibilem medicamenti facultatem finxiſſet, quoniam id poſteri oblivione propemodum contriverint: & non memoriæ mandarint, cuinam rei peculiariter, iſtiuſmodi laudes, ac dotes admirabiles, quas elegans Poëta cecinit, attribuendæ ſint. Verumenim vero, licet ipſum Nepenthes in lucem veritatis proferre non auſim, atque adeo illud vobis nudum digito monſtrare: tamen non illicitum nobis eſſe, arbitror, a poſteriori, ut ajunt, argumentari, aſſeverareque, huic vel illi, a me jamjam recenſendæ, rei, competere Nepenthis vocabulum. Fuerunt, qui credebant, vinum eſſe verum Helenæ Nepenthes, cujus ſententiæ patronus exſtitit Plinius. [11] Quin gravemini audire auctoris multo eruditiſſimi verba, nullus dubito. Vinum, ait, curas vigoremque animi impedit, ad procinctum tenden-

[11] Hiſtor. nat. Libr. xxxiii. Cap. 1.

dentibus: ſomno vero ac ſecuritatibus jamdudum hoc fuit, quod Homerica illa Helena ante cibum miniſtravit. Sic quoque proverbium ceſſit, Sapientiam vino obumbrari. Galenus itidem Medicorum lumen excellentiſſimum, auctor eſt, [12] vini potum omnem & triſtitiam, & tædium levare. Liceat mea facere, quæ canit Naſo, [13]

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos.
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rariſſime noſtro
Simplicitas artes excutiente Deo.

Et quod Lyricus Poëta de ebrietate habet. [14]

Quid non Ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit addocet artes,
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Vinum profecto, cæteroſque potus inebriantes, admirandæ virtutis eſſe in permutandis hominum moribus, plurimis ſane exemplis poſſem, ſi temporis anguſtiis non excluderer probare. Permittite, quæſo, A. H. veſtram gratiam aucupari, ut modo unicam, non illepidam tamen, vobis ex Athenæo [15] hiſtoriam, dicta quantacunque mea confirmantem, enarrem. Juvenes quidam Agrigentini, poſtquam non modicum meri in ſe ingurgitaſſent, uſque adeo temulenti, & mente alienati erant, ut in triremi ſe navigare crederent, horrenda tempeſtate mari jactata. Tantaque mentis alienatione laborabant, ut omnia domus vaſa, & ſtragula, foras ejicerent, velut

[12] Libr. quod anim. mor. corp. temper. ſeq. Cap. III.
[13] Libr. I. de arte amand. v.
[14] Epiſtolar Lib. I. Epiſt.
[15] Deipnoſoph. Libr. II.

in mare, navis, quam tempeſtas mala affligebat, ut videbatur, exonerandæ cauſſa, juſſuque gubernatoris. Congregatis ad id ſpectaculum multis, ut projectam ſupellectilem diriperent, ne illorum quidem concurſu tanta juvenum ceſſavit inſania. Poſtridie vero profectis ad illas ædes prætoribus, tam attonitum illorum ſtuporem cernentibus, unus ex iis, qui major natu cæteris videbatur. Ego, inquit, viri tritones, meæ conſternatus ſub infimo navis tabulato, quam maxime licuit, abditus jacui. Perenni mentis alienationi cum judices ignoviſſent, objurgatos ac monitos ne poſtea ſe vino ingurgitarent, dimiſſerunt. Illi vero ſe gratiam habituros profeſſi, dixere, ſi portum attingerent, a tempeſtatis periculo liberati: ac ipſis, ſcilicet judicibus, quia ſervaſſent ſe, & tam opportune auſpicatoque ſibi apparuiſſent, in publico cum marinis diis ſtatuam dicaturos. Admiranda Hercule! horum juvenum mentis alienatio, quam, ut a vino fuerit corpori importata, vix mentis acumine explorare poſſumus! Sed quorſus hæc recito? quorſus, nimirum ut planum fiat, vinum quidem animum, mentiſque alienationem inducendi, habere potentiam: verum inde concludatis, nolim, me putare id ipſum, Ægyptium eſſe Nepenthes. Nam dicite ſodes! nonne ex contextu verborum Homeri liquet, illud aliquid diverſum a vino fuiſſe. Siquidem Poëta expreſſe ac diſtincte memorat, Helenam poculo prius pharmacum immiſiſſe; poſtea autem curaſſe, ut eidem poculo vinum infunderetur. Igitur, quoniam vinum iſtud hilaritatis medicamentum non eſt, circumſpiciendum mihi eſt, ut aliam alibi rem, quæ laudatiſſimis Nepenthis viribus dotata ſit, reperire poſſim. Plinius dicti ſui immemor, vinum utpote verum eſſe Nepenthes, alio loco [16] memoriæ prodidit

[16] Hiſtor. nat. Libr. xxi. Cap. xxi.

didit Helenium, quod e lachrymis Helenæ dicitur natum, & ideo in Helena insula laudatissimum, esse famosum istud toties memoratum medicamen. Ælianus etiam auctor est, [17] Polydamnam Ægypti Regis uxorem docuisse, Helenam vires alicujuspiam plantæ, qua se ab ictibus venenatorum animalium præservaret. Hanc deinde posteros per excellentiam vocasse Helenium. Cæterum Plinii distinctum est Dioscoridis Helenio. Etenim Helenium Dioscoridis, & Galeni [18] id ipsum est, quod etiamnunc in pharmacopoliis, nomine Enulæ campanæ, usu venit: at vero Plinii, [19] frutex est, humi se spargens, dodrantalibus ramulis, folio similis serpillo, radice candida & dulci. Præterea putant, scribendo pergit, [20] usu ejus quandam gratiam, veneremque conciliari. Attribuunt hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque, quem habuerit Nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod tristitia omnis aboleatur. Atqui, quia recentioribus, Rei herbareæ callentibus, vix ulla planta, vel frutex, qui ejusmodi forma, vel tam egregiis viribus, ut Plinius tradidit, refertus sit, cognitus est; his de caussis missum Helenium faciam: Indicabo autem numne radix Oenotheros, vel Oenopia istud, quod anxie queritur, doloris remedium sit. Inter veteres industrius rerum naturalium investigator Theophrastus literis prodidit, [21] radicem Oenotheram datam e vino mitiores mores, atque hilariores efficere homines. Habere autem Oenotheram, ait, folium quidem amigdalo

[17] Libr. IX. Cap. XXI. de animalib.

[18] Ille Helenium. Libr. I. Cap. XXVII. hic vero de simplicib. medic. Cap. XCVIII. describit.

[19] Cujus Histor. nat. Libr. XXI. Cap. X. mentionem facit.

[20] Ibidem. Cap. XXI.

[21] Histor. plantar. Libr. IX. Cap. XXI.

dalo ſimile; latiori tamen: florem rubrum, ut roſam, loca adamare montoſa. Id vero abſurdum videri non debere, quod homines hilares reddat: fieri enim quandam quaſi refectionem ex viribus, quas radix iſta vinoſa poſſidet. Plinius, ille inexplebilis ſuo ævo cujuſque artis & ſcientiæ, ut ita dicam, heluo, parilia ferme, ut Theophraſtus, profert. [22] Oenotheram ſive Onurim enim, ſcribit, hilaritatem afferre in vino, amigdalaceo folio, flore roſaceo, fruticoſa longa radice: &, cum ſiccata eſt, vinum olente. Galenus radicis Oenotheræ non meminit, ſed Oenopiæ, quam, ut mihi videtur, eſſe eandem Oenotheram. Habete, quæ de hac Oenopia [23] profert. Radicem quoque Oenopiam, inquit, id vel magis præſtare ajunt, nempe ut potius, quam vinum triſtitim omnem dematia eandemque eſſe hoſpitis Ægyptiæ medicamentum, de quo dicit Poëta.

Infudit vino medicamentum unde bibebat,
Luctum iramque fugans, oblivificumque malorum
Cunctorum.

At enim, quid multa hujus radicis de virtutibus profero? quandoquidem illam non, niſi nomine, noſcamus: quam velim, ut ſecula Barbara nos non illius cognitione privaſſent. Forſitan contingeret, ut, ſi recentiores Botanici eam diſtincte noſſent, Medici hujus ævi præclarum effectum ab ejus uſurpatione ſibi aliiſque polliceri poſſent. Hanc itaque, animique ſuſpenſione non carentem, miſſam facio. Verum, ut me paulatim ad notiora, quam hactenus protuli, recipiam, ipſe diſſerendi ordo poſtulat. Sunt qui credunt, *Daturam*, quæ ſpecies ſolani Indici eſt, Helenæ decantatum eſſe pharmacum. Enimvero varii

auctо-

[22] Hiſtor. natur. Lib. xxvi. Cap. xi.

[23] Libr. quod anim. mor. &c. Cap. iii.

auctores adſignant eidem facultatem inducendi ad tempus omnium rerum oblivionem: enarrantque præterhæc Luſitanorum in India orientali uxores, ſiquando mœchaturæ, marito prius certam *Daturæ* portionem in potione quadam ad ebibendum porrigere. Qua epota maritum, cautis Marpeſiæ inſtar, fieri rigidum, attonitum, ſtupidum, omniumque rerum hoc tempore peractarum plane neſcium; quantumvis plurimum oculis apertis omnia aſpicere præſentibus videatur: imo ſubinde diſtorqueat os cachinno. Interim autem, marito talia perpetiente, mœchum cum mœcha illicitam furtivamque Venerem celebrandi opportunitatem accommodiſſime obſervare. [24] Fides hujus narratiunculæ ſit penes auctores. Verum, utut ſit, non vereor tamen aſſeverare, *Daturam* non eſſe Homericum Nepenthes; ſed potius abominandum pharmacum. Aſſertionis meæ veritatem facili negotio vos veſtra mente capturos, non ambigo, ſi penſiculatius vobiſcum reputaveritis, Telemachum, cæteroſque convivas menſæ Menelai accumbentes, ſenſuum haud quaquam fuiſſe orbos. Quod ſi ſic? Opera me Hercule Helena fuiſſet abuſa, ſibi id negotium dans, ut recenſeret ipſis tam longam, de Ulyſſe, incredibiles errores variamque in itinere fortunam perpeſſo, hiſtoriam. Aliam ergo noſtræ orationi aptam rem pandamus, neceſſe eſt. Medicorum nonnulli arbitrantur Opium: aut medicamentum ſaltem, in quod aliquamtulum Opii ingreditur, eaſdem, pariter ac de Nepenthe audiviſtis, poſſidere virtutes. Fit autem Opium ex papavere, e nigro vult Plinius: [25] ex erratico Galenus. [26] Modus vero præparationis

[24] Vide *Petiti* de Nepenthe part. 1. Cap. XIIX.

[25] Hiſtor. natur. Libr. XX. Cap. XVIII.

[26] De ſimpl. medicam. Cap. CXCVII. & de Meconio vide etiam. Lib. II. de Dinamid.

[27]

nis eodem redit. Nempe papaver, quando incipit capita quodammodo matura proferre turgeſcereque ſucco, matutinis horis cultello vel ungue inciditur: aliqui medietatem ſcapi ſub capite: aliqui id ipſum caput forma aſteriſci præcidunt. Inde liquor lacteus manat, in conchis Solis calori, ut paulatim indureſcat, exponunt. Succum denſatum, inque paſtillos depſitum, in loco umbratico ſiccant. Bonitatis ſigna ſunt, ſi grave & denſum, ſi guſtu amarum, ſi odoratu ſoporiferum, ſi abſque ullo negotio aqua diluitur, ſi candidum, neque aſperum, neque grumoſum: ſi inter colandum non, ut cera, coit. [27] Verum enim hujus generis opium apud nos corvo albo rarius invenitur: verum loco ejus ex Oriente apportatur ſuccus denſus, niger, quem veterum Meconium eſſe non ſine ratione crediderim: atque id ipſo genuino opio ignavius eſſe. Præparatur Meconium cum capitum & foliorum papaveris aqua facta decoctio: vel contritis invicem foliis & ampullis virideſcentis papaveris, ſuccus inde exprimitur; utrumlibet deinde mediocri calore denſatur. [28] Meconium, narrat Bontius, [29] Indos vocare *Pouſt*: &, quandoquidem ii, quibus eſt anguſta res domi, hoc utantur potiſſimum, ditiores idcirco illos ſarcaſmo *Pouſti*: contra pauperes, divites *affionios* appellitare; quia hi *affion*, vel, *amphion*, quod idem, ac ſi latini dixeritis Opium ſincerum, uſurpent frequentiſſime. Cui diuturnitate temporis Ægyptii adeo aſueſcunt, velut Proſper Alpinus auctor eſt, [30] ut ejus vel trium

[27] Et in ſole diffunditur: ſi lucernis admotum, non atra flamma lucet: denique ſi extinctum odoris vim conſervat. Hæc Dioſcorides. Libr. IV. Cap. LX.

[28] Hunc modum tradit *Galenus* loco paulo ante allegato.

[29] Animadv. in Garciam ab Orta. Cap. IV.

[30] Libr. IV. Cap. I. de Medic. Ægypt.

trium drachmarum pondus aliqui devorare auſint. Ab aſſumpto autem *amphion* arbitrari locorum Orientalium incolas, præterea narrare pergit, duarum horarum ſpatio hilareſcere, fierique promptiores ad munera obeunda; maxime vero ad bellum, ad Venerem. [31] Atqui ego mecum modo memoratam reputans, in iſta ſum ſententia, ſyncerum opium, quod e papaveris ſauciati ſtillantibus lachrymis fit, ſi quando juſta proportione aſſumptum, congruere qua qualitate qua quantitate cum pharmaco Helenæ: privatim vero, ſi eidem nonnihil rei, vim ſoporiferam ejus corrigentis, adjunctum fuerit. Nolim iſtud, quod ſeplaſiis opii ſub nomine venit, quodque veterum meconium eſt, hac nominatione dignum eſſe. Nam id illo, e lachrymis originem ducente, vilius eſt virtute, ac potius ſoporem, quam lætitiam affert. Interea tamen non inficias ibo, aliquantum congruere utrumcunque inter ſe. Siquidem Experientia docuit, complures etiam meconio, & id quidem magna quantitate, veſci: præſertim eos, qui hoc frequentiſſime uſi ſunt, citra ullam ſomni invaſionem, vigiles hilareſque ex ejus uſione fieri. Verum tamen, quoniam nobis inolevit natura, ut potioribus exemplis probationem rei incertæ confirmemus: manifeſtum eſt, opium, quod apud noſtrates uſu ſæpiſſime venit, homines potiſſime ſomniculoſos atque inquietos, efficere tranquillos; perraro contra hilares, ac vigiles. Igitur priori, ut ſententiam paulo ante prolatam repetam, laudes Nepenthis, reor, eſſe adſcribendas. Namque, ut ex relatione auctorum, Orientis memorabilia narrantium, comperi, homines iſtic locorum longa annorum ſerie

[31] Hujus gratia vide etiam, Jul. C. Scalig. de ſubtil. exercit. CLXV. §. 1.

rie ſolitos fuiſſe ſyncerum opium, ſingulis ſubinde diebus, uſurpare, non ad morbos, non ad dolores profligandos ſolum; ſed ad animoſitatem, ad hilaritatem, procreandam quoque. Præterhæc, quoniam non aſſuetis exigua primum quantitate propinetur, perſuaſum mihi habeo, id de virtute convenire cum Nepenthe Homerico. Etenim vero quadantenus ſimile eſt, Helenam non magnam medicamenti molem, non pulverem plantæ cujuſpiam vino immiſcuiſſe: ingratum alioquin, faſtidioſumque id ipſum, ad bibendum fuiſſet convivis; ſed medicamentum, exigua quantitate moliens magna, accepiſſe. Quale jam putetis magis aptum, quam papaveris lachymas a Sole induratas, quarum paucula grana illarum inſuetis ſufficiunt ad tam mirum effectum ciendum: vel, ſi non purum putum opium fuerit, exiſtimo tunc id medicamentum quoddam compoſitum fuiſſe; cujus tamen præcipium ingrediens opium fuit. Cætera autem huic fuiſſe addita vim ſoporiferam corrigendi gratia. Sed, ut naſcitur, non ſine ſpinis roſa, non ſine ſcoriis aurum, non ſine palea granum; ſic etiam noſtrum aſſertum ſuam habet ſpinam, ſcoriam, paleam; quæ eximi, exuri, excuti: & ſuum adverſarium, qui confutari debet. Is autem fortaſſe mihi objiciet, ſi opium fuiſſet celeberrimum Helenæ Nepenthes, veteres tunc dubio procul ejus mentionem feciſſent: quippe ejus naturam ſatis perſpectam habebant. Poſthæc ab ejus uſu homines plerumque dormiturire: nequaquam itaque aptos prolixæ rerum geſtarum narrationis auditioni: & denique ſaporis id nauſeoſi eſſe, ut poſſit cuipiam delicato offerre; concludere ergo ſe non ſine ratione, putabit, opium non fuiſſe laudatiſſimum Helenæ medicamentum. Equidem nodum hunc aliquantulum intricatum, verum non Gordium, autumo, ut opus ſit vel Oedipo,

Oedipo, qui objectationem diſſolvat, vel Alexandro, qui perplexos illius nexus diſſecet. Perpendite enim. A. H., ut primum objectum diſſolvam, contingere non modo in Medicina; verum etiam in cæteris omnis generis opificiis, ut hoc ævo res variæ ſint uſus creberrimi: & tamen non omnes Medici, vel artifices promiſcue ejuſmodi, quamquam uſu quotidiano notiſſimas, conficere calleant; aut ad minimum, quibus ex rebus componantur, cognitas habeant. Exempli cauſſa. Nitrum veterum unus quiſque medicorum fere tunc temporis noverat: hodie vero vix decimus quiſque hiſcere audet, ſibi id perſpectum eſſe aliquatenus. Quin etiam purpura, ex certa concharum ſpecie deſumpta, olim erat notiſſima: at hoc tempore eadem ignotiſſima eſt. Quid dicam de vitri rubicundi conflatura, elapſo noviſſime ſeculo, per totam propemodum Europam cognita, de qua id ætatis ne veſtigium quidem ſupereſt; qua ratione videlicet illud vitrum conflandum ſit. Plura, quorum Panciorolus in peculiari de rebus perditis libro, mentionem facit, ne in prolixæ orationis crimen incurram, de induſtria, faciam miſſa. Ita etiam hoc tempore quiſquam unus reperitur artifex, ſuis inventis compluribus hominibus inſerviens, & proſpiciens: cum tamen cæteri artifices, ariolari arcanum ejus rerum conficiendarum modum, nequeant. Quidni & idem olim uſu veniebat? Medicamentum, cui Poëta Nepenthis, i. e. delinementi epitheton dat, fortaſſis quoque toti Ægypto, quod ad vires pertinet, cognitum erat: interim tamen ſola Polydamna ejus confectionem ſciebat. Hæc Regina iſtud fortean præparatum modo, cum ſubditis, qui eo indigerent, cumque hoſpitibus, muneris hoſpitalis loco, communicabat. Quin etiam eadem Polydamna compoſitionem tam celeberrimi medicamenti cum pau-

cis, ſibi tantum amiciſſimis, participavit, ut ne gens humana tam laudatiſſimo privaretur remedio. Hoc factum fuiſſe conſtat ex ante citato Diodori Siculi loco, ubi memorat ſuo ævo, ſcilicet tempore Auguſti, mulieres Dieſpolitidas etiam tunc temporis uſurpaſſe tam præclarum doloris remedium. Præter hæc, quid Turcarum aliarumque Orientis gentium uſitatiſſima *Maſtach* & *Aſſeral* indicant aliud? quam apud ipſos etiam nunc diver tere Homericum Nepenthes. De *Aſſeral* non gravemini audire eruditiſſimi Scaligeri ſententiam. Et de Turcarum *Aſſeral*, inquit, hoc compertum habemus. Prælium inituros ex eo vorare aliquantum, quo alacres ac periculorum evadunt contemptores. [32] De *Maſtach* autem Quacelbenus ſcribit, [33] quod Mahumetani ob legem vino abſtinentes, diverſi generis compoſitiones, quas inter communiſſima eſt, quæ vulgo *Maſtach* dicitur, excogitarint: quibus non diſſimilem, ut alii vini potu, ebrietatis mentiſque alienationem ſibi inducere conſueverint: atqui nec iſtam tantum, verum immanem aliquando inſaniam, quam nunc ad ponendam animi mœſtitiam, nunc ad fugiendum ſuborientem in rebus difficilibus pavorem, conducere opinentur. Utramlibet autem compoſitionem in primis opium ingredi, atque id tam ſtupendæ virtutis, auctorem eſſe, pauci ſunt, qui addubitant. Literis quidem Sinapius aliorum opiniones prodidit: ſcilicet materiam ipſius *Aſſeral* eſſe folia plantæ, cannabi forma quodammodo ſimilis: cujus quoque ſemen fere cannabino non diſſimile, præterquam quod minus

[32] *Idem* exercit. CLIV. Porro narrat inter turcas eſſe aliquos, *derviſi* appellatos: hos in conventibus annuis poſt ceremonias, & epulum eſitare aſſeral: quo in lætitiam atque exultationem conjici.

[33] In Epiſtola ad Matthiolum: & eſt prima Libr. III. Epiſtolar.

minus, nec tam candidum ſit. Ex ejus foliis, in pulverem redactis, aqua interveniente, fieri paſtillos, quibus poſtea homines veſci ſolere ad conciliandam ſibi ebrietatem, ac dulcem quandam mentis peregrinationem: ſemen vero cum foliis Indos devorare, ut in venerem procliviores eſſent. Quantum vero ad *Maſlach* attinet, idem auctor ſcribit, id ex planta aliqua, quam Herbarii noſtri cervariam appellant, confici. [34] Sed, quin error hic ſubſit, nullus dubito. Nam plantam hujuſmodi, a plurimis expertum eſt, effœtas, reſpectu genuini opii, habere vires. Ideoque nullus meo cordi eſt injectus ſcrupulus, quod non potiſſima iſtarum regionum pars hominum præparationis *Maſlach*, juxta & *Aſſeral* ignara ſit: &, qui ejus callentes ſunt, in eam inquirentibus, vel de dictis ſe interrogantibus, verba dediſſe tantum. Secreta enim apud ipſos, quantumvis uſu notiſſima, dictorum præparatio eſt; & pauci ſunt,

[34] Vide ejus tractat. de remed. dolor. Cap. IV. §. 9. & Cap. V. §. 8. Præter dicta memorat *Proſp. Alpin.* Libr. 4. Cap. 11. Ægyptiis eſſe electuarium, ex proximis Indiis allatum, *Bernavi* vocatum, quo eos uti ad viſiones concitandas. Capere etiam *Aſſis*, quod nihil aliud eſſe, quam pulverem, ex cannabis foliis paratum, quem cum aqua dulci miſtum eos in maſſam redigere: hinc ejus capere quinque bolos, vel & plures, magnitudine caſtaneæ: a quibus tunc fieri, quaſi ebrii ac amentes, imo in ecſtaſi, eſſent: & ſic eos deſideratis iſtiuſmodi viſionibus mire oblectare ſe. *Boſa* idem, & plus, quam *Aſſis*, præſtare dicunt. Hanc e farina lolii, & ſemine cannabis & aqua, invicem in maſſam ſubactis componi. *Bernavi* electuarium, in proximæ Indiæ locis parari: ejus compoſitionem Ægyptios ignorare. Si quis ejus uniciam aſſumpſerit, eum tum primo incipere hilareſcere, garrire multa, amatoria canere, ridere multum, aliaque læta deliramenta prodere. Verum elapſa circiter hora, eum fieri iracundum, atrocem, effrenemque, in quo ſtatu eum parumper perſiſtere, poſtea vero eum occipere adeo triſtari, tantoque & timore angi, ut neceſſe ipſi ſit continuo plorare, lamentari. Feſſum denique tot delirationibus ſommum corripere, ſicque priſtinam ſanitatem recuperare.

ſicuti hoc ex relatione aliorum didici, qui probam vendant mercem. Cæterum opii præcellentiſſimas quaſque virtutes Medici & antiqui admirati ſunt, & recentiores. Hinc inde tam plures inveniuntur compoſitiones, in quas id, tanquam præcipuum ingrediens, conſiderandum venit. Quas præclaras dotes haberent? Quæ egregia facinora præſtarent, tam longa ſeculorum ſerie notiſſima, Theriaca atque Mithridatium? Quid Athanaſia? Quid Philonium? & ſexcenta alia? Intrinſecus, forinſecus, quoquo pacto velitis, opium cunctorum medicamentorum Princeps eſt. Et, ſi vobiſcum ſermocinari poſſet, vos ſine dubio ita alloqueretur. Ego opium ex divina mihi conceſſa poteſtate mira, mira inquam ac præclara, intellectu prope humano non aſſequenda, perficio facinora. Anxios & triſtes pariter, ut hilareſcant, auctor ſum. Inquietos ac vigiles pacatos efficio, ut placidiſſime obdormiſcant: atque curo, ut membra cura, labore, vigiliiſque feſſa, requiete dulciſſima fruiſcantur. Oblivionem ad tempus induco rerum, quæ vos afflixerunt; ut poſthac ſitis idonei ad extricandum vos hiſce afflictionibus. Reliqua, ut vobis ne habear glorioſum, ſilentio præteribo. Tamen id vos verbulo admonuiſſe fas ac æquum duxi. Nimirum, ut opportuno tempore auxilia de me accerſatis: neque hæc affatim, ſed parce a me expetetis: cæteroquin inexorabilis Atropos ſtamen vitæ veſtræ, quod tamen maximo mihi dolori eſſet futurum, ſecabit; ita, ut non poſſitis non, quin ſoporem dormiatis lethalem. Quæ cum ita ſe habeant, A. D. neminem veſtrum eſſe opinor, qui non perſuaſum ſibi habeat planiſſime, opium ſolum convenire cum Nepenthe de potentia, atque vi admirandos effectus perpetrandi. Opio ſoli, inquam, competunt fere omnes, quas Poëta venuſtiſſimo carmi-

ne

ne exaggeravit, virtutes. Verum tamen duo adhuc levioris momenti reſtant adverſariorum objectus refutandi. Nempe opio proprium eſſe, ut ſomnum conciliet, quod ſi ſic, obliviſci tunc quidem eo utentes rerum triſtium, concedunt, ſed urgent eos tum evadi ineptos ad auſcultandum alterius dicta; volunt ideo Nepenthes non ipſum opium, multo minus ejus particeps fuiſſe. Verum hi reſponſum ſibi habeant, opium ſincerum, a Meconio, quod Medicinæ rudes vulgo opium nominant, magnis diſtinctum eſſe intervallis. Genuinum quidem, non diffiteor, uſurpanti ſomnum inducere: ſed non tam citum nec tam profundum, quemadmodum Meconium ſolenne habet; verum is ſomnus invadit hominem aliquot horas poſt opii aſſumptionem. Deinde & climatum cœli eſt ratio habenda. Aſclepiadæ enim artis filii compertum jampridem habent opium, quod non modo id ipſum: verum etiam cuncta inde parata facilius, & minori quantitate, craſſo ſub aëris temperie, quam contra, ſomniculoſos efficere homines; atque alias, ſibi proprias, edere operationes ſolere. Et, quoniam in plaga Orientali inhabitantes, ſubtiliori omnium humorum, vel ſpirituum, dotati ſunt temperatura; non admirationem meretur, quare non tam facile id ipſum opium apud illos, quam apud noſtrates, craſſiorem auram incolentes, funeſta exhibeat exempla. Tandem, ut ultimam objectationem leviter attingam, opii ſapor in amariudinem vergens, non adeo ingratus eſt, ut aſſumentibus faſtidium ingens excitet: plerorumque quippe adultorum hominum natura appetit res armaras potius, quam dulces: vel alius generis ſapore præditas. Quid? quod granum unum atque alterum inſuetis, vini ſufficienti portioni immixtum, non uſque adeo guſtus ſenſum eſt pote offendere, ut ſemel ebibi non poſſit:

vel, ſi in paſtillos efformatum, velut *Maſtach*, ut non citra nauſeam unus atque alter maſticari, vel integer deglutiri, poſſit. Sed oportet, ut vela contraham. Sentio enim me in altum Æquor abduci, ac vereor, ne jam longius, quam animo propoſueram, provectus ſim. Linguæ itaque curſum inhibeam, optimum eſt, meque recipiam in portum: ſiquidem ſuſceptum definitumque iter confeci. Indicavi namque laudatiſſimum Homericæ Helenæ, quantoſvis tum animi tum corporis dolores auferens, remedium. Utinam Medici conveniente tempore debitam ejus quantitatem propinandi modum callerent ſemper! Liberaretur ſane, gens humana pluribus ærumnis, quibus calamitoſe ſubinde & omni modo excruciatur. O Pharmacum pretioſiſſimum! O omnium longe pulcherrimum, omnibus utique mortalibus exoptandum! Agite igitur Æſculapii filii, commilites optatiſſimi, omni ope omnique opera connitamur atque elaboremus, ut tam præclari remedii cognitionis pleniſſime fiamus conſortes.

Et te, ſtudioſa juventus, etiam atque etiam ad hortamur, ut non vitam ſilentio, ſicuti pecora, tranſigatis: neque ſitis ſimiles iſtis adoleſcentibus, de quibus Marcus Seneca [35] querimoniam olim habuit. Torpent ecce, queritur, ingenia deſidioſæ juventutis, nec in ullius honeſtæ rei labore vigilatur. Sommus languorque, ac ſomno & languore turpior, malarum rerum induſtria, invaſit animos. Cantandi ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt. Non ſic ſuper vobis, faxis ſtudioſa juventa, ut vel

[35] Controverſiar. Libr. 1. in præf.

vel parentes, vel amici, vel præceptores ſint queſturi. Non modo hi, ſed & ipſa patria, admonet vos curantiæ, diligentiæque in literarum ſtudia; nec non veſtrum implorat auxilium, ut ſibi tandem aliquando ex uſu ſies. Neminem veſtrum præterire, autumo, quod encomium, Tullius Oratorum lumen, literarum ſtudiis tribuit. Quod ſi non hic, ait, [36] tantus fructus oſtenderetur: & ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remiſſionem, humaniſſimam ac liberaliſſimam judicaretis. Nam ceteræ neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Sed hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant: adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, perigrinantur, ruſticantur. Ergo igitur, Juvenes doctiſſimi, ut vos veſtra induſtria ſcientiam, & gloriam conſequamini, omnem movete lapidem. Imitemini melligeras apes, quæ primo diluculo ex apiario abeunt, excedunt, evadunt, erumpunt, mella de floribus carpunt, colligunt: & quicquid attulere, diſponunt, ac per favos digerunt. [37] Ita etiam vos Juvenes doctiſſimi, quicquid eruditionis primo veſtræ Juventutis diluculo collegeritis ac recondideritis, hoc deinde ſenectute confecti non modo in Patria; verum etiam ubique gentium ad gratiam fruemini. Pergite itaque, ut facitis adoleſcentes, atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & Reip. emolumento eſſe poſſitis.

Vobis denique, Patres Nobliſſimi & Ampliſſimi, Academiæ hujus curatoribus atque nutritoribus be-

[36] Oration. XXVI. pro Archia poeta.

[37] Ita *Seneca* fere in Epiſtol. LXXXIV.

nevolentiſſimis, quas referam gratias, quod me peregrinum, quamquam veſtro favore juxta & benevolentia indignum, honorificentiſſime tamen tractaſtis: ac mihi Provinciam mandaſtis Chemiam publice profitendi. Eadem conditio eſt mea, ut quondam Æſchinis. Is erat pauper auditor Socratis. Et cum Socrati multa multi pro ſuis quiſque facultatibus offerrent. Ille nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi poſſum, invenio: & hoc modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi quod unum habeo, me ipſum. Hoc munus rogo qualecunque eſt, boni conſulas, cogiteſque alios cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. [38] Et ego, Patres Ampliſſimi, præter me nihil habeo. Ego me Vobis offero, ego Vos demiſſiſſime atque ſubjectiſſime rogo, ut hoc qualecunque munus accipere, non dedignemini. Quantum ad me ſpectat, operam dabo jugiter, ut Vos non pœniteat tale munus accepiſſe.

Et veſtram fidem Clariſſimi cunctarum Diſciplinarum Profeſſores, Academiæ hujus multo celeberrimæ lumina, amici exoptatiſſimi, obteſtor: ut, quemadmodum novenos propemodum annos veſtram omnium fere expertus ſum benevolentiam & favorem, me his inſuper perfrui, concedatis. Quod ad me pertinet, indefeſſo ſtudio ad promerendam conſortionem veſtram adnitar. Enimvero hac mihi nihil acceptius eſt, & hoc in univerſo nihil carius.

Faxit cæterum Deus. O. M. ut fauſta omnia Belgio fœderato eveniant, propulſetur hoſtis finibus noſtris quam longiſſime. Redeat Pax artium altrix, atque diu diuque in hiſce terrarum oris diverſetur, ut harum incolæ ætatem in tranquillitate degant diutiſſime.

[38] Hæc *Seneca*. Libr. 1. de benefic. Cap. VIII.

DIXI.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

Abhenguefit qualis auctor. 353.
Abſinthio quotenis morbis *Paracelſus* medicatus eſt. 441.
Abſtinentia quotuplex. 261.
Acari quid producant. 578.
Acceſſiones febrium unde. 358. 360.
Acceſſus morborum diuturni unde. 326.
Achillis de morbis epidemicis opinio. 3.
Acidi & *Alkali* poteſtas. 492.
—— Acidi & ventriculi fermenti differentia. 468.
Acidum *Alkali* appetit. 493.
—— an cunctorum morborum auctor. 496.
—— conſtat ex anima & ſpiritu. 492.
—— digeſtionem promovet. 467.
—— extra ventriculum eſt noxium. 469.
—— Microcoſmi differt ab acido Macroſmi. 405.
—— prudentia quadantenus præditum. 492.
—— quales morbos efficiat. 495.
—— quomodo in corpore differat. 495.
—— rei ineſſe ut ſciſcitandum. 571.
—— ubi in corpore divertat. 501.
—— vitale ubi attrahatur. 493.
Acor ubi in homine. 416.
Actio quid. 294.
—— ut a Galeno definitur. 83.
Actiones corporis quid. 591.
—— corporis ad quorum vires referendæ. 529.
—— naturales, quæ. 82.
—— vitales quot. 591.
Actuarii laus. 338.
Acuti morbi unde. 425.
Adami prævaricatio quæ mala rebus importavit. 448.
non *Adamicorum* natura. 408.
quinque genera. *ibid.*
Adech Paracelſi quid. 452.
Æger quare non convaleſcat. 457.
Ægineta qualis auctor. 335.
Ægroti in publicum olim ponebantur. 9.
Ægrum quis facili negotio curaturus. 194.
Ægyptiorum recentiorum de morborum cauſſis opiniones. 209.
Aër an ſanguini commiſceatur. 544.
—— & aqua elementa primigenia. 462.
—— dominus corporis. 192.
—— ſentit, ægrotat, &c. 272.
Aëris ſanguini commixtio advitam neceſſaria. 545.
Æſchines qualis. 632.
Æſculapii inventa. 4.
—— templa ubi. 6.
Æſtus maris unde. 466.
Ætatis locorumque obſervationum

num utilis in Curandi ratione? 164.
Ætheris motus in ſanguine qualis. 555.
Aetius qualis in Medicina. 334. & ſeq.
Adſtrictio quid ſecundum Methodicos. 161.
Affectiones animæ ut contingant. 339.
—— corporum univerſales quatuor. 526.
Affectionum cauſſæ quæ? 504.
Affectuum corporis diviſio. 102.
—— fontem eſſe cor ſtatuit Chryſippus. 225.
—— in membranis ortorum ſedes ubi. 532.
—— quorundam ſedes, ubi? 67.
Affectus animi quomodo corpus infeſtet. 560.
—— quid. 293.
—— corporis quot. 294.
—— hominum diverſi unde. 193.
—— præter naturam tres. 296.
—— & ſymptomatis differentia. 161.
Affion vel amphion quid. 622.
Affionii qui. 622.
Agathini elogium. 268.
Agathinus, &c. tradiderunt lavacri frigidi uſum. 141.
Ἀκροχειρισμος quid. 130.
Alchindus in re medica curioſus. 351.
Alexander Magnus percupidus animalium naturam ſciendi. 57.
Alimenti proprietas. 417.
Alimenta in quod in ventriculo mutentur. 542.
Alimentum quid. 416. 417.
Alkali eſt inſtar magnetis. 493.
—— quando cadaveroſum. *ib.*
—— quid 491.
—— rei ineſſe ut indagandum. 571.
Allegoriam mire affectant *Chinenſes*. 388.
Alopecia quid indicet. 364.
Altercum, qui ſuperſtitioſe effodiendum. 126.
Alvi excrementa cujuſmodi ſint. 593.
—— excrementa quando bene ſe habeant. 329.
ex Alumine qui morbi. 436.
Alvum ſæpenumero ſubtrahendam ſtatuit *Herophilus*. 259.
Ambitio circa ſectas mala. 204.
Amaror ubi in homine. 416.
Ambulationis diverſæ ſpecies. 132.
Amentiæ cauſſa. 387.
—— quinque ſpecies. *ibid.*
Amentia & delirium inter ſe differunt. 386.
Amor unde. 419.
Analepſia quæ 366.
Analogia hominis & mundi. 414. 453. 447.
Analogiſmus quid. 152.
Anaſarcæ cauſſa. 336.
Anatomia detegit morbi ultimum effectum. 53.
—— ut curioſe inſtituenda. 49.
—— quid primis Chemicis. 458.
in —— quid utile quid curioſum. 287.
Anatomiæ in Medicina utilitas. 497. 52.
—— laus. 48.
Anatomiam quapropter Empirici pili penderent. 149.
Andry de generatione animalium opinio. 64.
—— placita. 577.
Anginæ remedium ſuperſtitioſum. 125.
Angina unde. 269.

Anima ante conjunctionem corporis ſcientiarum plena. 453.
—— beſtiarum in ſanguine. 489.
—— bruta vindicat corpus a putrore 504.
—— corporea unde. 503.
—— eſt ſubjectum mentis. *ibid.*
—— hominis qualem temperiem nacta. 192.
—— motuum corporis cauſſa. 597.
—— quid? 239. 597.
—— pati nequit. *ibid.*
—— quo motus genere utatur & afficiatur. 533.
—— *ſenſitiva* ubi. 478.
—— ſingulis corporis partibus portionem ſui mittit. 192.
—— ſui domicilii architectus. 494.
—— temperamentis ſe accommodat. 597. & ſeq.
Animæ brutæ natura. 504.
—— duæ in homine. 503.
—— facultates quot. 291.
—— functiones temperamenta ſequuntur. 291.
—— nullam ratiocinandi facultatem eſſe qui ſtatuerint? 251.
—— perceptio ut contingat. 506.
—— principatus ubi. 279.
—— ſedes ubi? & variæ variorum Philoſophorum de hac opiniones. 66. 472. 473. 503.
Animalia bruta varia remedia monſtrarunt. 111.
Animalium corpora unde? eorumque duplex ſtatus. 160.
—— partium diverſitas unde. 286.
Animalis ſpiritus cur ita nominetur 291.
Animantia, e quibus conſtent. 74. 61.
Anni ad mentem Chinenſium diviſio. 381.
—— tempora nunquid indicent. 164.
—— temporibus ſingulis ſingulæ res rerum potiuntur. 381.
Annorum diverſitas unde. 237.
Anorexia unde. 467.
Antimoniale ubi in corpore ſecernatur. 421.
Antonius Muſa frigidæ uſum introduxit. 141.
Apoplexiæ & fulguris convenientia. 437.
Apoplexia unde. 365. 425. 484.
—— ut nominanda. 428.
Apotherapia quid? & quare, & quomodo inſtituebatur. 135.
Appetentia cibi unde. 253.
Aqua elementum ex quo. 461.
Aqua intercus unde. 229. 336.
Aquæ incolæ ſirenes, *Dramas*, *Lorind*, &c. 407.
Aquæ qualitates. 491.
ex Aqua quæ originem duxerint. 407.
Aqua quando rerum productioni inhabilis. 462.
—— rerum principium. 408.
—— ſanguini ineſt. 509.
—— terra nobilior. 461.
Archæi munia. 418.
Archeo morborum curatio eſt committenda. 456.
Archæus in ſingulis morbis turbatur. 476.
—— quid. 463. 464.
—— ſine ideis ad quælibet ineptus. 474.
—— ubi divertat. 464.
Archigenes 4. genera pulſus ſtatuit. 221.
Archigenis pertinacia. 268.
Araneæ unde. 421.
Aretæus an pneumaticus. 269.
Ariſtoteles quomodo de morbis ratio-

ratiocinatur. 212.
Ariſtotelis induſtria erga animalium naturam expiſcandam. 57.
Arlatum tempus quod. 438.
Arteriæ quid. 548.
Arteriarum affectiones quæ. 216.
——— humido radic. deſtinatarum longitudo : calido innato deſtin. &c. 370.
——— uſus. 271.
in Arteriis ſpiritus continetur. 216.
——— ſpiritus vitæ continetur. 226. 231.
Arteriotomiæ utilitas. 343.
in Arthritide quæ pars patiatur. 256.
Articulorum motus duplex. 539.
Artificium quodnam difficilimum. 178.
Arſenicale ubi in corpore ſecernatur. 421.
ex Arſenico qui morbi. 436.
Aſclepiades inficiatur attractionem. 89.
——— an aſpernatus ſit medicamentorum uſum. 109.
——— qualis fuit. 249.
——— reprobavit dierum delectum. 202.
Aſcitis cauſſa. 336.
Aſellius lactifera vaſa detegit. 486.
Aſſeral quid. 626.
Aſſis quid. 627.
Aſthma unde. 269.
Aſthmatis nidus ubi. 473.
Aſtra plurimum pollent apud hominem. 420.
——— unde. 406.
Aſtri potentia. 454.
Aſtris in hominibus nullum jus 420.
Aſtronomiæ utilitas in Medicina. 240.
Aſtrorum conſtellationes quos morbos producant. 449.
——— *ens.* 423.
——— influxus generalis. 238.
——— potentia in corpora animalia. 315.
——— poſitum in curatione morborum multi obſervarunt. 245.
——— in colligendis plantis pro uſu medico. 246.
Aſtrum quid. 454.
Athenæus Pneumaticæ auctor. 266.
Atomi quid ſint. 272.
Atonia quid. 534.
Attenuandi remediorum vis ut exploranda. 571.
Attractio an contingat. 88.
Attractionem negavit *Aſclepiades.* 253.
Auctores varii ſuppoſititii in Medicina. 210.
Auctus animalium ut fiat. 227.
Avenzoar dogmata quædam. 349.
Averrhois quomodo ratiocinatur de morbis. 358.
Avicenna copioſus in dandis morborum cauſſis. 349.
——— placita quædam. 346.
Aurelianus Cæl. reprehendit *Aſclepiadem.* 257.
Auſter ubi in homine. 414.
Autopſia quæ ? 146.
Auxilia communia quinque ab *Aſclepiade* excogitata. 256.

B.

Baglivi circa Theoriam inſtabilitas. 537. & ſeq.
Baglivus reprehendit *Galenicos*, Chemicos & Mechanicos. 537.
Balbuties quid ſignificet. 364.
Balneum apud veteres in varias partes dividebatur. 140.

Balſamum quid. 444.
Balſami natura in quo ſita. *ibid.*
—— utilitas. *ibid.*
Bernavi quid. 627.
Beſtiarum notitia qualis. 505.
Bilis atra qui fiat. 290.
—— indoles quæ? 499.
—— ubi putreſcat. 349.
—— tartarus quos morbos excitet. 432.
—— ubi ſecernatur. 342.
—— unde. 328.
Blandimenta varia excogitavit *Aſclepiades.* 256.
Blas brutorum augurii fundamentum. 466.
—— humanum duplex. 466.
—— quid. 465.
—— eſt duplex. *ibid.*
—— ſtellarum potentia. 466.
Bontekoe doctrina qualis. 496.
Boreas ubi in homine. 413.
Boſa quid. 627.
Braſſicæ virtus. 112.
Bubuli vermes. 578.
Bulimus unde. 467. 255.
Bur quid. 462.

C.

CAcant tantum qui? 417.
Cacochymia quid. 303.
Cadaveris humani Anatomia an ante *Eraſiſtratum* fuerit inſtituta. 55.
—— probatur fuiſſe factam. 58.
Cagaſtricum quid. 412.
Cagaſtrum quid. 425.
Calculi cauſſa. 336.
—— materia & coagulatio unde. 433.
—— renum cauſſa. 280.
Calculus qui generetur. 309. 497. & ſeq.
—— veſicæ qui generetur. 199.
Calidi ſedes in homine. 187.
—— virtus juxta Hippocratem *ibid.*
Calidum innatum quid. 444.
—— non eſt uniuſmodi. *ibid.*
—— innatum eſt triplicis generis. 370.
—— habet vaſa externa & inteſtina. *ibid.*
—— quomodo in quatuor partes ab initio diviſum. 187.
Calor corporis inteſtinus qualis. 310.
—— corporis naturalis unde. 583.
—— corporis non eſt innatus. 226.
—— & frigus unde. 466.
—— in febribus unde. 306. 607.
—— primigenius quæ mala corpori importet. 383.
—— qui in corpore producatur. 301. 571.
Caloris innati conſervatio. 290.
—— primigenii diverſitas. 374. 382.
—— primigenii pulſus quis. 373.
—— primigenii viæ. 379. 383.
—— quid efficiant. *ibid.*
—— vitium quæ mala membris inferat. 384.
Canales corporis unde. 558.
—— corporis quando diſtendantur. 550.
Capitis affectus unde. 533.
—— dolor cur a purgatione. 257.
—— munia. 472.
Caput a quo veneno lædatur. 423.
Carbunculi ſpecies. 436.
Carbunculus Romanis morbus ignotus. 105.
in Cardiaca quænam pars afficiatur. 205.
Cardiaci vermes quid mali efficiant.

ciant. 578.
Carnis Tartari morbi qui. 431.
Carnoſarum fibrarum origo 530.
Carteſii hypotheſes abs quibus in Medicinam ſuſceptæ. 524.
Carus unde. 281.
Caſſius, cujus generis decreta tradidit. 523.
—— ejus laus. 522.
Catalepſia quæ. 366.
Catarrhi cauſſa. 273.
Cato braſſicæ admirabilem virtutem tribuit. 112.
Cauſonis cauſſa. 366.
Cauſſa adventitia morborum ut ſubjuganda. 483.
—— morbi quæ. 297. 299. 102.
—— quid. 348. 45.
Cauſſæ morborum quæ. 558.
—— morborum quo loci referendæ. 559.
—— morborum ſingulares. 601.
—— morborum generales. *ib.*
—— multæ nobis latent. 565.
—— quotenæ ſint. 348.
Cauſſam cauſſæ indagare non eſt medici. 565.
—— evidentem & continentem admittebant Methodici. 163.
Cauſſarum abditarum inveſtigationem Methodici ſpernebant. 164.
—— inveſtigatio quando ex uſu. 565.
—— morbi duo genera. 299.
—— numerus. 45. & ſeq.
Celſi doctrina. 264.
Cephalææ cauſſæ variæ. 336.
Cephalalgia unde. 335. 358.
Cephalalgiæ remedium. 278.
Cerebri & cordis conſenſus quid efficiant? 531.
—— quid ſibi mutuo mittant. *ibid.*
—— ſuum cuique dominium. *ibid.*
—— læſio quæ mala inducat. 281.
—— uſus. 341. 347.
Cerebrum abundat ſale volatili. 511.
—— unde. 288.
Cereviſiæ eſt duplex Tartarus. 430.
Certamen umbratile quod. 130.
Chaldæi cœli & Terræ conſenſionem ſtatuebant. 235.
Charmis Maſſilienſis lavacra frigida crebro inſtituit. 141.
Chemiæ in Medicinam adventus. 403.
—— in Medicina utilitas. 497.
Chemicam artem quis primum tradidit. 401.
Chemicorum de principiis rerum opiniones. 37.
Chinenſes troporum ſtudioſi. 382.
Chinenſium dogmata medica. 370. & ſeq.
Chiron medendi callens. 2.
Chirurgia prima Medicinæ pars. 16.
Choleræ remedium. 225.
Chordapſon qualis affectus. 280.
Chryſippus Cnidius qualis? 224.
Chylo quæ inſint. 493.
Chylus cur albicans. 508.
—— in vaporem mutatur, &c. 493. & ſeq.
—— ubi, & quomodo in ſanguinem mutetur. 289. 87. 498. 341. 470. 289. 544.
—— ubi ſanguini permiſceatur. 498.
Cibi concoctionem negavit *Aſclepiades*. 252.
—— digeſtio ut fiat. 341. 348. 542. & ſeq.

Ciborum concoctio a quo fiat. 508.
Cibus atteritur in ventre. 226.
—— quando ubertim ægris miniſtrandus. 177.
—— quid. 348. 354.
Circuitus ſanguinis an Hippocrati notus. 194.
—— ſanguinis præpoſterus quæ mala inferat. 596.
—— ſanguinis utilitas. 595.
Claudi, & alii vitio corporis genitivo affecti, quare. 415.
Clinica a quo inventa? 5. 7.
Clyſteris uſum quis monſtravit. 111.
Cnidiorum medicorum opinio de numero morborum. 196.
Cœli unde. 27.
Cœliacæ paſſionis cauſſa. 280.
Cœlum intrinſecus in homine. 466.
Cognitionis ad mentem Empiricorum deſcriptio. 147.
—— ſpecies. *ibid.*
Cohæſio corporum in quo ſita. 528.
—— fluidorum nimia quid mali producat. 559.
Colicæ variæ ſpecies. 337.
adverſus Colicam amuletum. 337.
Colicus dolor morbus novus. 105.
Coma unde. 281.
Comatis ſomnolenti cauſſæ. 588.
Comatis vigilis cauſſa. *ibid.*
Comitialis morbus unde. 281.
Comitis Archiatrorum poteſtas qualis. 97.
Communia morborum quæ ſecundum Methodicos. 161.
—— an ſatisfaciant ſingulorum morborum explicationi 170.
Communitas quid. 161.
—— ejus ſpecies. *ibid.* & *ſeq.*
—— quid indicet? 162.
Compoſitio triplicis generis in animalibus. 287.
Conceptus ubi? 486.
de Concoctione ciborum variæ opiniones. 86.
Concoctiones quatuor. 341.
Concupiſcentiæ ſedes. 291.
Condenſandi remediorum vis ut inveſtiganda. 571.
Congeſtiones humorum unde. 612.
Conſanguinetas inter corporis membra. 377.
Conſenſus quinque principum corporis partium cum aliis rebus. 374.
Conſervatio corporis unde. 290.
Conſtantinus Afer qualis auctor. 361.
Conſtitutio corporis optima quæ? 332.
Conſuetudo quid. 602.
Contactus corporum ut fiat. 528.
Contractio eſt actio muſculis inſita. 292.
—— duplicis generis in corpore. 533.
—— & laxitas omnium, quæ in corpore fiunt, cauſſæ. 558.
—— quæ. 527.
—— naturalis
—— voluntaria } ut fiat. 530.
Contractionis cauſſa quæ. 530.
Contractione & diſtractione actiones corporum comprehendit *Bellinus*. 527.
Convulſio quid. 595.
Convulſio unde. 342. 515.
Convulſionis genera tria. 343.
Cor arteriæque an inſimul contrahantur. 226.
—— movens cauſſa quæ. 548.
—— quid ſecundum *Chinenſes*. 375.
—— quibuſcum conveniat. *ib.*
—— quo pacto quinque modis

dis lædatur. 386.
—— vitæ principium. 288.
Cordis affecti notæ. 383.
—— ab aggregatione ſpiritu-um morbus. 386.
—— contractio ut fiat. 584.
—— motio quo pacto accidat. 364.
—— munia. 548.
—— potentia ut exploranda. 546.
—— quanta ſit. 547.
—— primordia. 288.
—— pulſus naturalis qualis. 393.
—— uſus. 347.
in Corde fermentum luminoſum. 470.
Corpora bifariam immutantur. 305.
—— quid ſint. 410.
—— quomodo facta. *ibid.*
—— unde producta. 454.
Corpori eſt duplicis generis motus. 291.
—— humano nec principium nec finem eſſe. 191.
Corporis affectus, qui mentem turbant, ſtatuit *Aſclepiades*, in membrana cerebri conſiſtere. 205.
—— animalis partes e quibus factæ. 191.
—— conſtitutio cujuſmodi ea eſſe oporteat. 590.
—— conſtitutio humoribus a *Praxagora* aſſignatur. 217.
—— cujuſlibet qualitates unde. 445.
—— humani generalis diviſio. 51.
—— humani juxta *Chinenſes* diviſio. 373.
—— humani materia quæ. 589.
—— humani partes tres vi trahendi refertæ. 191.
—— humani principia propiora, quæ? 78.
—— initia tribuit ſolidis Eraſiſtratus. 226.
—— in mixtione quid conſiderandum. 589.
—— partes pleræque unde ortæ. 530.
—— partes principes quæ. 340. 347.
—— earum conſpiratio in œconomia corporis bene gerenda. 341.
—— partes temperatæ & contra. 363.
—— qualiſcunque conditio unde. 374.
—— ſubſtantia ut alteretur. 305.
—— ut diffluat. *ibid.*
Corporum proprietas. 527.
—— ſingulorum principia quæ. 409.
Corpus bifariam vitiari. 299.
—— homini eſt duplex. 415.
—— humanum ad quod aptum. 590.
—— humanum quid. 528. 581.
—— eſt machinoſum. 529. 287.
—— nullum interire. 188.
—— nullum ſemine caret. 445.
—— propter animam factum. 597.
—— quando ad invaletudinem proclive. 211.
—— quare facillime putrefiat. 590.
—— quid. 447.
—— quodvis e quibus componatur. 406.
Corruptio partis in quo ſita. 368.
—— quomodo in corpore inhibenda. 604.
Corruptionis cauſſæ duæ. 302.

Craanii doctrina. 525.
Cricelaſia, quale corporis exercitium. 132.
Crina Maſſilienſis vanitas. 246.
Crinones quid mali efficiant. 578.
Criſis cauſſa. 315.
——— quid. 312.
——— qui computanda. 314.
——— imperfecta quæ. 313.
——— mala. *ibid.*
——— perfecta. *ibid.*
——— quid *Paracelſo*. 439.
——— ſpecies plures. *ibid.*
Critici dies Lunæ phaſes ſequuntur. 315.
Crollius qualis in Medicina. 451.
Cruoris & ſanguinis differentia. 470.
Cucurbitarii an vermes. 580.
Curatio morbi, ut ad mentem *Chinenſium*, inſtituenda. 388.
Curſus ut peragendus. 130.
Cuſtodes duo qui. 474.
Cuſtodum munia. *ibid.* & ſeq.
Cuticulares vermes. 578.
Cutis per poros cujuſmodi particulæ pellantur. 592.

D.

D*Amaſceni* doctrina. 351.
Datura Indorum an Nepenthes. 620.
——— ejus virtus. 621.
Defatigatio nimia quæ mala inferat. 384.
Definitiones Empirici non admittebant. 145.
Definitionis utilitas. 293.
Deliria unde. 483. 193.
Delirii cauſſa. 387.
Democritus Medicinæ & Anatomiæ operam dedit. 56.
Denarius numerorum perfectiſſimus. 459.
Derivatio quid. 319.
Derſes quid. 411.
Deſipientia melancholicorum unde. 193.
Diaboli metallorum operationibus præſunt. 402.
Diæta in febribus juxta *Aſclepiadem*. 261.
Diætæ repertor habetur *Hippocrates*. 200.
Diaphoretici præcipitati virtus. 483.
Diarrhœæ cauſſa. 469.
Diarrhœa unde juxta *Praxagoram*. 217.
Diatriton quid, & quis invenit. 177.
Digeſtio ciborum cum in ventriculo tum in ore poteſt fieri. 417.
——— ciborum fit attritu. 540.
——— ciborum vitiata unde. 198.
——— depravata. 228.
——— in ventriculo ut fiat. 467. 498.
——— quid. 418.
Digeſtiones ſex in corpore humano. 469. 467.
Digeſtionis actiones ut depraventur. 342.
Digeſtionum officinæ tot, quotquot muſculi. 494.
Dioclis Caryſtii laus. 213.
Diogenes Apolloniata venas hominis deſcribit. 58.
Diſciplinæ deſcriptio ſecundum Empiricos. 148.
Diſſenſionis cauſſa quæ. 152.
Diſtenſio muſculi unde. 292.
Diſtractio quæ. 527.
Dimeæ unde. 407.
Diuturni morbi unde. 425.
Docilitas unde. 506.
Dogmatica an Empirica vetuſtior. 144.
——— in quibus utraque ſe inter differant? 152.
Dolor quid. 481.

Dolores ab *Archigene* ſubtiliter deſcribuntur. 278.
—— quales cuipiam corporis parti proprii. 278.
—— quare a punctura. 560.
Dracunculi Æthiopibus familiaris morbus. 108.
Drimiphygia quid. 171.
Duelech quid. 479. & ſeq. 433.
Dulcor ubi maxime in homine. 416.
Dura mennix motum fibris carnoſis communicat. 534.
Durdales unde & ubi habitent. 407.
Durities corporum unde. 433.
Duumviratus conſtat ex intellectu proprio. 472.
—— imperat corpori. 273.
—— quæ mala eidem inferat. *ibid.*
—— quid in homine. 472.
Dyſenteriæ cauſſa. 469.

E.

EBriorum quorundam lepida hiſtoria. 617.
Ebrius cur aliquis evadat. 561.
Eclecticæ ſectæ auctor. 277.
Eclectici qui. 518.
ex Edacitate quæ mala. 384.
Effectrices Naturæ duæ. 494.
Effervescentia naturæ noſtræ amica ubi, & unde? 500.
—— ſanguinis nimia unde. 510.
—— ſanguini nulla ineſt. 554.
Ἐκπλεθρίζειν quid. 131.
Elater quid. 527.
Elateris nimii poteſtas. 559.
Elementa animalium proxima. 286.
—— aquæ, ignis, &c. ſunt receptacula. 406.
—— in duos globos diviſa. 442.
—— quadruplicavit *Paracelſus*. 407.
—— qui conſerventur. 443.
—— quatuor unde. 405.
—— quot juxta *Chinenſes*. 374.
—— quomodo producta. *ibid.*
—— non ſunt infinita. 443.
—— rerum duo. 526.
—— ſunt hominis nutrimenta. 417.
—— ſunt incorporea. 443.
Elementi cujuſlibet incolæ. 408.
—— & principii differentia. 285.
de Elementis opinio Athenæi. 266.
Elementorum compoſitio ut fiat. 286.
—— incolæ qui. 455.
—— poteſtas. 383.
—— prima materia eſt vita 406.
—— varium numerum. 31.
Elementum & principium an differant. 27. & ſeq.
—— quid. 285. 406. 442. 326. 27. & ſeq.
—— quodvis in tres partes diviſum. 406.
—— quodvis quadruplex. 443.
—— unum in quatuor diviſum. 406.
Elephantiaſis morbus novus. 105.
Elluchaſes quæ ſcripſit. 358.
Empirica quare obſoleta. 145.
Empiriri cauſſas evidentes inveſtigabant. 151.
—— quæ obſervabant in Medicina facienda. 150.
—— quare Anatomiam aſpernati ſunt? 149.
Empirica, Teretice, Mnemoneutice, vocabula ſynonyma. 143.
—— qui celebres in hac ſecta fuere? *ibid.* & ſeq.
Empiricorum ſectæ fundamentum. 22.

Emprosthotonus quid. 343.
Emunctoria quæ. 421.
Encathisma quale remedium. 172.
Enchymatismus quale medicamentum. 172.
Encolpismus quale medicamentum. *ibid.*
Encephali vermes quæ mala inferant. 577.
Ens quid. 423.
—— ejus quinque genera. *ib.*
—— spirituale. 423.
—— veneni ubi. *ibid.*
Enur quid. 411.
Epatici vermes cujus mali sint auctores. 578.
Ephemera febris unde. 307. 349. 350.
Epigennema quid. 297.
Epilepsia qualis affectus. 168.
—— unde. 365. 366.
—— ut appellanda. 428.
Epilepsiæ species. 437.
Epilogismus quid, & ejus utilitas. 152.
Episynthetica sectæ auctores. 276.
Erasistrati de valetudine, deque invaletudine corporis opinio. 227. & seq.
—— sectatores physicas rationes aspernabantur. 229.
Erasistratus invenit vasa lactea. 51.
—— ratiociniis valde deditus. 229.
—— sanguinis missionem, & purgationem vilipendebat. *ib.*
—— quare. 230.
—— ut Anatomiam instituit. 50.
Essentia quid. 424.
Eucrasia quid. 292.
Evestrum quid. 411. 452.
—— ejus potentia incomparablis. *ibid.*
Evexia quid. 292.
—— duplex. 293.
Evidentia, & non abdita, rimabantur Empirici. 153.
Eurus ubi in homine. 413.
Excernendi actus qui peragatur. 330.
Excrementorum secretionis causa quæ. 587.
Excretiones alvi continuæ unde. 329.
—— & alia vitia. *ibid.*
—— corporis quantæ in dies. 556.
Excretionis negotium in quo consistat. 592.
—— utilitas. 591. & seq.
Exercitationes celeres qui. 131.
Exercitationis quis finis. 133.
Exercitationum utilitas. 317.
Exercitiorum corporis enumeratio. 128. & seq.
—— divisio. 129.
Exesio ulceris unde. 469.
Exhalatio insensibilis veteribus nota. 251.
Experientia quæ? 145. & seq.

F.

FAcultas juxta *Hippocratem* quæ. 81. 185.
—— *Aristotelem*. 82.
—— *Sylvium*. 83.
—— medicamentorum quo pacto ad calculum reducenda. 351.
Facultatem naturalem vel animalem negarunt *Asclepiadis* sectatores. 85.
Facultates animales quot. 347.
—— corporis a quibus alterentur. 449.
—— medicamentorum qui explicavit *Diocles*. 216.
—— naturales quot. 347. 363.
—— negavit *Asclepiades*. 253.
Facultatum numerus. 83.

Fames quid. 417.
Famis cauſſa quæ? 88.
Febres continuæ unde. 517.
—— continuæ quot. 306.
—— intermittentes quot. *ibid.*
—— unde. 517.
—— ex putredine. 267.
—— quomodo a ſe mutuo diſtinguantur. 482.
—— quæ magis moleſtæ. 483.
—— quomodo ſolvendæ. 561.
—— unde juxta *Nonium*. 338.
—— unde ſecundum *Dioclem*. 214.
Febris a purgatione cur exoriatur. 357.
—— *acmaſtica*, *anabatica*, *epacmaſtica*. 307.
—— ardens unde. 334.
—— cauſſa ſecund. *Eraſiſtratum*. 228.
—— diariæ cauſſa. 346.
—— Hecticæ ſedes. 334.
—— juxta *Helmontium* quid. 482.
—— malignæ generatio. 385.
—— malignæ notæ, ſedes. 384.
—— natura explicatur. 606.
—— quando nulla. 437.
—— ſedes. 337. 482.
—— unde juxta *Aſclepiadem*. 255.
—— unde, & quid? 198. 560. 436. 437. 500. 306. 349. 350. 358. 359. 361. 366. 428. 605. 517. 359.
Febrium cauſſa duplex. 482.
—— cauſſæ juxta *Platonem*. 212.
—— curatio in quo ſita. 350.
—— genera quot. 366. 367.
—— initium ubi juxta *Praxagoram*. 218.
—— materia ubi. 337.
—— origo. 290.
Fel peculiari fermento præditum. 470.
Fellis utilitas. 469.
Fermenta duplicis generis. 463.
Fermentatio, quid. 507.
—— ſanguinis naturalis & præter naturam. 509.
—— ſanguini nulla ineſt. 554.
Fermentatione acidi & alkali plerique morbi fiunt. 495.
Fermentationis facultas quæ. 507.
Fermenti & ſeminis differentia. 463.
—— vis digerendi non ſita eſt in acore. 468.
Fermentorum potentia. 463.
—— ratione quælibet homini accidunt. 507.
Fermentum duplicis generis. 463.
—— pleriſque membris eſt. 508.
—— quid *Helmontio*. 461. 462.
—— ſeminale. 463.
—— ſtomachi quale. 468.
—— ventriculi aliqui ex mechanicis admittunt. 543.
—— ventriculi negat *Pitcarnius* & alii. 542.
—— vitale quid. 491.
Fernelius auctor morborum totius ſubſtantiæ. 367.
Ferri acido facta ſolutio an *alkalica* indolis. 571.
Fibra unde. 558.
Fibræ cerebri ſunt inſenſiles: contra Meningis. 532.
Fibrarum carnearum & membranacearum contractio unde. 534.
—— debita tenſio & laxitas quam utilitatem corpori afferant. 534.
—— efficientia qualis. *ibid.*
—— genera duo. 530.
—— robur cui tribuendum. 534.

Fidei

Fidei incredibilis potentia. 454.
Figura fluidorum quatenus vitiosa. 559.
Figurarum multa genera in homine. 185.
Firmamentum quid? 452. 407.
Flamma ſanguinis cujuſmodi ſit. 510.
—— vitalis unde. 504.
—— vitalis ut omnifariam a corporis habitu immutetur. 505.
Flammula qualis morbus. 436.
Flatus in corpore humano quot. 465.
—— plurimorum morborum cauſſæ ſunt. 371.
—— quid. 465.
—— unde. 330. 333. 364.
Flexibilitas corporis unde. 590.
Flexilitatis fluidorum nimia potentia. 559.
Fluida quis noſcat. 550.
—— vitiata egent auxiliis Mechanicis. 554.
Fluidi variæ conſiderationes. 559.
Fluidorum motus ut fiat. 550.
—— a quibus dependeat. 552.
—— proprietas quæ. 551.
—— ſecretiones abs quibus pendeant. 552.
—— vitiata qualitas quot modis contingat. 559.
Fluxiones humorum qui fiant. 199.
Fluxus juxta Methodicos deſcriptio. 161.
Folle pugillatorio inſtituta exercitatio qualis. 130.
Fœmina quid. 414.
Fœminæ quare ſingulis menſibus ſanguine abundent. 562.
Fœminis qualis ſitus uteri. *ibid.*
—— quanta menſtrua ſanguinis abundantia. 563.
Forma corporum quoties mutetur. 528.
Formarum cauſſa efficiens. 527.
Formicæ e melle, &c. 467.
Fragrantiæ poteſtas quæ. 356.
Frictio præparatoria. 134.
—— ut curioſe inſtituenda. 138.
Frictionis ſpecies quot. 137.
—— & unctionis differentia. 139.
—— utilitas. 263.
Frigidi facultas. 187
—— ſedes in homine. *ibid.*
Frigoris cauſſa. 301.
Frigus in febribus unde. 607.
—— quare extrema corporis corripiat. 523.
Frind carpit Chemiam. 537.
—— inconſtans eſt in propoſito. 538.

G.

Galeni ſtudia, pietas, &c. 284. 521.
Gangrænæ & Sphaceli differentia. 605.
Gariopontus qualis auctor. 365. 367.
Gas quid? 464.
—— ejus varia genera. 465.
Gaudium qualis affectus. 504.
Generari quid *Hippocrati.* 188.
Generatio rei in quo ſita. 445. 446.
Genethliaco quæ animadvertenda incumbant? 244.
Genethlogiæ vanitas. 238. & ſeq.
Genitales partes turgent fermento. 510.
Genitura quid. 63.
Geometria Medico ſcitu neceſſaria. 521.
Gerocomica quæ. 310.
Geſtationis genera. 263. & ſeq.
—— variæ ſpecies. 133.
Gigantes unde. 407. 422.

e Glacie qui morbi. 436.
Glandula *pinealis*. 525.
Glandularum compoſitio quæ. 549.
Gradus virtutum medicamentorum ut dimetienda. 351. & ſeq.
Grani progerminatio unde. 444.
Grembs qualis auctor. 490.
Gymnaſticæ auctor Herodicus. 128.
Gymnaſtis munia quæ. 134.

H.

HÆmorrhagiæ cauſſa. 602.
—— narium remedium ſuperſtitioſum. 125.
Hæmorrhoidum dolores unde. 469.
Hæreditarii morbi unde? 431.
Hali Abbas qualis in Medicina fuerit. 350.
Halterum uſus pro exercitio corporis. 132.
Hartmannus qualis in Medicina. 451.
Harvæi de generatione animalium ſententia. 64.
—— laus. 486.
Harvæus an ignoravit celeritatem circumactus ſanguinis 581. 583.
Hecticæ febris cauſſa. 366.
—— febris ſedes. 483.
Helcophagi vermes. 578.
Helena quæ didicerit in Ægypto. 613.
—— accepit plantas a Thone. 615.
Helenæ parentes. 611.
Helenium an Nepenthes, 619.
—— *Plinii*, differt a *Dioſcoridis* & *Galeni* Helenio. 619.
Hellebori uſus olim periculoſus. 19.
Helmontii doctrina. 461.
—— de principiis opinio. 39.
Hemicraniæ cauſſa. 366.
Hemitritæum cujus indolis. 280.
Hepar colorum auctor. 383.
—— quibuſcum conſentiat. 375.
Hepatis ab aggregatione ſpirituum morbus. 386.
—— officium. 347.
—— pulſus naturalis qualis. 393.
—— tartarus quos morbos efficiat. 432.
Heraclides Tarentinus Empiricus ratiocinatur. 151.
Heraclidi ſententia de Medicis. 179.
Herbaria in Re qui quondam inclaruerint. 127.
Herodicus Gymnaſticæ auctor. 128.
—— ab *Hippocrate* vituperatur. *ibid.*
Herophilus 4. pulſus genera ſtatuit. 221.
—— quo pacto Anatomiam inſtituit. 50.
Herophili ſectatorum ſtudia. 218.
Heterorhytmus quis pulſus. 224.
Hippocrates Clinicæ auctor. 7.
—— Medicinam a Philoſophia ſeparavit. 18. 182.
—— ejus laus, & præclara facinora. *ibid.*
—— donavit Appollinem effigie hominis ex ære. 56.
—— errorem ingenue confitetur. 97.
Hippocratis opera a quibus innovata. 186.
Hirbel quid? ejus ſpecies tres. 424.
Hirudinum uſus. 343.
Hiſtoriæ juxta Empiricos deſcriptio. 146.

Homine moriente quo loci singula abeant. 189.
Hominem quæ res lædant. 188.
Homines quare forma sint dissimiles. 415.
Homini duplex corpus. 453.415
Hominis cum mundo analogia. 413. 414.
—— parentes qui. 453.
Hominum & bestiarum ventriculi fermentum est diversum. 468.
Homo e quibus compositus. 189.
—— non ex unico principio constat. 61.
—— duos habet spiritus. 418.
—— ex duobus contrariis constat. 338.
—— ex iisdem principiis ortus, ut Mundus. 235.
—— idem interitus. 236.
—— infrequentibus & paucis morbis obnoxius. 599.
—— minor mundus. 374.
—— quare doloribus obnoxius. 300.
—— quare sæpius quam bruta ægrotet. 599.
—— qui possit cœlo dominari. 454.
—— qui possit lapidescere. 480.
—— quid. 416.
—— unde. 413.
Homunculus *Paracelsi*. 422.
Humidi radicalis diversitas. 374.
—— pulsus ubi. 373.
—— vasa quam longa sint. 371.
—— progressus quantus intervallo unius respirationis. 378.
—— varietas. 382.
—— viæ. 379. 383.
—— quid efficiant. 383.
Humidum *radicale* quæ mala corpori inferat. 383.
—— *radicale* quid. 444. 492.
—— *radicale* triplicis generis est. 370.
—— ubi locorum moretur. *ibid.*
Humor dulcis homini maxime conveniens. 185.
Humorem in arteriis esse negat *Praxagoras* 216.
Humores aliter in juvene ac sene moventur. 552.
—— corporis, dempto sanguine, sunt *Galeno* ut excrementa. 288.
—— corporis qua anni tempestate in primis: & quomodo ex alimentis generentur. 197. 198.
—— corporis qui generentur non esse Medici investigare. 226. 229.
—— corporis ut fiant. 548.
—— a purgantibus immutantur. 260.
—— per quæ loca excernantur. 198.
—— quatuor juxta *Paracelsum*. 416.
—— qui depraventur. 302.
Humoris causa. 301.
—— intestini vitiati signa. 384.
Humorum corporis sedes. 197.
—— XI. nominationes secundum *Praxagoram*. 217.
—— quatuor corporis natura. 300.
—— secretiones ut fiant. 551. 587.
Hydrocephalus unde. 277.
Hydrophobia morbus novus. 105.
—— qualis affectus. 168.
—— unde. 273. 364.
—— ejus curationis ratio. 273.
in Hydrophobia quæ partes afficiantur. 205.
Hydropis causa. 255. 437. 199.

Hypotheſes *Aſclepiadis*. 250. & ſeq.
Hypochondriaci affectus cauſſa. 214.

I.

IActus, ut fiebat in gymnaſio. 131.
Iatroliptice a Prodico inventa. 23.
Icterus unde. 269.
Idea imaginationis, &c. eſt duplex. 474.
Ideæ *Archæi*. probantur. 473.
——— morboſæ. 477.
Ideam indignationis concipit. *Archæus*. 482.
Idearum fons ubi. 473.
——— potentia. 474.
——— tria genera. 473.
Ideas eſſe ſpiritus. 273.
——— innatas inficiati ſunt *Aſclepiadis* ſectatores. 251.
Ideſtrum quid? 434.
Iecoris affectiones unde. 334.
——— morbi quod indicium. 109.
——— primordium. 288.
Iecur qualia ſecernat. 592.
ex Igne & aqua cuncta *Hippocrates* dixit orta. 186.
ex ——— quæ producta. 407.
Ignis duplex. 490.
——— proprietates. 491.
——— ſingularis. *ibid.*
——— vitalis qualis & ubi. 500.
——— univerſalis unde. 491.
Iliadi periodi tres. 438.
Iliadum morborum auctor. 425. 435.
——— quid? eſt duplex. 410.
Iliaſtrum quid. 425.
Imaginatio eſt magnes. 454.
Imaginationis admirada poteſtas. 454.
Imitatione ut Experientia comparetur. 148.
Impetigo unde. 333.
Inæqualitas temperamenti medicamentorum in quo conſiſtat. 351.
Incolumitas corporis in quibus ſita. 557.
Incubi unde. 422.
Incubus qualis morbus. 281.
Indicatio generalis quæ. 311.
——— ſingularis. *ibid.*
——— quid. 312.
——— ut inſtituenda. 166.
Infantibus non ineſt ſpiritus. 419.
Infantium morbos ut *Chinenſes* explorent. 400.
Inflammatio quid. 603.
——— quomodo producatur. *ib.* 196.
Inflammationis accidentia explicantur. 604.
Inflammationum genera, cauſſæ. 308.
Influxus humorum quatuor affectus producit. 308.
Innatum animæ brutæ quid. 504.
Inſania qualis affectus. 168.
——— unde. 279.
Inſanorum deliria unde. 623.
Inſanorum & mentis compotum differentia. 532.
Inſecta quæ. 574.
Inſectis eſt anima ignea. 504.
Inſectorum duo genera. 575.
——— generatio unde. *ibid.*
——— non fortuita. 576.
Inſomnia portendunt vitia corporis. 312.
Inſtrumenta Mechanica inſunt in homine. 529.
——— vitæ quæ. 591.
Intemperies { cum materia / ſine materia } quæ. 346.
——— quid & quotuplex. 295.
Inteſtinorum tartarus quos morbos producat. 431.
Inſtinctus naturalis quid. 505.

Interitus membrorum quid. 407.
Intermiſſio febrium unde. 517.
Inventionis inſtrumenta duo. 284.
Ira quomodo fiat. 504.
Iracundiæ ſedes. 291.
Iſaacus Iſraëlita pater & filius. 359.
Iſis Medicinam calluit. 3.

K.

Κόπος qualis affectus. 317.

L.

LAc unde. 348.
Laconicum quale balnei genus. 139.
Lactea vaſa qui invenerunt. 486.
Laringotomia an ab *Aſclepiade* inventa. 257.
Laſſitudinis genera. 318. 134.
——— proprium. *ibid.*
Laſſitudo qualis affectus. 317.
Latex quid *Helmontio*. 475.
Laticis proprietas. 476.
——— utilitas. 475.
Leſſas quid. 462. 411.
Leptomeres quid. 252.
Lethargia unde. 167.
Lethargus quid. 277.
Leuwenhoeckii de generatione animalium ſententia. 64.
Lichene morbus novus. 105.
Lien cogitationis fons. 473.
——— quibus conveniat. 376.
Lieni eſt fermentum vitale. 468.
Lienteriæ cauſſa ſecundum *Dioclem.* 215.
Limbus quid *Paracelſo*. 413. 414.
Lippitudinis remedium ſuperſtitioſum. 125.
Liquor nervoſus unde & ubi. 512.
——— probatur dari. *ibid.*
——— nutritius qualis. 513.
Liquoris copia impedit digeſtionem. 542.
——— nervorum influxus ut fiat. 536.
——— nervoſi munia. 513.
Localia adjutoria quæ. 172.
Lotium ubi generetur. 328.
Lues venerea habetur pro morbo novo. 106.
Luna affectus corporis moderatur. 316.
——— quid ſit. 408.
——— ſali moderatur. 409.
——— vitæ animalium dominatrix. 236.
Luxati membri remedium ſuperſtitioſum. 125.
Lymphæ indoles quæ. 500. & ſeq.
——— utilitas. 501.
——— vaſa qui invenerunt. 486.
Lymphaticorum vaſorum ortus ubi. 548.

M.

Macer qualis auctor. 365.
Magi veri quid poſſunt. 456.
Magia olim Medicinæ conjuncta. 124.
Magiæ laus & vituperium. 124.
——— qui ſtudioſi. *ibid.*
Magnetis potentia unde. 253.
Malignarum febrium ſedes. 483.
Malignitatis duæ ſpecies. 385.
Mancipia ſana ut dignoſcenda. 364.
Marcaſita ubi in corpore ſeparetur. 421.
Marcellinus qualis auctor. 361.
Marcor quid. 313.
Maſtach quid. 627.
——— vires. 626.
Materia eſt duplicis generis. 526.
——— noſcendorum corporum quæ. 461.
Materiæ natura. quæ. 526.

Materia ſubtilis omnis generis actuum auctor eſt. 524
Materiæ ſubtiliſſimæ potentia. 524.
Mathema quid. 520.
Mathematicæ artes quæ. 520.
ex Mathematicis, qui male audiant. 522.
Matricis affectus unde. 361.
Mayow qualis in doctrina. 275.
Mechanica quid. 521.
Mechanicorum dogmata quædam. 518.
Mechanicus quis. 521.
Meconium qua ratione fiat. 622.
Medendi methodus Chinenſium. 388. & ſeq.
Medicamenta cujus ratione operentur. 484.
—— duplicis generis. 456.
—— humorem aliquem ſingulariter educentia negarunt aliqui. 316.
—— ſingulares humores educentia ſtatuit *Hippocrates*. 201.
Medicamenti encomium. 109.
Medicamentis an ſit potentia ſingularem corporis humorem attrahendi? 88.
Medicamentorum compoſitio quot modis fiat. 252.
—— quatuor genera. 354.
—— facultates ut explorandæ. 570.
—— ſingulares vel *ſpecificas* virtutes adſtruit *Galenus*. 317.
—— vires quo modo explicantur. 113. 116.
—— vires *ſpecificæ* unde. 319.
—— uſum an improbavit *Aſclepiades*. 259.
Medicamentum debet immutari, priuſquam efficientiam exerere valeat. 457.
—— quid. 348. 354. 355. 456. 201.
—— quodnam ſit inutile. 440.
—— ſalubrius quodnam. 356.
—— *ſymmetrum* quod. 114. 116.
—— temperatum quodnam. 351.
Medicaminum ſingularem humorem educendi virtutem negabant Methodici. 175.
Medicatio hominis in quo ſita. 300.
Medicina ab initio ſimplex. 18.
—— an ſtudium illiberale? 10.
—— circa quæ verſatur. 457.
—— ex inſomniis etiam incrementum cepit. 8.
—— eſt ſita in Mechanica. 526.
—— primum in experimentis poſita. 144.
—— quare imperfecta. 358.
—— quare non cum artibus liberalibus annumerata? 12.
—— quid? 20. 183. 346.
—— quomodo tractanda. 496.
—— vera in quo ſita. 456.
Medicinæ contemptus unde? 94.
—— diviſio. 21.
—— finis quis. 353.
—— finitio juxta *Themiſonem*. 158.
—— inventores qui? 2.
—— non opus eſt Fortuna. 184.
—— vocabuli duplex ſignificatio. 19.
Medicinam oportet Sapientiæ jungere. 59.
Medici an ubique gentium extiterint? 9.
—— eſt advertere cauſſam adventitiam. 483.
—— & œnopolæ idem fere munus. 507.
—— imperiti ſunt dæmones. 425.
—— mu-

—— munus circa Therapiam. 567.
—— naturales, *ſpecifici*, *Characterales*, ſpirituales & fideles, qui? 439. & ſeq.
—— officium. 455. 184 390. 180. 311. 353.
—— peculiaribus corporis affectibus olim medicabantur. 10.
—— vocabulum generalem ſignificationem habuit. 14.
—— ægrotantem curaturi, officium quod. 195.
Medico quæ ſcitu neceſſaria. 497. 180.
Medicorum genera quinque. 439.
—— rationalium ſynonyma. 180.
Medicum unde oportet naſci. 455.
Medicus a quibus debet ſe abſtinere. 184.
—— practicus ad quod incumbere debeat. 53.
—— quando ſit celebritatem conſecuturus. 195.
—— quis inclytus. 455.
—— quid. *ibid.*
—— rationalis quis. 311.
Medullæ tartari morbi qui. 431.
Mejunt tantum qui. 417.
Melampus purgandi rationem invenit. 19.
Melancholia qualis affectus. 168.
—— unde. 336.
Meleoſinia unde. 407.
Meliſſi opinionem redarguit *Hippocrates*. 189.
Meliſſus ſtatuit unum elementum. 62.
Membra corporis quinque principalia. 375. & ſeq.
—— horum generatio. 377.
Membranarum origo. 433.
—— officium quale. *ibid.*
Membranacearum fibrarum origo quæ. 530.
Membro cuique ſuum eſſe colorem, odorem, &c. 383. & ſeq.
Membrum quodvis decem modis afficitur. 386.
Menecratis Syracuſii ſuperbia. 98.
Meninges utræque ad vitam neceſſariæ. 532.
Meningis duræ potentia. 531. & ſeq.
Meningum elater abs quo excitetur. 532.
Meninx dura quid. *ibid.*
—— eſt corde fortior. *ibid.*
Menſes anni ut obſervandi ratione calidi primigenii & humid. rad. 382.
—— cur prorumpant. 562. 563. & ſeq.
—— ſtata tempora ſervent. 564.
—— quare ſupprimantur. 566.
—— unde, & quo modo propellantur. 594.
ex Menſtruo quæ inſecta. 421.
Menſtruali ſanguinis profluvio laborant viri aliqui & ſimiæ. 564.
Menſtruum, venenum eſt perniciоſum. 421.
Mentis domicilium eſt anima ſentiens. 471. 472.
—— nutrimentum quod. 192.
—— ſedes ubi. *ibid.*
Mercurii deſtillati, præcipitati & ſublimati morbi qui. 427.
—— gravitas ſanguine decuplo major. 569.
—— in homine tres ſpecies. 409.
—— parentes. *ibid.*
—— proprietas quæ. 409 426.
—— vires unde. 569. & ſeq.
a Mercurio qui morbi. 436.
Mercurius *cremoſus* quid. 459. & ſeq.

—— *Pneumoſus* quid. 459. & ſeq.
—— præcipitatus quid. 459. & ſeq.
—— quales morbos generet. 426.
—— quid. 406.
—— reſolutus ubi excernatur. 424.
—— ſublimatus quid. 459. & ſeq.
Meri potentia. 519.
Meſenterii conſideratio in curandis morbis. 567.
Meſuæ dogmata. 355.
—— filius. 358.
Metalla ſeptem ubi in homine. 447.
Metaſyncriſis quid. 171.
Metaſyncritica remedia quæ. 172.
Metaſyncriticus circulus quomodo inſtituebatur. 174.
Metempſychoſis quid. 274.
Meteora quid ſint in homine. 447.
Methodica ratio quæ? 158.
Methodicæ ſectæ auctor *Themiſon*. 158.
—— & in ea, qui inclaruerunt. 159.
Methodici affectabant vocabula involuta. 171.
—— crebro adſtringentibus utebantur. 173.
—— quidem inter ſe diſſentiebant. 176.
Methodicorum axiomata ratione curationis. 167.
—— & *Scepticorum* conſenſio. 166.
—— ſectæ fundamentum. 23.
Mineralia varia conveniunt de potentia cum affectibus corporis. 447.
Mixtio fit trifariam. *ibid.*
Mixtionis ratio. 446. & ſeq.
Moles æqualis muſculorum, æqualem fibrarum numerum habet. 546.
—— fluidorum vitioſe conſtituta, quæ mala inde. 559.
Monita quædam *Hippocratis* circa praxin. 201.
Monopagiæ cauſſa. 365.
de *Moor* dogmata quædam. 581.
Morbi acuti qui. 197.
—— aggregationis ſpirituum quinque. 386.
—— cauſſa juxta *Aſclepiadem*. 254.
—— definitio juxta *Galenum*. 294.
—— & mortis differentia. 478.
—— in ſimilaribus partibus quot. 367.
—— occulti qui & quot. 368.
—— per conſenſum. 206.
—— periculoſi qui? 531.
—— plerique ratione motus accidunt. 600. & ſeq.
—— proprium. 297.
—— quinam facile, qui difficulter, curentur? 387. & ſeq. 567.
—— qui veteribus incogniti. 104. & ſeq.
—— quinque modis progignuntur. 385.
—— quo nomine juxta *Paracelſum* nuncupandi. 427.
—— quot. 477.
—— ſinguli ſingula corpora corripiunt. 600.
—— ſubjectum quod. *ibid.*
—— tempora quot. 280.
—— totius ſubſtantiæ qui. 367. & ſeq.
—— & quoteni. *ibid.*
—— trifariam tendunt ſeu ad mortem ſeu ad ſalutem. 313.

—— variæ definitiones. 100. 102.
—— varii nunc ignoti. 109.
—— unde. 214. 455. 495. 338.
—— unde ſecundum Ægyptios. 209.
Morbis decem quodlibet membrum eſt obnoxium. 386.
Morbo cuique ſua anima. 494.
—— cuique ſua medicina. 455.
Morborum cauſſæ quæ. 196. 197. 198.
—— cauſſa efficiens. 476. & ſeq.
—— curatio ut inſtituenda. 450.
—— differentia ratione loci accidit. 195.
—— diſcrepantia unde. 495.
—— duo genera. 477. 531. 425.
—— duo genera profuerunt Methodici. 161.
—— epidemicorum cauſſa. 200.
—— ex *ente* naturali quatuor genera. 425.
—— genera quot *Hippocrati* cognita. 196.
—— præſagium bonum quod. 314.
—— primordia tria. 198.
—— quot genera. 101. 294.
—— ſedes. 478.
—— ſpecies quot. 455.
—— tempora juxta *Galenum*. 312.
—— tempora quatuor. 163.
—— tria genera. 558. 448.
Morbus compoſitus & ſimplex qui? 296.
—— eſt flagellum. 424.
—— purgatorium. 425.
—— nullus ſine cauſſa. 203.
—— nullus ſine veneno. 424.
—— primus unde. 435.
—— quid. 296. 299. 300. 476. 348. 160. 600. 150.
—— quid juxta *Hippocratem*. 195.
—— unde ad mentem *Chinenſium*. 382.
Mori hominem crebro die impari. 202.
Motio corporis ut fiat. 513. & ſeq.
—— gemina in corpore. 533.
Motores partium ſunt duo. 531.
Motus articulorum ut contingat. 539.
—— cauſſa princeps quæ. 527.
—— momentum quale. *ibid.*
—— natura. *ibid.*
—— corporis explicandi cauſſa *Williſius* ponit duplicis generis res. 514.
—— corporis voluntarius qui fiat. 585.
—— eſt primum rerum principium. 526.
—— naturalis cauſſa. 466.
—— omnimodos memorat *Sthalius*. 601.
—— partium abs quo pendeant. 532.
—— partium longinquarum ut fiat. 534.
—— quid. 591.
—— ſanguinis quot modis contingat. 553.
—— *ſyſtalticus ſucceſſivus* & *reflexivus*. qui? 553.
—— *tonici* ſpaſtici & *convulſivi* differentia. 595.
—— *tonicus* omnifariam immutatur. *ibid.*
—— *tonicus* quis. 594.
—— voluntarii cauſſa quæ. 466.
Mucus cujus generis, & unde. 475.
Muliebrium morborum cauſſa quæ. 169.

Mulieres a viris Tartarum concipiunt. 430.
Mumia quid. 444. 440.
Mumiæ incredibiles virtutes. 440.
—— omnia insunt. *ibid.*
Mundi majoris cum minori conformitas. 374.
—— redintegratio ut facta. 236.
Mundus totus verminosus. 577.
Mures, ex indusio in tritici cumulo asservato. 467.
Musculi contractio quomodo fiat. 513.
—— cordis potentia quanta. 547.
—— motus initium ubi. 536.
—— primordia quæ. 535.
—— sunt distenti. 593.
—— vis ut dirigatur. 536.
Musculis est gemina potentia. 535.
—— quatuor genera motus. 292.
Musculorum contractio propria & voluntaria quæ. 535.
—— quomodo fiant. *ibid.*
—— distensio quando valida. 586.
—— motus difficilis est declarare. 536.
—— motus unde. 275.
—— potentiam indagandi modus. 546.
—— tria genera. 535.
—— cujusvis munia. *ibid.*
Musculus ut tumescat & flaccescat. 585.
Mutabilitatis corporum caussa secundum *Asclepiadem.* 315.
Mutationes morborum qui cognoscendæ. 314.
Mutationum corporum septem gradus. 458.
Mysterii magni divisio. 406.
Mysterium magnum quid. 405.

N.

NÆvi materni unde. 454.
Nani unde. 407.
Natura Mathematico quovis subtilior. 537.
—— quid? 41.
—— & non remedium, morbum expellit. 456.
Naturalia quæ. 147.
Naturam vilipendebant Methodici. 167.
præter Naturam quæ. 362.
Necessitas mechanica quæ. 551.
Necromantiæ auctores qui. 274.
Neoptolemus sensit ex Philosophia degustandum. 59.
Nepenthes erat re vera pharmacum. 615.
—— quid. 613.
—— an allegorice interpretandum. *ibid.*
Nepenthis potentia. 611.
Nervi punctura quæ mala inferat? 560.
—— unde oriantur juxta *Praxagoram.* 216.
Nervorum compositio & alimentum. 227.
—— distentus quare sæpius fœminas corripiat. 269.
—— humor qualis. 535. 555.
—— origines. 342.
—— vitia. *ibid.*
Nervus quid. 534. 585.
—— habet cavitates. *ibid.*
—— unde. 558.
Neusereni unde. 407.
Nicolaus Myrepsus quæ scripsit. 361.
e Nitro quæ ægritudines. 436.
Notiones bestiarum acquisitæ ut fiant. 505.
—— rerum nobis sunt ingenitæ. 453.
Novenario de numero mira com-

commenta *Chinenſium*. 374.
Numerum parem aut imparem dierum in Medicina faeienda ſedulo obſervavit *Hippocrates*. 202.
Nutricatio quid. 552. 591.
—— ejus & ſecretionis differentia. *ibid.*
Nutrimenti natura. 416.
Nutrimentum nobile, vel ruſticum, quod. 408.
Nutrimento duplici indiget homo. 493.
Nutritio ut fiat. 85. 513.
Nutritionis utilitas. 591.

O.

OBſervanda quænam in Medicina. 184.
Occaſus in homine ubi. 413.
Octavius Horatianus qualis in Medicina. 360.
Odium unde. 419.
Odor alicujus rei quid ſignificet. 570.
Odoribus Medicamentorum vires potiſſime ſunt tribuendæ. 485.
Oedematis cauſſa. 333.
Oenopiæ radix an Nepenthes. 620.
Oœnotheros radix an ſit Nepenthes. 619.
Oleum quare interdum urinæ ſupernet. 328.
Overkamp doctrina qualis. 496.
Opii virtus. 628. & ſeq. 450.
Opiſthotonus quid. 343.
Opium an Nepenthes. 621. & ſeq.
—— quomodo fit. *ibid.*
Opprimechtiolum quid. 438.
Opus quid. 83.
Orbis ſigniferi convenientia cum homine. 241.
Organa motus & ſenſuum quæ. 512.
Organicarum partium morbi qui. 295.
—— partium morborum cauſſæ. 303.
Oribaſius qualis erat in Medicina. 332.
Oriens in homine ubi. 413.
Orificia vaſorum more circulorum diſpoſita. 549.
Oris tartarus quales morbos producat. 431.
Os fœtidum quid ſignificet. 365,
Oſſa & venæ a quo afficiantur. 423.

P.

PÆdotribæ munia quæ. 134.
Pagoycum ens. 423.
Palæſtræ ſpecies. 133.
Palladius qualis in Medicina. 338.
Palpitatio unde. 309.
Pamphili in deſcribendis plantis vanitas. 127.
Pancratium quid. 133.
Pancreatis ductum quis invenit. 486.
—— ſucci compoſitio quæ? 499. 501.
—— ſucci efficacia. 498. & ſeq
Pani ſanguis, caro, &c. taliter reapſe inſunt. 415.
Paracelſus qualis doctrina fuit. 404.
—— vocabulis abutitur. 438.
Paracelſi de principiis opinio. 38.
Paralyſis cauſſa. 336. 229.
—— quid. 484.
Paremptoſis unde. 228.
Paronychia unde. 495.
—— ejus remedium. *ibid.*
Parorhytmus quid. 224.

Partes corporis extremæ cur in Cholera convellantur, &c. 523.
Partibus corporis quid proprium. 308.
Particularum in ſanguine varietas ubi. 549.
Paſſio quid. 294.
Paſſivum ab activo in morbis diſtinguendum. 600.
Paulus Servita valvulas in venis obſervavit. 486.
Pediculi, &c. e ſudore. 467.
Pelopis jactantia. 203.
Penates qui. 452.
Periodorum febrium varietas unde. 437.
—— varietas unde. 326.
Periodus quid. 322.
Peripneumonia qualis affectus. 168.
in Peripneumonia quæ pars afficiatur. 205.
Perire quid *Hippocrati*. 188.
Perſpiratio quanta de die in diem. 556.
Perſpirationis & alvi egeſtionis comparatio. 561.
Peſtis quæ omnium atrociſſima. 273.
—— unde. 438.
Philagrius qualis auctor. 334.
Philaretus qualis. 270.
Philoparabolos quid. 262.
Philoſophi Medicinæ rationalis auctores. 16.
—— veteres de cauſſis morborum diſſeruerunt. 181.
Philoſophia quid? 25.
—— Medicinæ quondam conjuncta. 16.
Philoſophiæ *corpuſcularis* reprehenſio. 537.
—— partes, 26.
Philoſophorum de elementorum numero variæ opiniones. 31. & ſeq.
—— de ſeminis generatione variæ opiniones. 63.
Philumenus qualis auctor. 334.
Phlegmone quid, cauſſa, &c. 307.
in Phreneſi an vena incidenda. 258.
Phreneſis qualis morbus. 168.
—— unde. 359.
Phrenitidis cauſſa. 336. 366.
Pneumatica ſecta. 266.
Pneumaticorum placita. 266.
Piæ matris conditio quæ. 533.
Pilarum variæ ſpecies pro exercitatione. 130.
Pituita cujus naturæ. 290.
Pituitæ generatio unde? 499. & ſeq.
Πιτυλίζειν quid. 131.
Plagæ Telluris variant hominum mores. 193.
Planeta quilibet ſub ditione ſua habet pulſum peculiarem in homine. 414.
Planetæ quales morbos concitent? 243. 244.
Plantarum aliquarum convenientia cum morbis. 447.
—— vires ut addiſcendæ. 440.
—— virtus ſingularis unde. 356.
Platonici, quî vires medicamentorum ſunt interpretati. 122.
Platonis de morborum cauſſis opinio. 212.
Plenitudinem humorum inficiabantur *Methodici*. 166.
Plenitudinis morbi unde. 302.
Plethora quid. 303.
—— unde. 228.
—— quid noxii excitet. 601.
Plethoræ duo genera. 302. 303.
—— nota. 303.
Plethora an morbi cauſſa continens. 256.
Plethoram, & *Cacochymiam*, plu-

plurimorum esse morborum causſam, ſtatuunt Ægyptii. 210.
in Pleuritide quæ pars affecta. 205.
Pleuritidi quapropter pueri non ſint obnoxii. 269.
Plexus *reticularis* utilitas. 551.
Plumbo quot morbis *Paracelſus* auxilium attulit. 441.
Polybius venarum per corpus humanum diſtributionem memorat. 58.
Podagra quid. 434. 481.
Podagræ acceſſus, quæ adaugeant. 487.
——— curatio ut inſtituenda. *ibid.*
——— cauſſa. 366. 469.
contra Podagram amuletum. 337.
Pori foras intus, & intus foras ſpectantes. 525.
Porta vitæ juxta *Chinenſes*. 376.
Potentia quid ſit. 82.
Potentiæ *Hippocraticæ* quæ, & ubi ſint. 188.
——— vitales quæ & quot. 347.
Pouſſi qui. 622.
Præcepta quæ juxta Empiricos. 148.
——— quinque *Therapiæ*. 608.
Prædeſtinatio quid. 446. 411.
Prædictiones morborum juxta *Chinenſes*. 387.
Praxis Medica circa quæ verſatur. 346. 361. 497.
Preſſuræ ſanguinis laus. 581.
Preſſus ſanguinis efficientia. 581.
——— ſanguinis probatur. 582.
——— qui fiat. 583.
Principia *Chimicorum* quis primo invenit. 409.
——— corporis quæ. 285.
——— corporum quæ juxta *Aſclepiadem*. 250.
——— corporum quæ. 443.
——— non ſunt ſimplicia. *ibid.*
——— duo. 490.
——— qualem mutationem ſui ſubeant. 459.
——— rerum inteſtina duo. 373.
——— eorum efficacia. *ibid.*
Principium corporis vitale quod? 68.
——— quid. 27. & ſeq.
Prodicus Selymbriæ natus *Iatraleptices* auctor. 135.
Pueruli puellæve productionem quæ promoveant. 190.
Pulices, aſelli, &c. unde. 421.
Pulmo quibus reſpondeat. 376.
——— reſpirandi actu variam formam nanciſcitur. 544.
——— ſanguinem conficit. 544.
——— ſonum moderatur. 384.
Pulmonares vermes quod malum excitent. 577.
Pulmonibus in reſpiratione *Herophilus* quatuor motus genera tribuit. 280.
Pulmonis ab aggregatione ſpirituum morbus. 386.
——— pulſus naturalis qualis. 393.
——— tartarus qualis. 432.
Pulſandi facultatem arteriis inſitam ſtatuit *Praxagoras*. 217.
Pulſatio in capitis affectibus unde. 532.
Pulſu fit omnis motus. 527.
de Pulſu judicium *Celſi*. 224.
Pulſui *Chinenſes* medentur, & qua ratione. 390.
Pulſum tangendi modus. 399.
Pulſus cauſſæ quæ. 221.
——— celer quis. 398.
——— cuique viſceri proprius: qui ratione anni tempeſtatum ſit diverſus. 393.
——— cognitionis utilitas. 391.
——— convenientia cum corporis regionibus. *ibid.*
——— differentiæ & nomina utriuſque

usque manus. *ibid.*
—— cum regionibus corporis convenientia. 373.
—— dextræ quid significet. 392.
—— doctrinam mire amplificavit *Galenus*. 222.
—— & respirationis convenientia. 378.
—— extrorsum tendentes septem. 392.
—— introrsum tendentes octo. *ibid.*
—— lævæ quæ viscerum vitia & qualitates indicent. 392.
—— lethalis quis. 397.
—— mutatio in febribus unde. 523.
—— novem extraordinarii. 395.
—— qui appellentur. 397.
—— numero quindecim, & tres sub unoquoque elemento comprehendi. 392.
Pulsuum octo intestinorum nominationes & indicia. 395.
Pulsus quid. 414.
—— quid generatim indicent. 398.
—— quid significat. 271.
—— quinque vitiosi qui. 394.
—— quomodo contingat. 221, 267.
—— quot naturaliter intra diem fiant. 378.
—— sedecim monstrosi, qui & quid significent. 397.
—— septem in homine. 414.
—— sex mutationem subeunt. 392.
—— tardus quis. 398.
—— variæ variorum definitiones. 219. & seq.
—— unde. 471.
—— visceris alicujus naturalis ob quinque vitiosos pulsus decem mutationibus obnoxius. 394.
—— usu medicamenti ocyor, quid significet. 570.
Pulsuum inæquabilium nomina & declarationes. 222.
—— septem externorum nomina & significationes. 394.
Purgandi vis, quis auctor. 355.
Purgans medicamentum peculiares humores trahit. 356.
Purgatio ante triduum apud Ægyptios veteres interdicta 19.
—— per inferiora, quam per superiora, Naturæ magis congruit. 357.
Purgantibus non esse virtutem singulares humores educendi. 259.
Purgationem peculiarium humorum statuit *Galenus*. 316.
Pus quid. 604.
Pusla quid. 435.
Putredini quæ apta. 305.
Putredinis natura. 604.
—— tria genera. 306.
Putredo in quo consistat. 368.
—— unde. 305.
Putrefactio quid. 418.
Putrefactionis utilitas. 424.
Pylori dignitas. 469.
—— & fellis consensus. 469.
Pythagorici Medicinæ gnari. 17.

Q.

QUalitates compositæ quot. 286.
—— occultæ. 119.
—— primæ, secundæ, & tertiæ. 117. & seq.
—— ut explorandæ. 121.
—— quî secundæ per primas explicandæ. 122.
—— primæ vel simplices. 286.
—— principes ad quos corporis

ris humores divertant. 76.
——— principes non e re Medici. 416.
——— principes non esse morborum causſas. 187.
ex Qualitatibus primis binæ masculinæ totidemque fœmininæ. 491.
Qualitatum conjunctio ut fiat. 286.
——— numerus. 117. & seq.
——— principum auxilio vires medicaminum explicatæ. 113. & seq.
Quartana febris unde. 350.
Quartanæ sedes. 483.
Quatuor humorum natura & augmentum, &c. 213.
Quell-Sand est terra primigenia. 462.
Q. *Serenus*. 360.
Quotidiana febris unde. 366.
Quotidianæ febris sedes. 483.

R.

R *Abbi Moyses* qualis medicus. 351.
Rachitis morbus novus. 306.
Ramorum diametri quantæ sint magnitudinis. 549.
Ratio ubi. 291.
Ratiocinatio qui procedat. 152.
Rationalis Medicinæ fundamentum quale? 23.
——— Sectæ medicorum quis auctor. 180. 182.
Realgar in unoquoque elemento. 437.
Recidivus quando morbus. 313.
Rei cuique suus est æther. 524.
Remedia in tabulis suspensis olim tradebantur. 7. 8.
——— Magica varia. 125.
——— morborum ut inventa. 110.
Remediorum potentia quotenis modis inquirenda. 354.
——— vires qualitatibus primis dimetiuntur. 77.
Renes quales particulas secernant. 592.
——— quibus consentiant. 375.
Renum pulsus ubi dignoscendus. 393.
——— utilitas. 289.
Res naturales { quæ, quot, quare } 346. 362. ita appellentur. 362
——— non naturales, quæ & quot? 348.
Resolutio quæ. 279.
Respiratio quare fiat, variæ opiniones. 207. & seq.
——— quo modo fiat. 545.
Respirationes quot naturaliter intra XXIV. horas fiant. 378.
Respirationis causſæ quæ. 208.
——— utilitas. 290.
Resumptivus circulus ut a Methodicis solebat institui. 173.
Revulsio quid. 319.
Rhasis doctrina. 345. 351.
Rheumatismus quid. 601.
——— unde. 168. 361.
Rhythmus quid. 223.
Rigor fluidarum particularum. 559.
——— quid. 309.
——— unde. 267.
Rosa Sylvestris quibus profit. 111.

S.

S Agittarius delirii quid & ubi. 483.
Salernitana Schola qualia ratiocinia habeat. 365.
Sal ammoniacum quale. 500.
——— *calcinatum* quid. 459. & seq.
——— commune unde? elogium ejus. 492.

—— quales morbos producat. 426.
—— quid. 406.
—— quotenis modis immutetur. 427.
—— reſolutum. 459. & ſeq.
—— reſolutum ubi ſeparetur 424.
—— reverberatum. 459. & ſeq.
—— ſanguini ineſt. 509.
—— ſulphur & Mercurius plurimorum morborum cauſſæ. 426.
e Sale acuto qui affectus. 436.
Salia vel acida concoctionem ciborum impediunt. 542.
Salis in homine quatuor ſpecies. 409.
—— proprium quid. 409. 426.
—— reſoluti, reverberati, & *calcinati* morbi 427.
—— ſpiritus indurationis auctor. 433.
Saliva lachrymæ, &c. unde. 476.
Salivæ compoſitio quæ? 499. 501.
—— vaſa qui invenerunt. 486.
Salium actio quæ. 568.
Salſum ubi potiſſime in homine. 416.
Saltus, ut fiebant in Gymnaſio. 131.
Sanatio quid. 311.
Sanguinarii vermes quæ mala inferant. 578.
Sanguinem conficiens facultas ubi. 328.
in Sanguine ſunt *fermentationes* geminæ. 509.
Sanguini duplex motus. 582.
Sanguinis circuitus cœlorum converſioni reſpondet. 378.
—— circuitus quomodo ad mentem *Chinens. ibid.*
—— circuitus ſchema juxta *Chinenſes*. 380.
—— circumactus ut fiat. 547. & ſeq. 594.
—— color & motus unde. 510. 509.
—— compoſitio qualis. 288.
—— conſtitutio bona facit ad intelligentiam. 192.
—— depravati correctio qui inſtituenda. 372.
—— in diſtans eruptio unde. 582.
—— diſtributio per corpus ut fiat. 339.
—— fluor, vis nutriendi, unde. 289.
—— intra vaſa circumactus quantam intra diem longitudinem expleat. 378.
—— læſio unde. 423.
—— in miſſione quænam obſervanda. 258.
—— miſſio quando inſtituenda. 569.
—— miſſionem cur *Chinenſes* vilipendant. 371. 389.
—— miſſionem quare Ægyptii utilem judicant. 210.
—— miſſionem qui aſpernati 225. 230.
—— miſſionem quis primum monſtravit. 111.
—— miſſionis uſus. 343.
—— momentum reſpectu cordis quantum. 547.
—— motus *progreſſivus* ut fiat. 593.
—— officina ubi. 470.
—— profluvium quot modis contingat. 309.
—— ſubtilitas qui fiat. 340. 548.
—— *transfuſio*. 489.
—— utilitas. 288.
Sanguis animatus. 510.
—— beſtiæ an expediat in venam

nam hominis immittere. 489.
—— cur lenteſcat. 566.
—— efferveſcit trifariam. 509.
—— quando plurimum incaleſcat. 596.
—— e quibus. 508. & 509.
—— quibus in affectibus juſto fluidior. 496.
—— quid. 494.
—— quomodo e corde expellatur. 547.
—— quomodo in arterias propellatur. 584.
—— quotenis modis moveatur. 553.
—— ubi efferveſcat. 508.
—— vino eſt quodammodo ſimilis. 509.
Sanitas quid? 69. 100. 292.
—— de ea variæ opiniones. *ibid.*
—— in quo ſita. 160. 292. 558.
—— unde juxta *Chinenſes*. 371.
—— unde ſecundum *Aſclepiadem*. 254.
—— unde. 300.
Sanus quando homo. 197.
Sapientia humana unde. 452.
—— triplex homini. 419.
Sapientiæ ſtudium quodnam cœcum. 445.
Sapor quid indicet. 570.
Sapores octo. 354.
Saporum ope *Avicenna* declarat temperies. 77.
Saturni invidia admirabilis. 420.
Saturnus omnium morborum auctor. 420.
—— quales mores efficiat in homine. *ibid.*
Scabiei cauſſa. 469. 333.
Scarificationis uſus. 343.
Scayola quid. 408.
Scheunemanni doctrina. 458.
Scholæ Medicorum ubi quondam præclaræ? 8.
Scientia homini eſt duplex. 415.
—— quo pacto acquirenda. 284.
Scorpiones e planta Baſilico. 467.
Scribonius Largus quæ ſcripſit. 361.
Secretiones diverſæ in homine cui referendæ. 418.
—— in corpore ut fiant. 253.
Secretionis in corpore utilitas. 591. & ſeq.
—— negotium in quo conſiſtat. 592.
Secta quæ. 22.
Sectarum auctores qui? 23.
—— in Medicina quot? 22.
—— trium { Character. / Conſenſus qualis. 166. 165. / diſcrepantia. 163.
Sedimenta diverſa urinæ unde. 329.
Semen genitale an utrique ſexui ſit. 267.
—— genitale duplex utrique ſexui. 190.
—— genitale eſt inconſpicuum. 415.
—— genitale quid. 510.
—— { quid. 63. 445. / animalium unde. *ibid.* & 190.
Semina elementis cohærent. 445.
—— ſunt inconſpicua. 445.
Seminalis fermenti efficientia. 511.
Seminis æquipollentia vocabula. 445.
—— genitalis profluvium unde. 337.
Seminum potentia. 448.
Senectus quid. 309. 310.
—— ut procraſtinanda. 310.

Sennertus adverſatur *Fernelio* in doctrina de morbis totius ſubſtantiæ. 369.
Senſatio ut fiat. 533.
Senſuum fons eſt ſtomachus. 472.
——— officina. 525.
Septenarii numeri præſtantia. 213.
Septentrio ubi in homine. 413.
Serum ſanguinis cujuſmodi ſit. 596.
Severinus Petrus doctrina præclarus. 442.
Siccatio per arenam. 141.
Siccitatis cauſſa. 301.
Sideratio quæ. 279.
Signatura ars quæ. 414.
de Signis Zodiaci commenta opinionum. 242.
Similares partes quæ 367.
——— ex quibus componantur. *ibid.*
Similarium partium morbi qui. 295.
Sirenes unde. 407.
Soda quid. 358.
Sol quid ſit ? 408.
——— Sulphuris gubernator. 409.
Solida corpuſcula morborum cauſſæ. 254.
Solidarum partium motus duplex. 593.
Soliditas fluidorum omnifariam conſtituta, quæ mala inde. 559.
Solidorum natura a poſteriori innoteſcit. 528.
——— naturam quis noſcit. 528.
——— quatuor ſpecies. 558.
——— vitia qualia. 559.
Solidum quid. 558.
Solium qualis vermis. 579.
Solutio continui unde. 304.
——— morbi quæ. 313.
Solutionis ſigna. 169.
a Somno quæ commoda. 587.
Somnus quando profundus. 587.
——— ut fiat. 253. 586.
Soporoſi affectus unde. 484.
Sorani nomine plures inclaruerunt. 330.
Soranus qualis auctor. 330. dogmata. *ibid.* & ſeq.
Spagyrus in ſtomacho. 493.
Spara quid. 434.
Spaſtica membrorum contractio unde. 515.
Spaſmus qualis morbus. 168.
——— quid. 595.
Spermatici vermes. 578.
Sphacelus unde. 605.
Spiritus animales bifariam moventur. 555.
——— animales cujuſmodi ſint. 555. 275.
——— animales qui afficiantur. 505.
——— animales unde generentur. 501.
——— animalis origo. 226. 231. 471.
——— animalis varietas. 340. 362.
——— uſus. *ibid.* 347. 362.
——— bifariam agunt. 512.
——— corporis quid ſint. 192.
——— corporis quot. 347.
——— duo in homine, alter voluntatis, alter rationis, auctor. 419.
——— errat aliquando. 471.
——— hominis quid ſint. 272.
——— hominis unde. 197.
——— in corpore humano quot. 339. 362.
——— minerales cujuſmodi ſint. 272.
——— naturalis quid. 418.
——— naturalis ubi fiat. 339.
——— ejus uſus. *ibid.*
——— nitro-aëreus. 275.

—— quando generetur in homine. 419.
—— generatur ex voluntate. *ib.*
—— quilibet turbari poteſt. 340.
—— quid. 447. 509. 511. 362.
—— quo pacto perficeantur. 511.
—— ſiderei ſynonyma. 452.
—— ſiderei virtus. 453.
—— ſidereus. 419.
—— vitæ in homine quid. 418.
—— vitalis geneſis. 340. 347. 362.
—— potentia. *ibid.*
—— qui mutetur in ſpiritum animalem. *ibid.*
—— vitalis qualitas & facultas. 471.
—— vitalis ubi conficiatur. 470.
—— ut varientur ratione anni menſium 382.
Spirituum affectiones naturales quæ & quot. 272.
—— animalium natura. 501.
—— animalium nutrimentum quod. 290. & ſeq.
—— copia ubi. 511.
—— differentia in homine. 419.
—— mechanicorum ſcientia. 445.
—— natura quæ. 511.
—— tria genera in homine. 291.
—— unde. *ibid.*
—— cordis ſiniſtrum ventriculum eſſe plenum ſtatuit *Chryſippus*. 225.
Splen digeſtionis præſes. 467.
Splenem fruſtra formatum judicavit *Eraſiſtratus*. 227.
Splenis munus. 342. 508.
Stahlii dogmata quædam. 588.
—— eruditio quanta. 609.
Stannar quid. 411.
Stellæ errantes cuinam corporis regioni dominentur? 241.
Stella hydropica. 438.
Stercoris indoles. 417.
Sterilitas ſeminum unde. 444.
Stimulorum operatio qualis. 568.
—— præpoſterus uſus. 569.
Stimulus quid. 567. & ſeq.
Stomocace morbus Romanis incognitus. 106.
Stomachi ab aggregatione ſpirituum morbus. 386.
—— pulſus naturalis qualis. 393.
—— tartarus quales morbos efficiat. 431.
Stomachus carnis ubi. 431.
—— maxime ſenſilis. 472.
—— morborum ſentina. 478.
Stranguriæ cauſſa. 469.
Stricturæ ſignæ. 169.
Studiorum literarum laus. 631.
Stupor digitorum unde. 471.
Sublunarium vis unde. 456.
Subſtantia tota quæ. 368.
Subſtantiæ tres præclaræ in univerſo. 373.
Succubi unde. 422.
Sudationis efficacia. 571.
Sudor Anglicus morbus novus. 106.
—— duplex. 420.
—— unde. 475.
Sudores præter naturam ſtatuit *Diocles*. 215.
Sudoris ſalſedo unde. 276.
Suffocatio quare in ſpecu, &c. homines adoriatur. 229.
—— uteri unde. 437.
Sulphur candidum ubi ſecernatur. 424.
—— coagulatum quid. 459.
—— congelatum quid. 459. & ſeq.
—— quales morbos efficiat. 426.

—— resolutum quid. 459.
—— sanguini inest. 509.
—— ubi secernatur. 424.
—— putrefactum ubi. *ibid.*
—— vitale quid. 444.
e Sulphure qui morbi. 436.
Sulphuri proprium quid. 409. 426.
Sulphuris in homine quatuor species. 409.
Supervacuum in corpore ad partes ignobiles amandatur. 308.
Sylvii dele Boe Doctrina. 497.
Sympathetica. curatio. 488.
Symptoma quid. 102. 348. 297.
Symptomata nihil indicare. 163.
Symptomatis genera. 298.
—— strictior significatio. 298.
Symptomatum species quot. 103.
Synanches qualis morbus. 168.
Syncrimata quæ? 160.
Συνδρομή quid Empiricis. 150.
Synnesis Cyprius venarum hominis ortum & progressum descripsit. 58.
Synocha febris unde. 366.
—— quæ. 306.
Synovia nusquam est solitaria nisi, &c. 481.
—— in plerisque membris. 434.
—— quid? 435.
Synoviæ potentia quæ. 434.

T.

TAbaci usus. 519.
Tackenii dogmata. 490.
Tænia vermis quid mali inferat. 579.
Tarantulæ virus quale. 273.
Tartarei morbi unde. 449.
Tartari Chronici, mansueti & prætereuntis natura. 429.
—— cognitio Medico necessaria. 431.
—— curatio in quo consistat. 433.
—— elementa. 429.
—— & calculi differentia. 479.
—— induratio unde. 430.
—— innati forma. 439.
—— species quot. 429.
a Tartaro præcautio. 432.
e Tartaro nullus morbus. 479.
Tartarum *Paracelsi* reprehendit *Helmontius*. 478.
Tartarus ciborum quo tendat. 430.
—— gemmæ, grandinis, pruinæ, & usneæ quis. 431.
—— mortalis omnium pessimus. 429.
—— potus natura. 430.
—— quid. 429.
—— quis majus aut minus periculum corpori minitetur. 430.
Temperamenta quot? 71. 75. 346.
—— usitata nihil ad Medicum. 416.
Temperamentorum diversitas in quo consistat. 597. & seq.
—— doctrina cujus utilitatis. 77.
—— signa. 332. & seq.
Temperamentum quid? 346. 71. 74. 597.
Temperies corporis quæ optima. 493.
—— inæqualis & æquabilis quæ. 299.
Tempora morborum quid indicent. 164.
Temulentorum mores unde. 193.
Tenebræ quid sint. 408.
Tensio musculorum tonica. 292.
Terra ex aqua. 462.
—— primigenia quæ. 462.
e Terra progeniti *Gnomi*, lemures

res, &c. 407.
——— quæ produxit. *ibid.*
——— ſanguini admixta. 509.
Tertulliani dicterium in Herophilum. 59.
Tetanus quid. 343.
Teutlophaces quid. 261.
Thalaſſomeli quid. 262.
Themiſon attractionem peculiaris humoris, a medicamento factam, inficiatur. 89.
Theophili dogmata. 328.
Therapeia Chinenſium. 388. 390.
Theorema quid? & ejus differentia. 148.
Theoria circa quæ verſatur. 346. 361.
——— morborum juxta *Sylvium.* 502.
Theoriæ Medicæ diviſio. 362.
——— Medicæ duo fundamenta. 588.
Tethalaſſomenos quid. 262.
Theſſali jactantia & ſuperbia. 158.
Thomſonius hæret in declaranda Mercurii virtute. 570.
Timæi Locri de elementis ingenioſa opinio. 34.
Timoris effectum quod. 504.
Tinctura quid *Paracelſo.* 415.
Tingentes morbi unde. 425.
Ton qualis morbus. 108.
Tonica muſculorum tenſio. 292.
Tonici motus utilitas. 593. & ſeq.
Tonſillæ quare ſæpe inflammentur. 334.
Tonus quid. 534.
Tophus unde. 480.
Tormina ventris unde. 469.
Trallianus qualis auctor. 335.
——— ſigna morborum accurate tradit. 337.
Tranſitus de re ſimili ad ſimilem, quid. 146.
Tranſplantatio morbi. 488.
Traxmes proprium. 411.
Tremoris cauſſa quæ juxta *Praxagoram* & *Herophilum.* 208.
Τριβικὴς quid Empiricis. 148.
Tribonici qui? 180.
Triſtitia quomodo animam corpoream afficiat. 504.
Tritemporaria notatio quæ. 219.
Triumviratus poteſtas. 499.
——— quid? *ibid.*
Tumores unde, differentiæ. 308.
Turban magna quid. 411.
de Typis doctrinæ uſus, & abuſus. 325.
Typorum febrium varietas unde. 517.
——— ordo, numerus, &c. 323.
——— ſpecies quot. 322.
Typus quid. *ibid.*
——— unde nomen indeptavit. 324.

V.

VAcuitas ut nuſquam ſit, Deum ideo inanimatas creaturas creaſſe. 455.
Vacuitatis vitium quæ mala producat. 383.
Valetudo corporis humani quibus ſuſtentetur. 191.
Valetudinis tum adverſæ tum ſecundæ cauſſa, quæ. 508.
Valleſius curioſus in declarandis remediorum viribus. 114.
Variolæ an novum morbi genus. 365.
——— quomodo a veteribus nominatæ. *ibid.*
——— Cauſſa. *ibid.*
Vaſa corporis quando agant. 552.
——— lactea ab Eraſiſtrato inventa. 51.
Vaſorum ſpiritu vitali plenorum longitudo. 371.
Vates *Eveſtri* ope ſingula perfecerunt. 411.

Vena quomodo tangenda. 399.
Venæ arterioſæ, &c. ratio. 254.
—— non adeo, ut arteriæ, dilatantur. 550.
—— non eædem ſunt in quovis affectu incidendæ. 343.
—— origo ubi. 549.
Venarum principium quod. 341.
Venena animalium conſiſtere in vi mortifera. 215.
—— quæ. 355. 356.
Venenorum potentia unde. 560.
Venenum quid. 424.
—— unde. *ibid.*
in Venis Meſenterii Chylus mutatur. 470.
Ventriculi facultates quot. 289. 291.
—— munia. *ibid.*
—— potentia calculo Arithmetico demonſtrata. 540. & ſeq.
—— vocabuli abuſio. 494.
Ventriculum habent quælibet corporis membra. 417.
Verborum potentia. 456.
Vermes anonymi ubi. 579.
—— multorum morborum auctores. 580.
—— quæ mala corpori importent. 577. & ſeq.
Vermium duæ ſpecies. 575.
—— in homine duo genera. 577.
Vertigo cur a purgatione oriatur. 358.
—— qui a re gyrante fiat. 279.
Vertiginis cauſſa. 484. 279. 269.
Verum in Medicina quid. 497.
Veſicæ ab aggregatione ſpirituum morbus. 386.
Veſiculares vermes. 578.
Viæ extraordinariæ octo in corpore. 379.
—— earum munus, progreſſus, &c. *ibid.*
—— ordinariæ in corpore XII. 378.
—— & quæ. *ibid.*
Villi natura. 529.
Villo eſt gemina contractio. 530.
Villus corporis quantum quotidie *perſpiret*. 556.
—— quid. 529.
—— quomodo factus. 530.
Vindicianus quæ ſcripſit. 360.
Vini facultates unde. 450.
—— mira potentia. 617.
—— vires. 262.
Vinum an Nepenthes *Homeri*. 616.
Vir eſt Limbus. 414.
Vis elaſtica corporis quæ. 527.
—— primorum motuum quid. 473.
Vita quid. 581. 510. 471. 589.
—— in quibus conſiſtat. 589.
Vitæ initia cui referenda. 508.
—— principium quid. 581.
Vitas ſeptem habet homo. 419.
Vitales actiones difficile explicantur. 538.
Vitalitatis cauſſa prima unde. 529.
Vitalitas corpori cui tribuenda. *ib.*
Vitalis ſpiritus unde. 291.
Vitia quinque corporis. 383. & ſeq.
Vitiliginis albæ & nigræ cauſſa. 333.
e Vitriolo qui morbi. 436.
Ulcera rotunda quare difficulter coaleſcant. 523.
Ulcerum fermenta complura. 469.
Umbilicares vermes quid mali concitent. 579.
Vociferatio, qualis hæc erat corporis exercitatio. 131.
Volvuli cauſſa. 280.
Vomitus qui fiat. 330.
Vox rauca quid præſagiat mali. 364.
Urina qui in renibus ſecernatur.

tur. 587.
Urinæ quæ bonæ in morbis. 314.
—— inſpectionem negligunt. *Chinenſes.* 390.
—— ſecretio ut fiat. 90.
—— de ea variæ opiniones. *ibid.* & ſeq.
—— ſedimentum unde. 328.
—— tartarus quales morbos ſuſcitet. 432.
—— tres ſpiritus inſunt. 480.
Uteri fermenti efficientia. 511.
—— inflammatio unde. 335.
Uterus habet ſingularem monarchiam. 473.

W.

Williſii doctrina. 503.
Wirdigii doctrina. 271.

Y.

Yleidum quid. 410. 425.
Yliadum. quid. 410.

Z.

Zedos quid. 438.
Zephyrus in homine. 413.
Zoroaſter Magiæ inventor. 124.

ADDENDA & MENDA.

PAg. 1. Lin. 17. pro ſui, lege *ſibi.* Notæ x. pag. 3. adde. *vide etiam* Heraclitum Ponticum, *qui ſimiliter*, ac Plutarchus, & auctor anonymus. *qui vitam Homeri deſcripſit, Solem eundem eſſe cum Apolline: & peſtilentibus morbis præcipuam corruptionis cauſſam in Sole eſſe ſitam.* Notæ xii. pag. 4. adde. Phurnutus de Nat. Deor Cap. xxxiii. ſcribit, *Æſculapium dictum, ἀπο τῦ ἐπωσθαι καὶ ἀναβάλλεσθαι, id eſt, ab eo, quod incaſſetur, & in aliud tempus recipiatur mortis acceſſus: & veteres eundem ideo Apollinis filium dixiſſe, quod primus videatur medicam facultatem hominibus demonſtraſſe. Neceſſitas enim requirebat, ut numen aliquod eximiæ iſti & præclariſſimæ facultati conſtitueretur, quod ipſi præeſſet. Cæterum, quamvis auctores iſtic loci a me citati, nec non* Eratoſthenes Cyrenæus Cataſteriſm. 6. *memorent, Æſculapium fulmine a Jove percuſſum:* Heraclitus *tamen* de incredib. Cap. xxvi, *memoriæ prodidit, magis rationi conſentaneum eſſe, ſi dicamus Æſculapium, celebrem in Medicina, Medicinæ dignitate aucta, febri correptum obiiſſe. Quare propter illum æſtum fulmine tactum dicunt.* Pag. 11. lin. 1. lege, *tu me laudas* p. 13. l. 15. pro datos lege *donatos* p. 17. adde. Philoſtratus de vita Apollon. libr. vi. ſcribit, *Brachmanas Indorum philoſophos, Gymnoſophiſtis, collem juxta Nili ripas incolentibus, eſſe ſapientiores. Narrat præter hæc, quos ſermones Apollonius cum iſtis habuit. Ex quo loco apparet, hos ab illis fuiſſe diverſos: quamquam* Strabo Geogr. libr. xvi. & Diogenes Lacertius in

proœmi-

proœmio lib. 1. & Plutarchus in Alexandro, monumentis prodiderint, *Indorum philoſophos vocari Gymnoſophiſtas: cum tamen* Philoſtratus, *hoc nomen Ægyptiorum philoſophis tribuit tantum. Verum, quomodocunque ſit, ſignificat tamen per ſcripta ſua, hos ab illis diſciplinæ fundamenta accepiſſe.* Pag. 35. l. 10. l. *deridiculo.* p. 24. l. 20. pro impetrate. l. *date.* p. 64. l. 24. l. *adnectitur.* p. 76. l. 26. l. *haberent.* p. 85. l. ult. l. *congreſſu.* p. 97. l. 2. l. *captos.* p. 113. l. 2. l. *morem.* p. 131. l. 13. l. *oculos pariter juvare.* p. 172. l. 13. l. *applicantur.* p. 207. l. 12. l. *Empedoclis* p. 211. l. 2. l. *Auguſti.* p. 225. l. 27. l. *duos.* p. 240. l. ultim. l. *Haly.* p. 249. l. 6. l. *compertam.* p. 262. l. 26. l. *quadam.* p. 288. l. 10. l. *educamur.* p. 289. l. 7. l. *veſica bilis interim id,* &c. p. 300. lin. ultim. l. *frigidæ.* p. 304. l. 16. l. *vel immodica.* p. 345. l. 11. l. *perperam.* p. 352. l. 6. l. *eandem.* p. 353. l. 5. l. *ſiccitatis.* p. 403. l. 6. l. *ſeriſſima.* l. ultim. *Fateor.* p. 408. l. 23. l. *omnes.* p. 413. l. 26. l. *Colon.* p. 468. l. 1. pro alieni, lege. *Lieni.* p. 469. l. 1. dele & p. 499. l. 4. l. *attenuetve.* p. 534. l. 9. l. *commoti.* p. 546. l. 24. dele, & *que.* p. 560. l. 17. l. *excipiendos.* p. 561. l. 1. l. *efficiente.* p. 563. l. 3. l. *ſanguis.* p. 566. l. 15. pro coaleant, lege *coëant.* p. 614. l. 26. l. *Homerum.* p. 620. l. 15. l. *triſtitiam omnem demat.* p. 628. l. 16. l. *Anxii.* p. 631. l. 4 in quibuſdam foliis redundat *vos.* Superſunt quidem alia, ut petionem pro *petitionem,* ſcernantur pro *ſecernantur,* inſer, diſpaturus, pro *inter, diſputaturus,* paſſit, quadantem, pro *paſſim quadantenus,* & ſimilia, quæ ſupervacua putavi indicare, Fortaſſis & plura alia ſuperſunt, quæ a me prætervisa. Ingenue enim fateor, me non habere oculos adeo eruditos, ut ſimiliter, atque Panoptæ hujus urbis, omnia perluſtrare poſſent. Ideo, ſicubi erratum eſt, velim, ut id B. L. dexteritate ſua corrigat.